
VE RI
TAS

M. T. CICERONIS
OPERA OMNIA

CUM DELECTU COMMENTARIORUM,

IN USUM

SERENISSIMI DELPHINI,

ET ANALYSI

M. ANTONII FERRATII.

TOMUS DECIMUS,

QUI

ORATIONUM QUARTUS.



PATAVII, MDCCLXXIII.

Ex Typographia Seminarii.

Apud Joannem Manfrè.

Superiorum Permissu, & Privilegio.

INDEX ORATIONUM M. TULII CICERONIS,

Quæ in hac Quarta Parte continentur.



DE

DE PROVINCIIS CONSULARIBUS.

ORATIO XXXV.

ARGUMENTUM.

PRovinciæ hoc loco dicuntur regiones extra Italiam, in Romanorum ditionem ita redactæ, ut non suis, sed Romanis legibus uterentur; & magistratus acciperent ab urbe missos cum imperio, qui jus dicerent, resque omnes administrarent. Mittebantur vel consules, vel prætores, ut placebat senatui. Quæ dabantur consulibus provinciæ, appellabantur consulares; quæ prætoribus, prætoriæ; neque ulla erat, quæ non posset fieri ex prætoria consularis; &, ex consulari, prætoria. Consules in provincias non proficiscebantur, nisi cum essent perfuncti consulatu; easque obtinebant, quoad sibi succederetur. Ante latam legem Semproniam designatis consulibus decernebantur provinciæ. Ex lege Sempronia, antequam designarentur in sequentem annum consules, necesse fuit decerni, quæ futuræ essent provinciæ consulares. Quod idcirco videtur constituisse C. Gracchus, legis auctor, ne id fieret deinceps, quod olim factum fuerat, ut, si consulatum adepti essent homines, magis apud plebem gratiosi, quam apud optimates, daret illis senatus non nisi viles provincias.

Anno U. C. 697. quo anno hæc habita oratio est, Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, & L. Marcius Philippus consules ad senatum retulerant, ut futuris consulibus provinciæ decernerentur. Tenebat tunc Ma-

cedoniam, Achajam, & Thessaliam L. Calpurnius Piso Cæsoninus: A. Gabinius Babyloniam, Persidem, & Syriam: C. J. Cæsar Gallias cis & trans Alpes uno imperio conjunctas. Erant plerique senatores male in Cæsarem animati, ut quem nimium esse popularem arbitrarentur: eique omnes, qui ante Ciceronem sententias dixerant, uno duntaxat excepto P. Servilio, aut imperium omnino abrogandum censuerant, aut certe, detracta alterutra Gallia, minuendum.

Cicero futuris consulibus eas decernit provincias, quibus Piso & Gabinius præerant: hos esse revocandos; quod neque dignum laude quidquam gererent; & omnia avare, crudeliter, superbe administrarent: Cæsarem in provincia utriusque Galliæ relinquendum, ut fortissimas nationes illas domare pergat, & bellum jam affectum, tandem conficiat.

Status igitur hujus orationis juridicialis est: quæritur enim, sitne utile reipublicæ, illos revocari e provinciis; hunc in provincia retineri. Genus causæ est deliberativum: nam & in curia sententia dicitur, & ad communem utilitatem, tanquam ad scopum, collimat orator. Ab utili itaque, & ab honesto sæpius argumentatur; sed ei adjunguntur multæ ex genere drmonstrativo amplificationes, dum aut Piso, Gabiniusque vituperantur, aut Cæsar laudatur.

Itum est in Ciceronis, & P. Servilii sententiam; revocati Piso, & Gabinius rediere in urbem, ille anno 698. hic 699. FRONTO DUCÆUS.

ORATIONIS SYNOPSIS.

HÆc Oratio est in *Genere Deliberativo*; revocandi ne sint Piso, & Gabinius, an Cæsar; tres habet partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

Exor-

Exordium sumitur *a Caussis;* jure enim revocabat homines sibi inimicos, cum haberet maxime auctorem illius sententiæ P. Servilium: *Si quis.*

In prima parte *Contentionis*, enumeratis Provinciis, de quibus dictæ fuerant sententiæ: *Quatuor sunt;* Pisonem & Gabinium revocandos esse probat 1. *ab Adjunctis*, quod eas provincias assecuti fuerant in præmium scelerum: *Mitto quod;* 2. Ab eorum rebus gestis, & primum Pisonis scelera commemorat: *Quarum Macedonia;* deinde Gabinii: *An vero in Syria;* & Publicanos afflictos a Gabinio Senatui commendat *a Pari: Jam vero Publicanos;* 3. *A Præjudiciis*, quod anno superiore eos revocare Senatus voluerat: *At iidem vos;* & supplicationem Gabinio denegaverat: *Quam pœnam.*

In *Contentionis* secunda parte confutat eos, qui duas Gallias decernebant; & in primis probat Syriam, & Macedoniam non posse fieri Prætorias: *Faciam.*

Per *digressionem* respondet interpellanti Adversario, aitque se in ornando Cæsare habere rationem Reip. non sui doloris, *ab Exemplis Similibus: Cui si primum;* vel etiam sequutum Viros clarissimos inimicitiam caussa Reip. deponere: *Quid si ipsas;* hoc idem confirmat *a Contrariis*, quod Reip. caussa etiam inimicitias susceperat: *Etenim, si iis;* ac tuetur auctoritate Senatus, qui Cæsarem, quem oderat antea, nunc ornabat: *Ego me a C. Cæsare.* Tertio probat *a Comparatione majorum*, a se posse ornari Cæsarem caussa Reip., quem sæpe antea sine reprehensione ornaverat caussa ipsius Cæsaris: *Sed quid est, quod.* Tandem, ipsum Cæsarem nolle revocari caussa Reip., non sua, idque ostendit *ab Adjunctis: Nam ipse Cæsar, quid est.*

Deinde probat non esse revocandum Cæsarem, quia illud foret Reip. perniciosum: *Ego vero sic intelligo;* usus argumento *a Caussa finali*, cum

perpetua pax in Gallia haberi non poſſet, niſi per Cæſarem. Hinc concludit non eſſe revocandum, licet ipſe vellet revocari: *Etenim ſi*.

In tertia parte *Contentionis* 1. confutat decernentes Ulteriorem Galliam cum Syria: *Qui Ulteriorem*; 2. eum, qui cum Syria Citeriorem decernebat, quod utrumque ſit abſurdum: *Alter belli Gallici*; 3. Probat multandum non eſſe Cæſarem diminutione provinciæ, *ab Adjunctis*, quod Vir eſſet Popularis: *Quæ cum gravia ſunt*.

Admonitionem Conſulis de Citeriori Gallia infirmat *a Contrariis*; *Monemur a fortiſſimo Viro*.

Cæſaris officia in ſe, & ſuos commemorat: *Sed non alienum eſſe*; & injurias excuſat partim *ab Effectis*: *Traduxit ad plebem*; partim a beneficiis ſibi poſtea collatis: *Si etiam oppugnatus*.

Adverſarios coarguit *a Pari*, qui acta Cæſaris oppugnarent propter violata auſpicia, Clodii defenderent, cum eadem valeat ratio auſpiciorum: *A viris fortiſſimis*.

Peroratio eſt Epilogus ſuperiorum de Cæſare: *Extremum illud*.



EXOR-

EXORDIUM.

I. SI quis (*a*) vestrum (1), Patres Conscripti, expectat, quas sim provincias decreturus, consideret ipse secum, qui mihi homines ex provinciis potissimum detrahendi * sint: non dubitabit, quid me sentire conveniat, cum, quid mihi sentire necesse sit (2), cogitarit. Ac, si princeps (3)

A 3 eam

* Al. *retrahendi*.

(1) *Si quis vestrum*) Quoniam probe noverant senatores omnes, Pisonem, & Gabinium Ciceronis esse inimicos, facile poterant suspicari, eum odio impulsum potius, quam studio in rempublicam suo, sententiam esse dicturum; hanc statim ex eorum animis evellere nititur opinionem. Atque hæc exordii est communis sententia, in quo etiam conatur adducere in odium adversarios; eorumque nomen traducit apud senatum, tanquam hominum de republica male meritorum. Prudenter igitur amovet impedimenta omnia, quæ sibi officere poterant, ne sua sententia comprobaretur. Nam si aliqua perturbatione commotus, videatur quis sententiam dicere, non tam reipublicæ commodo, quam libidini propriæ videbitur satisfacere velle. *Manut.*

(2) *Quid mihi sentire necesse sit*) Non quidem omnino necessarium erat, ut ita sentiret orator, revocandosque existimaret e provinciis duos illos consulares, sed ex hypothesi, ut ajunt, si nimirum more suo vellet, id quod esset e republica suadere. Hoc enim innuit, ea conditione, iisque moribus esse homines illos, ut velit, nolit, ita sentire cogatur, neque possit illos in provinciis relinquere, quin de republica male mereatur. *Idem.*

(3) *Ac, si princeps*) Si auctorem hujus sententiæ haberem neminem, eamque princeps ac primus dicerem, laudaretis profecto quod sententiam dixissem reipublicæ utilem. *Si solus* ita sentirem, ex ea ipsa solitudine videri quidem posset hæc sententia

mi-

ANALYSIS.

(a) *Si quis*) Sententiam de provinciis dicturus contra Pisonem, & Gabinium sibi inimicos, *Exordium* sumit *a Causis per Comparationem minorum:*

Si primus, aut solus sententiam in eos dicerem minus Reip. utilem, ignoscere mihi deberetis;

Sed neque primus, neque solus hanc dico sententiam, quæ Reip. est utilis;

Ergo multo magis & mihi ignoscere, & eam probare debetis.

Si quis.) *Propositionis* approbatio a suis cum Pisone, & Gabinio inimicitiis, quam deinde *Propositio* ipsa statim sequitur.

eam ſententiam dicerem, laudaretis profecto; ſi ſolus, certe ignoſceretis; etiam ſi paulo minus utilis vobis ſententia videretur, veniam tamen aliquam dolori meo tribueretis. Nunc vero (*a*), Patres Conſcripti, non parva afficior voluptate, vel quod hoc maxime reipublicæ conducit, Syriam, Macedoniamque decerni, ut dolor meus nihil a communi utilitate diſſentiat, vel quod habeo auctorem P. Servilium, qui ante me ſententiam dixit, virum clariſſimum, & cum in univerſam rempublicam, tum etiam erga meam ſalutem fide ac benevolentia ſingulari.

Quod ſi (*b*) ille & paulo ante, & quotieſcunque ei locus dicendi ac poteſtas fuit, Gabinium, & Piſonem, duo reipublicæ portenta ac pene funera, cum propter alias cauſas, tum maxime propter illud inſigne ſcelus eorum, & importunam in me crudelitatem, non ſolum ſententia ſua, ſed etiam verborum gravitate eſſe notandos putavit, quonam me animo in eos eſſe oportet, cujus illi ſalutem pro pignore (1) tradiderunt ad explendas ſuas cupiditates? Sed ego (*c*) in hac ſententia dicenda non parebo dolori meo, nec iracundiæ ſerviam. Quo animo unuſquiſque veſtrum debet eſſe in illos, hoc ero: præcipuum illum & proprium ſenſum doloris mei, quem tamen vos communem ſemper vobis mecum eſſe duxiſtis, a ſententia dicenda amovebo, ad ulciſcendi tempora reſervabo.

CON-

minus reipublicæ utilis, quam nemo comprobaſſet: ſed ſi minus laudaretis ſententiam, *ignoſceretis* certe, &c. *Idem*.

(1) *Salutem pro pignore*) Cum hoſtibus meis pactionem fecerunt, ut ſi provincias eis tribuerent, ipſi meam illis ſalutem proderent, & quaſi pignus in manus darent. *Hotom.*

ANALYSIS.

(a) *Nunc vero*) *Aſſumptio*.
(b) *Quod ſi*) *Complexionem* urget *a Comparatione minorum*.
(c) *Sed ego*) Se bene moratum oſtendit ad conciliandam *Benevolentiam*, quippe qui Reip. magis, quam privati ſui doloris rationem habeat.

CONTENTIONIS I. PARS.

II. Quatuor (*a*) sunt provinciæ, Patres Conscripti, de quibus adhuc intelligo sententias esse dictas: Galliæ duæ, quas hoc tempore uno imperio videmus esse conjunctas; & Syria, & Macedonia, quas, vobis invitis & oppressis, pestiferi illi consules pro eversæ reipublicæ premiis occupaverunt. Decernendæ nobis sunt lege Sempronia duæ. Quid est (*b*), quod possimus de Syria Macedoniaque dubitare? Mitto, quod (*c*) eas ita partas habent ii, qui nunc obtinent, ut non ante attigerint, quam hunc ordinem condemnarint (1), quam auctoritatem vestram e civitate exterminarint, quam fidem publicam (2), quam perpetuam populi Romani salutem (3), quam me,

A 4 ac

(1) *Hunc ordinem condemnarint*) Nam qui Ciceronem condemnarunt, qui nihil nisi auctore senatu gesserat, senatum ipsum condemnasse intelliguntur. *Hotom.*

(2) *Fidem publicam*) P. Manutius recte *fidem publicam* dixit esse fidem Ciceroni datam a senatu, cum ejus jussu in carcere necavit Catilinæ socios. *Grævius.*

(3) *Perpetuam populi Romani salutem*) Huc facit quod scripsit Cicero, de Legib. lib. III. c. 12. *Ita se res habet, ut, si senatus dominus sit publici consilii, quodque is creverit, defendant omnes: & , si ordines reliqui, principis ordinis consilio rempublicam*

ANALYSIS.

(a) *Quatuor*) Quatuor hactenus dictæ fuerant sententiæ; 1. Syriam, & Macedoniam decernebat; 2. Galliam utramque; 3. Ulteriorem Galliam cum Syria; 4. Syriam, & Galliam Citeriorem.

(b) *Quid est*) Cicero primam hic tuetur, statimque utitur per figuram *Præteritionem* argumento *ab Adjunctis*:

Eripere debemus sceleratis hominibus, quæ perfide consecuti sunt;

Sed Piso, & Gabinius in præmium scelerum botinuerunt provincias;

Ergo illis provincias eripere debemus.

(c) *Mitto, quod*) *Assumptio*, quam deterrima Hannibalis comparatione amplificat, *a minoribus*.

ac meos omnes fœdissime crudelissimeque vexarint.

Omnia domestica illa, atque urbana mitto, quæ tanta sunt, ut nunquam Annibal huic urbi tantum mali optarit, quantum illi effecerint. Ad ipsas (*a*) venio provincias. Quarum (*b*) Macedonia, quæ erat antea munita plurimorum imperatorum non turribus, sed tropæis, quæ multis victoriis erat jamdiu triumphisque pacata, sic a Barbaris, quibus est propter avaritiam pax erepta, vexatur, ut Thessalonicenses, positi in gremio imperii nostri, relinquere oppidum, & arcem munire cogantur: ut via illa nostra, quæ per Macedoniam est usque ad Hellespontum militaris (1), non solum excursionibus Barbarorum sit infesta, sed etiam castris Threciis * distincta ac notata. Ita gentes eæ, quæ, ut pace uterentur, vim argenti dederant præclaro nostro imperatori, ut exhaustas domos replere possent, pro empta pace bellum nobis prope justum intulerunt. Jam vero (*c*) exercitus ille noster,

cam gubernari velint, possit, ex temperatione juris, cum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri moderatus & concors civitatis status. Si juris illa temperatio concordem civitatis statum continet, in quo ejus est posita salus, hanc ergo vexavere improbi consules, qui senatus auctoritate exterminata, populo inconsultam potestatem dedere. *Fronto Ducæus*.

* Vulg. *Thraciis*.

(1) *Via illa nostra... militaris*) De hac militari via *per Macedoniam usque ad Hellespontum*, agit Nic. Bergerius, in *Militarium viarum Historia*, lib. III. cap. 44. quo lectorem remitto. Dictæ militares vel quod labore militum stratæ essent, vel quod per eas exercitus procederent. *Abram*.

ANALYSIS.

(a) *Ad ipsas*) Deinde ab eorum rebus gestis sic arguit;
Eos revocare debemus, qui male provinciam administrant;
Ii sunt Piso, & Gabinius;
Ergo Piso, & Gabinius revocandi sunt.

(b) *Quarum*) Scelera Pisonis exaggerat ad confirmandam *Assumptionem*; quorum primum est vexatio provinciæ. Amplificatur autem ab aliorum triumphis, hoc est *a Diversis*, & *a Causa Efficiente*, quod ipse Piso propter avaritiam barbaris diripiendam provinciam tradiderat.

(c) *Jam vero*) Secundum scelus, clades exercitus; amplificatio est *ab Adjunctis*, & *a Comparatione dissimilium*.

ster, superbissimo delectu (1), & durissima conquisitione (2) collectus, omnis interiit.

III. Magno hoc dico cum dolore. Miserandum in modum milites populi Romani capti, necati, deserti, dissipati sunt; incuria, fame, morbo, vastitate (3) consumpti: ut, quod est indignissimum, scelus imperatoris in pœnam exercitus expetitum esse videatur (4). Atque hanc Macedoniam, domitis jam gentibus finitimis, Barbariaque compressa, pacatam ipsam per se & quietam tenui præsidio, atque exigua manu, etiam sine imperio, per legatos nomine ipso populi Romani tuebamur; quæ nunc consulari imperio atque exercitu ita vexata est, vix ut se possit diuturna pace recreare: cum interea (*a*), quis vestrum hoc non audivit, quis

(1) *Superbissimo delectu*) Non qui ab homine superbo fit habitus, sed, ut admonet Manutius, eodem modo, quo *superbissimum judicium* aurium dixit, Orat. cap. 44. quod nimirum nihil, nisi quod perfectum sit, admittit. *Ducæus*.

(2) *Durissima conquisitione*) Conquisiti diligentissime, & sacramento adacti, nulla cuiquam data missione. *Idem*.

(3) *Vastitate*) Sterilitate & solitudine locorum, & inopia rerum omnium. *Græv*.

(4) *Ut, quod est indignissimum, scelus imperatoris in pœnam exercitus expetitum esse videatur*) In loco difficili atque obscuro, alias aliorum conjecturas vide apud Grævium. Nunc, si jus est mihi dicendæ sententiæ, Ciceronem opinor scripsisse: *ut, quod est indignissimum, scelus id in pœnam exercitus expetitum esse videatur*. Cum enim in substantivis nominibus vis demonstrandi major sit, quam in adjectivis, *scelus* vocat ipsum, de quo agit, Pisonem. Quærit Gulielmius: *A quibus* Piso *expetitus imperator?* Respondere sibi poterat ipse: Fuit expetitus a Clodio & Clodianis, a quibus provinciam & copias acceperat. Eandem continet sententiam id quod edidit Lambinus: *Ut, quod est indignissimum scelus, is imperator in pœnam exercitus expetitus esse videatur*. Nam *id scelus*, est *is imperator*. Sed in illo, *id scelus*, plus est caloris oratorii. Quocirca Lambinianam lectionem opinor meram esse alterius explicationem. Ait Gruterus hoc esse satis frigidum, si Piso dicatur *expetitus esse imperator in pœnam exercitus*. Credo fore multos, qui aliter sentiant, & hic sensum videant apprime accommodatum ad id quod volebat Cicero. Volebat autem concitare odium in Pisonem, atque in ejus fautores. *Olivetus*.

ANALYSIS.

(a) *Cum interea*) Tertio illius avaritiam, & crudelitatem com-

quis ignorat, Achæos (1) ingentem pecuniam pendere L. Pisoni quotannis? vectigal ac portorium Dyrrhachinorum (2) totum in hujus unius quæstum esse conversum? urbem Byzantiorum, vobis atque huic imperio fidelissimam, hostilem in modum esse vexatam? quo ille, posteaquam nihil exprimere ab egentibus, nihil ulla vi a miseris extorquere potuit, cohortes in hiberna misit: his præposuit, quos putavit fore diligentissimos satellites scelerum, ministros cupiditatum suarum. Omitto jurisdictionem in libera civitate (3) contra leges senatusque consulta, cædes relinquo, libidines prætereo, quarum acerbissimum extat indicium, & ad insignem memoriam turpitudinis, & pene ad justum imperii nostri odium, quod constat, nobilissimas virgines se in puteos abjecisse, & morte voluntaria necessariam * turpitudinem depulisse. Nec hæc idcirco omitto, quod non gravissima sint, sed quia nunc sine teste dico.

IV. Ipsam vero urbem Byzantiorum fuisse refertissimam atque ornatissimam signis, quis ignorat? quæ illi, exausti sumptibus bellisque maximis, cum Mithridaticos impetus, totumque Pontum armatum, effervescentem in Asiam atque erumpentem, ægre repulsum, & cervicibus interclusum suis, sustinerent, tum, inquam, Byzantii, &

* Vulg. *nefariam*.

(1) *Achæos*) Achaja, proprie appellata, de qua Plinius, l. 5. & Sigonius *de Ant. Jure Prov.* l. 9. uno imperio conjuncta fuit cum Macedonia, & continebat ipsa Græciam & Epirum. *Ducæus*.

(2) *Portorium Dyrrhachinorum*) Vectigal, quod apud Dyrrhachium pendebatur pro mercibus, quæ vel exportabantur ex ea regione, vel in eam importabantur. Plura Sigonius, *de Ant. Jure Civ. Rom.* lib. 1. cap. 16. *Idem*.

(3) *Jurisdictionem in libera civitate*) Insignis locus, unde intelligitur, ex civitatibus, quas populus Romanus in suam potestatem redegerat, alias fuisse in provinciæ formam redactas, in quibus magistratus populi Romani jurisdictionem exercebat, alias liberas, quæ suis legibus & magistratibus utebantur. *Hotom.*

A N A L Y S I S.

commemorat, præcipue in Byzantinos, & figuris illustrat *Apostrophe*, & *Præteritione*.

& postea signa illa, & reliqua urbis ornamenta sanctissime custodita tenuerunt. Te imperatore infelicissimo & teterrimo, Cæsonine Calventi (1), civitas libera, & proximis suis beneficiis a senatu & a populo Romano liberata, sic spoliata atque nudata est, ut, nisi C. Virgilius *, legatus, vir fortis & innocens, intervenisset, unum signum Byzantii ex maximo numero nullum haberent. Quod fanum in Achaja, qui locus, aut lucus in Græcia tota tam sanctus fuit, in quo ullum simulacrum, ullum ornamentum reliquum sit? Emisti a fœdissimo tribuno plebis, tum in illo naufragio hujus urbis, quam tu ** idem, qui gubernare debueras, everteras, tum, inquam, emisti grandi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis jus in liberos populos contra senatusconsultum, & contra legem *generi* (2) tui dicere liceret. Id emptum ita vendidisti, ut aut jus non diceres, aut bonis cives Romanos everteres.

Quorum ego nihil *** nunc, Patres Conscripti, in hominem ipsum; de provincia disputo. Itaque omnia illa, quæ & sæpe audistis, & tenetis animis, etiam si non audiatis, prætermitto: nihil de hac ejus urbana, quam ille præsens in oculis vestris mentibusque defixit, audacia loquor; nihil de superbia, nihil de contumacia, nihil de crudelitate disputo. Lateant libidines ejus illæ tenebricosæ, quas fronte & supercilio, non pudore & temperantia contegebat: de provincia, quod agitur, id disputo. Huic vos (*a*) non summittetis? hunc diu-

* Vulg. *Virginius*.

** Vulg. *cum tu .... everteres*.

*** Vict. Man. Lamb. *nunc dicam, P. C. hominem ipsum relinquo: de provincia*.

(1) *Cæsonine Calventi*) Cæsoninus a patre, Calventius a matre, nominatus est Piso, ignominiæ, causa. Nam & mater fuit ignobilis, & pater furti peculatusque videtur fuisse convictus. vid. in Pison c. 38. *Abram*.

(2) *Generi*) J. Cæsaris.

A N A L Y S I S.

(a) *Huic vos*) *Complexio* de Pisone.

diutius manere patiemini? cujus, ut provinciam tetigit, sic fortuna cum improbitate certavit, ut nemo posset, utrum posterior (1), an infelicior esset, judicare.

An vero (a) in Syria diutius est Semiramis (2) illa retinenda? cujus iter in provinciam fuit ejusmodi, ut rex Ariobarzanes consulem vestrum ad cædem faciendam, tanquam aliquem Thracem conduceret. Deinde adventus in Syriam primus, equitatus habuit interitum; post concisæ sunt optimæ cohortes. Igitur in Syria, imperatore illo, nihil aliud actum est, nisi pactiones pecuniarum cum tyrannis, decisiones (3), direptiones, latrocinia, cædes, cum palam populi Romani imperator, instructo exercitu, dexteram tendens, non ad laudem milites hortaretur, sed omnia sibi & empta, & emenda esse clamaret.

V. Jam vero publicanos miseros (me etiam miserum, illorum ita de me meritorum miseriis ac dolore) tradidit in servitutem Judæis, & Syris, nationibus natis servituti. Statuit ab initio, & in eo perseveravit, jus publicano non dicere: pactiones sine ulla injuria factas rescidit: custodias sustulit (4): vectigales multos ac stipendiarios liberavit: quo in oppido ipse esset, aut quo veniret, ibi publicanum, aut publicani servum (5) esse ve-

(1) *Posterior*) Hoc est, improbior, nequior. Ut enim in censendis æstimandisque hominibus, ponuntur in prima classe boni ac probi, ita improbi & nequam in postrema. *Ducæus* vulg. *deterior*.

(2) *Semiramis*) Gabinius: ob mores effœminatos, *Idem*.

(3) *Decisiones*) Decisio, est pactio, transactio, atque adeo condictio transigendi. *Ernest.*

(4) *Custodias sustulit*) Publicani servos habebant in regionum finibus, ad portas urbium, ut nunc quoque fit, qui vel obambulantes, vel sedentes explorabant, quid importaretur, exportareturve. Hæ sunt *custodiæ*, quas sustulit Gabinius. *Fr. Ducæus*.

(5) *Publicani servum*) Servi publicanorum ii dicebantur, quorum opera utebantur publicani ad exigendas pecunias. Corru-

ANALYSIS.

(a) *An vero*) Enumerat, quæ infeliciter, & scelerate gesta fuerant a Gabinio, maxime in Publicanos.

vetuit. Quid multa? crudelis haberetur, si in hostem animo fuisset eo, quo fuit in cives Romanos, ejus ordinis præsertim, qui est semper dignitate sua, benignitate magistratus sustentatus.

Itaque videtis, Patres Conscripti, non temeritate redemptionis, aut negotii gerendi inscitia, sed avaritia, superbia, crudelitate Gabinii, pene afflictos jam atque eversos publicanos, quibus quidem (*a*) vos, in his angustiis ærarii, tamen subveniatis necesse est: etsi jam multis non potestis, qui propter illum hostem senatus, inimicissimum ordinis equestris bonorumque omnium, non solum bona, sed etiam honestatem miseri deperdiderunt, quos non parsimonia, non continentia, non virtus, non labor, non splendor tueri potuit contra illius helluonis & prædonis audaciam.

Quid, qui se etiam nunc subsidiis patrimonii, aut amicorum liberalitate sustentant, hos perire patiemur? An, si qui frui publico non potuit per hostem, hic tegitur ipsa lege censoria (1), quem is frui non sinit, qui est, etiam si non appellatur, hostis, huic ferri auxilium non oportet? Retinete (2) igitur (*b*) in provincia diutius eum, qui

rupta latinitas eos appellavit *servientes*: quæ vox, ex trita litera *v*, & sequente mutata de vocali in consonantem, mansit in populari Gallorum sermone. *Idem*.

(1) *Lege censoria*) Qua publicanis, si quando accidat ut propter hostes minime possint vectigalia exigere, datur remissio. Æquum etiam videtur, ut eadem conditione sint publicani Syriæ, quandoquidem ab hoste Gabinio fuerunt prohibiti, ne vectigalibus fruerentur. *Idem*.

(2) *Retinete*) Ironia. *Idem*.

ANALYSIS.

(*a*) *Quibus quidem*) Hinc obiter Senatum hortatur, ut Publicanis afflictis subveniat. Movet igitur *Misericordiam*, ex Arist. l. 2. c. 8. t. 89. quod eorum multi nullo modo sublevari possint; sic deinde *a Pari*:

Censores iis Publicanis subveniunt, qui per hostem exigere Vectigalia non potuerunt;
Sed hi prohibente Gabinio exigere Vectigalia Syriæ non potuerunt;
Ergo debetis iis subvenire.

(*b*) *Retinete igitur*) Concludit de Gabinio per *Ironiam*, & ipsum

qui de sociis cum hostibus, de civibus cum sociis faciat pactiones: qui hoc etiam se pluris esse, quam collegam, putet, quod ille vos tristitia vultuque deceperit, ipse nunquam se minus, quam erat, nequam esse simularit. Piso autem alio quodam modo gloriatur, se brevi tempore perfecisse, ne A. Gabinius unus omnium nequissimus existimaretur.

VI. Hos vos (*a*) de provinciis, si non aliquando deducendi essent, deripiendos non putaretis? & has duplices pestes sociorum, militum clades, publicanorum ruinas, provinciarum vastitates, imperii maculas teneretis? At iidem vos, anno superiore (1), hos eosdem revocabatis, cum in provincias jam pervenissent. Quo tempore si liberum vestrum judicium fuisset, nec toties dilata res, nec ad extremum e manibus erepta esset, restituissetis, id quod cupiebatis, vestram auctoritatem, iis, per quos erat amissa, revocatis, & his ipsis præmiis (2) extortis, quæ erant pro scelere atque eversione patriæ consecuti.

Quam pœnam (*b*) si tum aliorum opibus, non suis,

(1) *Anno superiore*) Senatus, ut superioris anni vulneribus mederetur, primum omnium Ciceronem ab exilio revocavit, deinde deliberavit de universa republica. Censebant multi omnes leges Clodii per vim & contra auspicia latas esse abrogandas, atque inter cæteras eam, qua Pisoni Macedoniam, Gabinio Syriam decreverat: sed cum inter eas una esset maxime popularis, qua remissis semissibus & trientibus frumentum de publico plebi dabatur, Senatui liberum non fuit, quod cupiebat, decernere, cum præsertim eo tempore propter famem seditio timeretur, nec hujus legis abrogatione plebs exacerbanda videretur. *Abram*.

(2) *Præmiis*) Provincias præmia vocat scelerum, quia Clodius eas decrevit Coss. quod Ciceronem & patriam prodidissent. *Idem*.

A N A L Y S I S.

ipsum cum Pisone, Pisonem cum Gabinio comparat, & utrique conviciatur.

(*a*) *Hos vos*) *Complexio* universalis de Pisone simul, & Gabinio, quam sic urget *a Præjudiciis:*

Eos nunc revocare debetis, quos anno superiore revocare voluistis;
Sed revocabatis utrumque anno superiore, nisi quidam obstitisset,
Ergo nunc eos revocare debetis, cum nemo impediat.

(*b*) *Quam pœnam*) Alterum pertractat *Præjudicium*; denegatam fuisse Gabinio a Senatu supplicationem; & quod idem timeret, non ausum Pisonem scribere de rebus a se gestis in Macedonia.

suis, invitissimis vobis, evolarunt, at aliam multo majorem gravioremque subierunt. Quæ enim homini, in quo aliquis si non famæ pudor, at supplicii timor est, gravior pœna accidere potuit, quam non credi literis iis, quæ rem bene gestam in bello nuntiarent? Hoc statuit senatus, cum frequens supplicationem Gabinio denegavit: primum homini, sceleribus, flagitiis contaminatissimo nihil esse credendum; deinde a proditore, atque eo, quem præsentem hostem reipublicæ cognosset, bene rem geri non potuisse; postremo, ne deos quidem immortales velle aperiri sua templa, & sibi supplicari hominis impurissimi & sceleratissimi nomine. Itaque ille alter, aut ipse est homo doctus, & a suis Græcis subtilius eruditus, quibuscum jam in exostra helluatur, antea post siparium (1) solebat; aut amicos habet prudentiores, quam Gabinius, cujus nullæ literæ perferuntur.

VII. Hosce igitur imperatores habebimus? quorum alter non audet nos certiores facere, ne * imperator appelletur (2): alterum, si tabellarii non cessarint, necesse est paucis diebus pœniteat audere. Cujus amici (*a*), si qui sunt, aut si belluæ tam immani tamque tetræ possunt ulli esse amici, hac con-

* Vulg. *ut*.

(1) *Exostra ... siparium*) Voces theatricæ. *Exostra*, machina spectatoribus res intus gestas patefaciens: *siparium*, eas tegens. *Fronto Ducæus*. sensus est: qui prius veluti cum histrionibus & mimis retro velum helluebatur, id jam propalam factitat. vulg. *Orchestra*.

(2) *Ne imperator appelletur*) Cur non vult imperator appellari? Immo utraque manu hunc honorem amplecteretur, si sibi persuadere posset, senatum eo illum dignaturum esse. Nullus dubito Ciceronem scripsisse: *non audet nos certiores facere, imperatorne appelletur*. Ipsa sententia clamat ita legendum esse. Non audet nobis significare num appellatus sit imperator ab exercitu, veritus ne irrideatur a senatu, & supplicatio ei negetur. *Grævius*.

ANALYSIS.

(a) *Cujus amici*) *Prolepsis* ad consolationem Gabinii, cui respondet *a Dissimilibus*, ac tandem imprecatione disputationem concludit.

consolatione utuntur, etiam T. Albucio supplicationem hunc ordinem denegasse. Quod est primum dissimile. Res in Sardinia cum mastrucatis (1) latrunculis a propraetore una cohorte auxiliaria gesta, & bellum cum maximis Syriae gentibus, ac tyrannis, consulari exercitu imperioque confectum. Deinde Albucius, quod a senatu petebat, ipse sibi in Sardinia ante decreverat. Constabat enim, Graecum hominem (2) ac levem in ipsa provincia quasi triumphasse. Itaque hanc ejus temeritatem senatus supplicatione denegata notavit.

Sed fruatur sane hoc solatio, atque hanc insignem ignominiam, quoniam uni, praeter se, inusta est, putet esse leviorem, dummodo, cujus exemplo se consolatur, ejus exitum expectet (3): praesertim cum in Albucio nec Pisonis libidines, nec audacia Gabinii fuerit; hac tamen una plaga conciderit, ignominia senatus (4).

CONTENTIONIS II. PARS.

Atqui (*a*) duas Gallias qui decernit consulibus duobus, hos retinet ambo: qui autem alteram

(1) *Mastrucatis*) Mastruca vestis erat Sardorum e pellibus. *Turnebus*, quem vide Advers. XX. 9.

(2) *Graecum hominem*) Non quod natus in Graecia esset Albucius, sed quoniam *doctus Graecis* literis, *vel potius pene Graecus* ut ait Cicero, *Brut.* 35. Item *De Finib.* I. 3. *Ducaeus*.

(3) *Ejus exitum expectet*) Reversus e Sardinia T. Albucius, de pecuniis repetundis postulatus fuit; & Athenas exul abiit. *Idem*.

(4) *Ignominia senatus*) Id est, quam senatus imposuit. Quemadmodum Æneid. II. 436, *vulnus Ulyssis* est, quod Ulysses inflixerat, ut Servius interpretatur. Videri potest Gellius IX. 12. *Idem*.

A N A L Y S I S.

(*a*) *Atqui*) Cum igitur ostenderit, Syriam & Macedoniam decernendas esse provincias Consulares, idque esse e Rep., rejiciendae necessario erant aliorum sententiae, qui decernebant vel duas Gallias, vel alteram Galliam cum Syria. Transitus est a prima ad secundam partem.

ram Galliam, & aut Syriam, aut Macedoniam, tamen alterum retinet, & in utriusque pari scelere disparem conditionem facit. Faciam (*a*), inquit, illas prætorias (1), ut Pisoni & Gabinio succedatur statim. Si hic (*b*) sinat (2). Tum enim tribunus intercedere poterit, nunc non potest (3). Itaque ego idem, qui nunc consulibus iis, qui designati erunt, Syriam, Macedoniamque decerno, decernam easdem prætorias (4), ut & prætores annuas provincias habeant, & eos quam primum videamus, quos animo æquo videre non possumus.

VIII. Sed mihi credite, nunquam succedetur illis, nisi cum ea lege referetur, qua intercedi de provinciis non licebit. Itaque, hoc tempore amisso, annus est integer vobis expectandus: quo interjecto, civium calamitas, sociorum ærumna, scele-

(1) *Faciam, inquit, illas prætorias*) Exponit, ac refellit alteram sententiam, quæ duas Gallias, Cæsari ademptas, duobus futuris consulibus decernebat. Per quandam prosopopœiam, loquentem facit auctorem ejus sententiæ. Si revoco, *inquit*, Cæsarem, non idcirco Pisonem & Gabinium retineo in provinciis, quas obtinent. Immo vero id ago, *ut illis succedatur statim*. Nam quas obtinent provincias, *illas faciam prætorias*; hoc est, ut diximus, dabo administrandas prætoribus. *Ducæus*.

(2) *Si hic sinat*) Responsio est Ciceronis: *Modo* hic *sinat*. Cum diceret *hic*, gestu designabat Tribunum. *Idem*.

(3) *Nunc non potest*) Lege Sempronia, quæ non sinebat Tribunos intercedere S. C. de provinciis Consularibus. *Ferratius*.

(4) *Decernam easdem prætorias*) Hoc dixit: Quia non potuerunt in suas provincias ire consules, nisi post annum; *decernam*, Syriam & Macedoniam fore interim *prætorias*; ut eas *Prætores annuas habeant*, administrentque per eum annum, quo anno magistratum in urbe gerent consules, quibus fuerint decretæ. Revera facta est Macedonia prætoria in annum, & Q. Anchario data. *Ducæus*.

ANALYSIS.

(a) *Faciam*) Consilium de Syria, & Macedonia illius Senatoris, qui duas Gallias Consulares decernebat.

(b) *Si hic*) Ciceronis responsio; notat autem Tribunum pl. amicum Pisonis, & Gabinii paratum intercedere S. C.

ratiſſimorum hominum impunitas propagatur. Quod ſi (*a*) eſſent illi optimi viri, tamen ego mea ſententia C. Cæſari ſuccedendum nondum putarem. Qua de re dicam, Patres Conſcripti, quod ſentio, atque illam interpellationem mei familiariſſimi (1), qua paulo ante interrupta eſt oratio mea, non pertimeſcam. Negat me (*b*) vir optimus inimiciorem Gabinio debere eſſe, quam Cæſari. Omnem enim illam tempeſtatem, cui ceſſerim, Cæſare impulſore atque adjutore eſſe excitatam. Cui ſi (*c*) primum ſic reſpondeam, me communis utilitatis habere rationem, non doloris mei, poſſimne probare, cum id me facere dicam, quod exemplo fortiſſimorum & clariſſimorum civium facere poſſim? An non Tib. Gracchus (2) (patrem dico, cujus utinam filii ne degeneraſſent a gravitate paterna) tantam laudem eſt adeptus, quod tribunus ple-

(1) *Familiariſſimi*) Quis hic fuerit interpellator, incertum eſt. *Idem*.

(2) *An non Tib. Gracchus*) Vide Gellium, lib. VII. cap. 19. Gratularer amatoribus Ciceronis, ſi omnes, quas attigit, hiſtorias indicare poſſem ſic explicatas. *Olivet.* in Vulg. deeſt *non*.

ANALYSIS.

(a) *Quod ſi*) Quibus præmiſſis, ita arguit *a minori ad majus*:
Si Piſo, & Gabinius eſſent optimi Viri, tamen non eſſent retinendi in provinciis, ut Cæſari Succeſſores mittantur;
Sed ſunt homines ſceleratiſſimi;
Ergo multo minus ii retinendi, ut Cæſar revocetur.
Aſſumptio patet ex ſupradictis; *Propoſitio* quoque infra probatur, ſed prius reſpondet Objecto de ſua cum Cæſare inimicitia.

(b) *Negat me*) Objectio adverſarii, cui reſpondet Cicero, 1. ſe in hac cauſa rationem Reip. habere, non privatæ inimicitiæ cum Cæſare; 2. ſe deponere inimicitiam Reip. cauſa; 3. ſe jam antea cum Cæſare in gratiam rediiſſe; 4. ſe id in gratiam Cæſaris non facere.

(c) *Cui ſi*) Prima reſponſio continetur argumento *ab Exemplis Similibus*:
Clariſſimi Viri ſæpe cum laude inimicorum dignitatem tutati ſunt Reip. cauſa;
Sed utile eſt Reip. Cæſarem in provincia retineri;
Ergo laude dignus ſum, quod inimicum Cæſarem ex provincia non detraho.

plebis solus ex toto illo collegio L. Scipioni auxilio fuit, inimicissimus & ipsius, & fratris ejus Africani; juravitque in concione, se in gratiam non rediisse, sed alienum sibi videri dignitate imperii, quo duces essent hostium, Scipione triumphante, ducti, eodem ipsum duci, qui triumphasset?

Quis plenior inimicorum fuit C. Mario? L. Crassus, M. Scaurus. Aliine inimici? omnes Metelli. At hi non modo illum inimicum ex Gallia sententiis suis non detrahebant, sed & propter rationem Gallici belli, provinciam extra ordinem decernebant (1). Bellum in Gallia maximum gestum est: domitæ sunt a Cæsare maximæ nationes, sed nondum legibus, nondum jure certo, nondum satis firma pace devinctæ. Bellum (a) affectum videmus, &, vere ut dicam, pene confectum; sed ita, ut, si idem extrema persequitur, qui inchoavit, jam omnia perfecta videamus: si succeditur, periculum sit, ne instauratas maximi belli reliquias ac renovatas audiamus. Ergo ego senator, inimicus, si ita vultis, homini, amicus esse, sicut semper fui, reipublicæ debeo.

 Quid,

(1) *Provinciam extra ordinem decernebant*) Cum tribus modis extraordinariam provinciam obtinere diceretur quispiam; (1. si privatus esset, 2. si prorogaretur illi imperium, 3. si magistratus ipse nominatim in provinciam mitteretur,) quæritur, quomodo Marius extra ordinem gesserit bellum adversus Gallos. An quod erat privatus? Nequaquam; nam in singulos annos consul reficiebatur. An prorogato imperio seu per populum, seu per senatum? Multo minus; iis enim, qui jam magistratu abiissent, prorogabatur imperium: at Mario, jure consulatus, quotannis provincia debebatur. Quid igitur dicendum est? Decretum a Senatu factum fuisse, idemque renovatum quotannis, ut Marius Consul, sine sorte, & nominatim provinciam illam administraret. Hi ergo Senatores, qui Mario *provinciam extra ordinem decernebant*, ita singulis annis decernebant, ut sublata provinciarum consularium sortitione, eam nominatim Marius haberet, in qua bellum cum Gallis gerebatur. *Ferratius*.

ANALYSIS.

(a) *Bellum*) *Assumptio* approbata *ab Adjunctis* belli Gallici; nam *Propositio* præcedit.

Quid, si (a) ipsas inimicitias depono reipublicæ causa? quis me tandem jure reprehendat? præsertim cum ego omnium meorum consiliorum, atque factorum exempla semper ex summorum hominum factis mihi censuerim petenda.

IX. An vero M. ille Lepidus (1), qui bis consul & pontifex maximus fuit, non solum memoriæ * testimonio, sed etiam annalium literis, & summi poetæ (2) voce laudatus est, quod cum M. Fulvio collega, quo die censor est factus, homine inimicissimo, in campo statim rediit in gratiam, ut commune officium censuræ communi animo ac voluntate defenderent? Atque, ut vetera, quæ sunt innumerabilia, mittam, tuus pater, Philippe, nonne uno tempore cum suis inimicissimis in gratiam rediit? quibus eum ** omnibus eadem respublica reconciliavit, quæ alienarat.

Multa prætereo, quod intueor coram hæc lumina atque ornamenta reipublicæ, P. Servilium, & M. Lucullum: utinam etiam L. Lucullus ille viveret! Quæ fuerunt inimicitiæ graviores in civitate, quam Lucullorum, atque Serviliorum? quas in viris fortissimis non solum extinxit reipublicæ *** dignitas, & ipsorum, sed etiam ad amicitiam consuetudinemque traduxit. Quid? Q. Metellus Nepos, nonne consul in templo Jovis optimi maximi, permotus cum auctoritate vestra, tum illius P. Servilii incredibili gravitate dicendi, absens mecum, summo suo

* Vulg. *memoria & testimonio*. ** Vulg. *quibuscum omnibus*.
*** Al. *Respublica dignitasque ipsorum*.
(1) *Lepidus*) Videatur Aulus Gellius, XII. 8. Al. *an non vero*.
(2) *Summi poetæ*) Ennii.

ANALYSIS.

(a) *Quid, si*) Secunda responsio confirmatur pariter *ab Exemplis*:

Laude digni visi sunt, qui Reip. causa inimicitias deposuerunt;
Sed ego Reip. causa inimicitiam cum Cæsare depono;
Ergo laude, non reprehensione dignus sum.
Propositio patet *ab Exemplis* allatis.

suo beneficio, rediit in gratiam? An ego (*a*) possum huic esse inimicus, cujus literis, fama, nuntiis, celebrantur aures quotidie meæ novis nominibus gentium, nationum, locorum?

Ardeo, mihi credite, Patres Conscripti, (id quod vosmet de me existimatis, & facitis ipsi) incredibili quodam amore patriæ: qui me amor & subvenire olim (1) impendentibus periculis maximis cum dimicatione capitis, & rursum (2), cum omnia tela undique esse intenta in patriam viderem, subire coegit atque excipere unum pro universis. Hic me meus in rempublicam animus pristinus ac perennis cum C. Cæsare reducit, reconciliat, restituit in gratiam. Quod volent denique homines existiment; nemini ego possum esse bene de republica merenti non amicus.

X. Etenim (*b*) si iis, qui hæc omnia flamma ac ferro delere voluerunt, non inimicitias solum, sed etiam bellum indixi, atque intuli, cum partim (3) mihi illorum familiares, partim etiam, me defendente, capitis judiciis essent liberati; cur eadem respublica, quæ me in amicos inflammare potuit, inimicis placare non possit? Quod mihi odium cum P. Clodio fuit, nisi quod perniciosum

B 3 pa-

(1) *Olim*) Tempore conjurationis Catilinariæ. *Ducæus*.

(2) *Rursum*) Pisone & Gabinio CSS. cum exire de civitate malui, quam committere, ut boni cum improbis dimicarent. *Abram*.

(3) *Partim*) Hoc est, alii. Exempla collegit J. F. Gronovius, Observat. III. 2. Rationem explicavit G. J. Vossius, *lib. de Construct. c. 64*. Sensus ergo est: cum alios *illorum* haberem *familiares*; alios in capitalibus caussis defendissem. *Olivetus*.

ANALYSIS.

(a) *An ego*) *Assumptio* probatur tum a Cæsaris rebus gestis, tum ab incredibili amore Ciceronis in Patriam.

(b) *Etenim*) Hoc ultimum nititur argumento *a Contrariis*:
Quo consilio inimicitias suspicio, eodem etiam depono;
Sed omnes inimicitias suscepi Reip. causa;
Ergo Reip. causa easdem depono.
Sic enim & cum Catilinariis, & cum Clodio inimicitiam susceperat.

patriæ civem fore putabam, qui, turpissima libidine incensus, duas res sanctissimas, religionem & pudicitiam, uno scelere (1) violasset? Num est igitur dubium ex iis rebus, quas is egit, agitque quotidie, quin ego in illo oppugnando reipublicæ plus, quam otio meo, nonnulli in eodem defendendo, suo plus otio, quam communi, prospexerint?

Ego me (*a*) a C. Cæsare in republica dissensisse fateor, & sensisse vobiscum: sed nunc iisdem vobis assentior, cum quibus antea sentiebam. Vos enim (*b*), ad quos literas L. Piso de suis rebus non audet mittere, qui Gabinii literas insigni quadam nota, atque ignominia nova (2) condemnastis, C. Cæsari (*c*) supplicationes decrevistis, numero (3), ut nemini uno ex bello; honore, ut omnino nemini. Cur igitur expectem hominem aliquem, qui me cum illo in gratiam reducat? Reduxit ordo amplissimus, & ordo is, qui est & publici consilii, & meorum omnium consiliorum auctor & princeps. Vos sequor (*d*), Patres Conscripti, vobis obtempero, vobis assentior, qui, quamdiu C. Cæsaris consilia in republica non maxime diligebatis, me quoque cum illo minus conjunctum videbatis: postea quam rebus gestis mentes vestras voluntatesque mutastis, me non solum comitem esse sententiæ vestræ, sed etiam laudatorem vidistis.

XI.

(1) *Uno scelere*) Cum in templum Bonæ Deæ, muliebri vestitu libidinis causa penetravit. *Manut.*
(2) *Ignominia nova*) Denegatione supplicationis.
(3) *Numero*) quindecim dierum. *Ferrat.*

A N A L Y S I S.

(a) *Ego me*) Alia ratione ostendit, se debuisse cum Cæsare in gratiam redire, ab auctoritate Senatus:
Talis esse debet Cicero cum Cæsare, qualis est cum eodem Senatus;
Sed Senatus cum Cæsare in gratiam rediit;
Ergo & Cicero in gratiam cum Cæsare debet redire.
(b) *Vos enim*) *Assumptionis* approbatio *ab Exemplis Dissimilibus.*
(c) *C. Cæsari*) Et *ab Effectis.*
(d) *Vos sequor*) *Propositio.*

XI. Sed quid (*a*) eſt, quod in hac cauſa maxime homines admirentur, & reprehendant meum conſilium, cum ego idem antea multa decreverim, quæ magis ad hominis dignitatem, quam ad reipublicæ neceſſitatem pertinerent? Supplicationem quindecim dierum decrevi ſententia mea. Reipublicæ ſatis erat tot dierum, quot C. Mario. Diis immortalibus non erat exigua eadem gratulatio, quæ ex maximis bellis. Ergo ille cumulus dierum hominis eſt dignitati tributus.

In quo ego (1), quo conſule referente, primum decem dierum ſupplicatio decreta Cn. Pompejo, Mithridate interfecto, confectoque Mithridatico bello, cujus ſententia primum duplicata eſt ſupplicatio conſularis, (mihi enim eſtis aſſenſi, cum ejuſdem Pompeji literis recitatis, confectis omnibus maritimis terreſtribuſque bellis, ſupplicationem (*b*) dierum duodecim (2) decreviſtis) ſum Cn. Pompeji virtutem & animi magnitudinem admiratus, quod, cum ipſe cæteris omnibus

 eſſet

(1) *In quo ego*) Locus hic omnino probat, uſque ad Ciceronem conſulem, dies non plures quinis fuiſſe tributos ſupplicationibus. Duplicavit numerum Cicero conſul in gratiam Pompeji; triplicavit in gratiam Cæſaris; qui poſt paulo quadruplicatam dierum viginti ſupplicationem habuit, ut ipſe narrat *de Bell. Gall. lib.* IV. *Ducæus*.

(2) *Supplicationem dierum duodecim*) Aſſentior iis, qui cenſent legendum *decem dierum*, quod ex præcedentibus verbis clare patet, *duplicata eſt ſupplicatio*. Grævius. Ita olim Manutius, cui plane aſſentitur Fronto Ducæus.

ANALYSIS.

(a) *Sed quid*) Tertia reſponſio ſumitur *a Comparatione majorum*:

Sine reprehenſione poſſum eum ornare cauſa Reip. quam ſæpe antea ſine reprehenſione ornavi cauſa ipſius;
Sed Cæſarem ſæpe antea ornavi ſine reprenſione cauſa ipſius Cæſaris;
Ergo & nunc ſine reprehenſione ornare poſſum cauſa Reip.

(b) *Supplicationem*) *Aſſumptio* approbata per diſtributionem Supplicationis, Stipendii, & Legatorum, quæ omnia amplificat *ab Adjunctis*.

esset omni honore antelatus, ampliorem honorem alteri tribuebat, quam ipse erat consecutus. Ergo in illa supplicatione, quam ego decrevi, res ipsa tributa est diis immortalibus, & majorum institutis, & utilitati reipublicæ, sed dignitas verborum, honos, & novitas, & numerus dierum, Cæsaris ipsius laudi gloriæque concessus est.

Relatum est ad nos nuper de stipendio (1) exercitus: non decrevi solum, sed etiam, ut vos decerneretis, laboravi: multa dissentientibus respondi: scribendo affui. Tum quoque homini plus tribui, quam nescio cui necessitati. Illum enim arbitrabar, etiam sine hoc subsidio pecuniæ, retinere exercitum præda ante parta, & bellum conficere posse: sed decus illud & ornamentum triumphi minuendum nostra parsimonia non putavi. Actum est de decem legatis (2), quos alii omnino non dabant, alii exempla quærebant, alii tempus differebant, alii sine ullis verborum ornamentis dabant. In ea quoque re sic sum locutus, ut omnes intelligerent, me id, quod reipublicæ causa sentirem, facere uberius propter ipsius Cæsaris dignitatem.

XII. At ego (*a*) idem nunc in provinciis decernendis, qui illas omnes res egi silentio, interpellor: cum superioribus causis hominis ornamenta fuerint, in has me nihil aliud, nisi ratio belli, nisi summa utilitas reipublicæ moveat. Nam ipse

(1) *Relatum est .... de stipendio*) Propterea quod cum auxisset suas legiones Cæsar, opus illi fuit novo stipendio, quod a senatu petendum fuit. *Ducæus*.

(2) *Actum est decem legatis*) Qui confecto tantum bello mittebantur ad res provinciæ componendas: hinc subjicit, *Alii exempla quærebant*, nondum scilicet confecto in Gallia bello. *Ferratius*.

ANALYSIS.

(a) *At ego*) *Complexio*.

ipse (*a*) Cæsar (1), quid est, cur in provincia commorari velit, nisi ut ea, quæ per eum affecta sunt, perfecta reipublicæ tradantur? Amœnitas (*b*) eum, credo, locorum, urbium pulchritudo, hominum nationumque illarum humanitas & lepos, victoriæ cupiditas, finium imperii nostri propagatio retinet. Quid illis terris asperius? quid incultius oppidis? quid nationibus immanius? quid porro tot victoriis (2) præstabilius? quid Oceano longius inveniri potest? An reditus in patriam habet aliquam offensionem? utrum apud populum, a quo missus, an apud senatum, a quo ornatus est? An dies auget ejus desiderium (3), an magis obli-

(1) *Nam ipse Cæsar*) A Cæsaris ipsius persona, & ab adjunctis argumenta ducit, quibus probet, nihil esse cur ii, qui favent Cæsari, eum velint manere in Gallia; quoniam nihil sit, cur id velit ipse, & multa sint cur Romæ malit esse. Si ergo vult illic manere diutius, hoc vult idcirco, quoniam utile est reipublicæ: quæ una etiam ratio Ciceronem impellit, ut Cæsarem in provincia retinendum esse censeat. *Ducæus*.

(2) *Quid porro tot victoriis*) Non est, inquit, quod dicatur velle Cæsarem manere in Gallia, ut clarioribus victoriis, & propagatis longius imperii finibus, suam ipse famam amplificet. Quid enim illustrius in re militari potest esse, quam illæ sunt victoriæ, quas hactenus retulit? Quid est ultra Oceanum, qui orbem terrarum terminat, & quo imperium populi Romani Cæsar terminavit? *Idem*.

(3) *An dies auget ejus desiderium*) Quasi dicat, inquit Manutius: Oblivionem potius, quam desiderium, tempus auget. Quem enim aliquamdiu non vident homines, assuescunt tandem non videre, non desiderant, penitus obliviscuntur; atque ut *longo* temporis *intervallo viriditatem amittit laurea illa*, quam accepit Cæsar, cum est ob victoriam ab exercitu salutatus imperator, ita ipsæ ejus victoriæ gratiam perdunt, quam habebant in publicum, tunc cum essent recentes. Hanc orator comparationem ingeniose contraxit in metaphoram. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Nam ipse*) Quarta responsio ex persona Cæsaris sic se habet:
Hanc sententiam dico vel in gratiam Cæsaris, vel in gratiam Reip.;
Non in gratiam Cæsaris;
Ergo Reip., adeoque non sum reprehendendus.

(b) *Amœnitas*) *Assumptio* approbata *ab Adjunctis* locorum, existimationis bonæ apud Cives, gloriæ, ac triumphi; propter hæc omnia utilius erat Cæsari statim redire in Patriam, quam detineri in provinciis.

oblivionem? ac laurea illa magnis periculis parta, amittit longo intervallo viriditatem? Quare, si qui hominem non diligunt, nihil est, quod eum de provincia devocent: ad gloriam devocant, ad triumphum, ad gratulationem, ad summum honorem senatus, equestris ordinis gratiam, populi caritatem.

Sed, si ille hac tam eximia fortuna propter utilitatem reipublicæ frui non properat, ut omnia illa conficiat, quid ego senator facere debeo, quem, etiam si ille aliud vellet, reipublicæ consulere oporteret? Ego vero (*a*) sic intelligo, Patres Conscripti, nos hoc tempore in provinciis decernendis, perpetuæ pacis habere oportere rationem. Nam quis (*b*) hoc * non sentit, omnia alia esse nobis vacua ab omni periculo, atque etiam ab omni suspicione belli? Jamdiu mare videmus illud immensum, cujus fervore non solum maritimi cursus, sed urbes etiam & viæ militares jam tenebantur, virtute Cn. Pompej sic a populo Romano, ab Oceano usque ad ultimum Pontum, tanquam unum aliquem portum, tutum & clausum teneri: nationes eas, quæ numero hominum, ac multitudine ipsa poterant in provincias nostras redundare, ita ab

* Vulg. *hoc tempore*.

A N A L Y S I S.

(a) *Ego vero*) Hac absoluta *Digressione*, pergit probare *Propositionem* argumenti *a minori ad majus*; sic autem arguit:
Id facere non debemus, quod est Reip. perniciosum;
Sed Cæsarem revocari est Reip. perniciosum;
Ergo non esset revocandus, licet Piso & Gabinius essent optimi Viri.

Hoc argumentum latet in approbatione *Assumptionis*, quæ talis est sumpta *a Causa finali:*
Pacis perpetuæ habere rationem debemus;
Sed pacem perpetuam in Gallia Resp. non habebit, si revocetur Cæsar;
Ergo Cæsarem revocari est perniciosum Reip.

(b) *Nam quis*) Hanc *Assumptionem* illustrat ostendens, quam pacata sint omnia in cæteris Provinciis virtute Pompeji, & non posse nisi per Cæsarem pacari Galliam, quam tot victoriis afflixerat; cum cæteri Imperatores eam ne tentare quidem ausi fuerint. Celerem autem, & facilem ait fore victoriam, si retineatur; difficilem, si revocetur.

ab eodem esse partim recisas, partim repressas, ut Asia (1), quæ imperium antea nostrum terminabat, nunc tribus novis provinciis ipsa cingatur. Possum de omni regione, de omni hostium genere dicere. Nulla gens est, quæ non aut ita subacta sit, ut vix extet, aut ita domita, ut quiescat, aut ita pacata, ut victoria nostra imperioque lætetur.

XIII. Bellum Gallicum (2), Patres Conscripti, C. Cæsare imperatore gestum est; antea tantummodo repulsum. Semper illas nationes nostri imperatores refutandas (3) potius bello, quam lacessendas putaverunt. Ipse ille C. Marius, cujus divina atque eximia virtus magnis populi Romani luctibus funeribusque subvenit, influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit, non ipse ad eorum urbes sedesque penetravit. Modo ille meorum laborum, periculorum, consiliorum socius, C. Pon-

(1) *Ut Asia, &c.*) Asiam hoc loco appellat eam Asiæ minoris partem, quæ fuit in ditione regum Pergamenorum, Eumenis, & Attali ejus, qui hæredem populum Romanum testamento reliquit. Ea continet Joniam, Cariam, & magnam partem Phocidis. Hanc autem Asiam tribus ait cingi provinciis, Ponto nimirum, ubi regnavit Mithridates; Armenia, ubi Tigranes; & Syria, quam Judæorum regibus, aliisque Pompejus eripuit. Refert Plinius, *H. N. lib.* VII. *cap.* 26. dixisse Pompejum *in concione, cum de rebus suis dissereret: Summa summarum in illa gloria fuit, Asiam ultimam provinciarum accepisse, eamdemque mediam patriæ reddidisse.* Ducæus.

(2) *Bellum Gallicum*) Satis imperatoribus Romanis fuit, si Gallorum compescerent impetus: cæterum eos nunquam provocarunt; ne ipse quidem Marius, ad quem populus Romanus confugit, strage trium exercitum, quos Ambrones Galli, cum Tigurinis conjuncti deleverant, & horum in Italiam venientium metu consternatus. Ambronas quidem vicit Marius ad Aquas Sextias, eamque gentem funditus abolevit; post etiam Cimbros ac Teutonas, qui cum Ambronibus conspiraverant, ingenti clade fudit; at in Galliam arma non intulit. *Idem.*

(3) *Refutandas*) *Refutare* nativa & propria significatione, quam ex Festi, & aliorum fragmentis expressit Jos. Scaliger, est ollam, cum fervens paulo plus exuberat, injecta aqua compescere. Hæc metaphora quam sit ad rem idonea, intelligit, qui non ignorat, quæ ingenia forent gentis Gallicæ. An sint nunc eadem, nihil ad Tullium. *Idem.*

Pontinius (1), fortissimus vir, ortum repente bellum Allobrogum (2), atque hac scelerata conjuratione excitatum, præliis fregit, eosque domuit, qui lacessierant; & ea victoria contentus, republica metu liberata, quievit. C. Cæsaris longe aliam video fuisse rationem. Non enim sibi solum cum iis, quos jam armatos contra populum Romanum videbat, bellandum esse duxit, sed totam Galliam in nostram ditionem esse redigendam. Itaque cum acerrimis nationibus, & maximis Germanorum & Helvetiorum præliis felicissime decertavit: cæteras contrivit, domuit, compulit (3), imperio populi Romani parere assuefecit; & quas regiones, quasque gentes nullæ nobis antea literæ, nulla vox, nulla fama notas fecerat, has noster imperator, nosterque exercitus, & populi Romani arma peragrarunt. Semitam tantum Galliæ (4) tenebamus antea, Patres Conscripti, cæteræ partes a gentibus aut inimicis huic imperio, aut infidis, aut incognitis, aut certe immanibus, & barbaris, & bellicosis tenebantur: quas nationes nemo unquam fuit, qui non frangi domarique cuperet: nemo sapienter de republica nostra cogitavit jam inde a principio hujus imperii, quin Galliam maxime timendam huic imperio putaret: sed propter vim ac multitudinem gentium illarum nunquam

(1) *Pontinius*) Vide Catil. III. 2.

(2) *Allobrogum*) Quidam recentiores Geographi ajunt Allobrogum olim fuisse, quantumcumque terrarum diœcesibus Viennensi, Genevensi, Gratianopolitana, ac Mauriennensi continetur. Huic sententiæ facile accesserim. Hadr. Valesius, *Notit. Gall.*

(3) *Compulit*) Compellere, inquit Servius *in Eclog.* II. 2. proprie est in unum locum diversa animalia cogere. Quæ metaphora apprime facit ad scopum oratoris. Significat enim id esse Gallis Cæsarem, quod est homo pecudibus, quas in unum vel gregem, vel armentum cogit. *Fronto Ducæus*. Al. *contudit*.

(4) *Semitam tantum Galliæ*) Galliam Narbonensem intelligit, quæ jampridem Domitii Aenobardi, Fabii Maximi Allobrogici, & aliorum armis in populi Romani ditionem concesserat. *Semitam Galliæ* vocat, quod ea provincia esset velut aditus quidam patefactus ad cæteras Galliæ regiones. *Abram*.

quam est antea cum omnibus dimicatum. Restitimus semper lacessiti (1): nunc denique est perfectum, ut imperii nostri, terrarumque illarum idem esset extremum.

XIV. Alpibus Italiam munierat ante natura, non sine aliquo divino numine. Nam, si ille aditus Gallorum immanitati multitudinique patuisset, nunquam hæc urbs summo imperio domicilium ac sedem præbuisset. Quæ jam licet considant (2). Nihil est enim ultra illam altitudinem montium usque ad Oceanum, quod sit Italiæ pertimescendum. Sed tamen una atque * altera æstas, vel metu, vel spe, vel pœna, vel præmiis, vel armis, vel legibus potest totam Galliam sempiternis vinculis adstringere. Impolitæ vero res, & acerbæ (3) si erunt relictæ, quanquam sunt accisæ **, tamen efferent se aliquando, & ad renovandum bellum revirescent.

Quare sit (*a*) in ejus tutela Gallia, cujus virtuti, fidei, felicitati commendata est. Etenim

* Vulg. *aut*. ** Vulg. *abscissæ*.

(1) *Restitimus semper lacessiti*) An ergo, quotiescumque decertarunt cum Gallis Romani, ab illis lacessiti, sic eorum excepere impetum, ut nihil cladis acceperint? Atqui sæpe a Gallis cæsi fugatique sunt, ut ab illis aliquando Galli. Hoc vult: Quoties cum illis dimicatum fuit, id fecimus provocati; defensores fuimus semper, nunquam oppugnatores. *Fronto Ducæus*.

(2) *Quæ jam licet considant*) Quæ Alpes etiamsi plano æquarentur, id tamen deinceps curæ non esset. Neque enim jam Alpium altitudo, sed Cæsaris victoriæ securos reddunt. *Grævius*.

(3) *Impolitæ vero res, & acerbæ*) Si prius devocetur e provincia Cæsar, quam opus absolverit, & Gallos jugo assuefecerit, si res, quas inchoavit, imperfectas relinquat, eveniet, ut Galli, quamvis nunc prostrati, posthac resurgant, & resumptis viribus, atque animis, bellum instaurent. Gallicæ *res* dicuntur *impolitæ*, ut opera, quibus artifex supremam manum non addidit; *acerbæ*, ut fructus, ante maturitatem lecti; *accisæ*, ut surculi non stirpitus excisi, qui repullulant. *Ducæus*.

A N A L Y S I S.

(a) *Quare sit*) *Complexio* argumenti.

nim (*a*) si Fortunæ muneribus amplissimis ornatus, sæpius ejus deæ periculum facere nollet, si in patriam, si ad deos penates, si ad eam dignitatem, quam in civitate sibi propositam videt, si ad jucundissimos liberos, si ad clarissimum generum redire properaret, si in Capitolium invehi victor cum illa insigni laurea gestiret, si denique timeret casum aliquem, qui illi tantum addere jam non potest, quantum auferre, vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, a quo profligata sunt, confici velle. Cum vero (*b*) ille suæ gloriæ jampridem, reipublicæ nondum satisfecerit, & malit tamen tardius ad suorum laborum fructus pervenire, quam non explere susceptum reipublicæ munus; nec imperatorem incensum ad rempublicam bene gerendam revocare, nec totam Gallici belli rationem, prope jam explicatam, perturbare atque impedire debemus.

CONTENTIONIS III. PARS.

XV. Nam illæ (*c*) sententiæ virorum clarissimorum minime probandæ sunt, quorum alter ulteriorem Galliam decernit cum Syria, alter citeriorem. Qui ulteriorem (*d*), omnia illa, de quibus

ANALYSIS.

(a) *Etenim*) Ita demum concludit disputationem *a Comparatione majorum:*

Non esset revocandus Cæsar, licet ipse vellet revocari;
Sed ille Reip. causa nondum vult revocari;
Ergo multo minus revocandus a nobis est.

Amplificatur autem *Propositio a Caussis* conglobatis; nam si constet, reliqua omnia persuadere Cæsari reditum in Patriam, confirmatur etiam *Assumptio*, eum scilicet Reip. tantum causa nolle revocari.

(b) *Cum vero*) *Assumptio* ipsa cum *Complexione*.

(c) *Nam illæ*) Pergit nunc illorum sententiam confutare, qui alteram Galliam cum Syria decreverant.

(d) *Qui ulteriorem*) Eum in primis coarguit, qui censuerat decernendas esse provincias Consulares Ulteriorem Galliam cum Sy-

bus disserui paulo ante, perturbat: simul ostendit, eam se sciscere legem (1), quam esse legem neget, & quæ pars provinciæ sit, cui non possit intercedi, hanc se avellere, quæ defensorem (2) habeat, non tangere: simul & illud facit, ut, quod illi a populo datum sit, id non violet, quod senatus dederit, id senator properet auferre.

Alter belli (a) Gallici rationem habet: fungitur officio boni senatoris (3): legem, quam non putat, eam quoque servat. Præfinit enim successori diem. * Qui mihi nihil videtur minus a dignitate disciplinaque majorum dissidere, quam ut, qui consul Kalendis Jan. (4) habere provinciam debet, is ut eam desponsam, non decretam, habere

(1) *Sciscere legem*) Vatiniam, quam esse legem negabant, quippe latam contra auspicia. Eam autem servabat, qui citeriorem Galliam illa lege Cæsari datam adimere non audebat. *Ferrat.* Vide *Indiculum Legum*.

(2) *Defensorem*) Nam populi donum tueri poterat Tribunus pl. intercedendo, nisi elapsum foret quinquenium a lege præfinitum. *Ferratius*.

(3) *Boni senatoris*) Bellum enim Gallicum vult a Cæsare confici, cum ulteriorem Galliam non adimat. *Idem*.

* Lamb. *Atqui mihi nihil videtur magis... quam qui consul*.

(4) *Kalendis Jan.*) Sensus est: Consul Kal. Jan. debet habere provinciam. At, qui sortietur Galliam citeriorem, in toto consulatu erit sine provincia. Quin etiam Januario & Februario anni subseqnentis non habebit provinciam, quæ illi Kal. Mart. repente nascetur, elapso quinquennio lege Vatinia præscripto. *Idem*.

ANALYSIS.

Syria, 1. quia perpetua pax in Gallia turbabatur, 2. quia legem Vatiniam probabat, quam esse legem semper negaverat, 3. quia non debebat Senator donum Senatus auferre, tueri donum populi.

(a) *Alter belli*) Deinde qui Citeriorem Galliam cum Syria, præfinito Successori die Kal. Mart. quod ait esse absurdum tali ratione:

Ea sententia repudianda est, quæ sit aliena a dignitate, & disciplina Majorum;
Sed alienum est a dignitate, & disciplina Majorum, Consulem non habere Kal. Januar. provinciam, habere Kal. Mart.
Ergo ea sententia repudianda.

In amplificanda *Assumptione* acribus *Interrogationibus* instat.

re videatur. Fuerit toto in consulatu sine provincia, cui fuerit, antequam designatus esset, provincia decreta. Sortietur, an non? nam & non sortiri absurdum est, & quod sortitus sis, non habere. Proficiscetur paludatus (1)? quo? quo pervenire ante certam diem non licebit. Januario, Februario, provinciam non habebit. Kalendis ei denique Martiis, nascetur repente provincia. Attamen (*a*) his sententiis Piso in provincia permanebit. Quæ cum gravia sunt, tum nihil gravius illo, quod multari imperatorem deminutione provinciæ contumeliosum est: neque solum summo in viro, sed etiam mediocri in homine ne accidat, providendum.

XVI. Ego vos (*b*) intelligo, Patres Conscripti, multos decrevisse honores eximios C. Cæsari, & prope singulares, quod ita meritus erat, gratis (2): sin etiam, ut quam conjunctissimus huic ordi-

(1) *Paludatus*) Magistratus provinciales ab Urbe proficiscebantur paludati. *Idem*. Vide *Fam.* XV. 17.

(2) *Gratis*) Quid sit *decernere alicui honores gratis, quod ita meritus est*, ego sane non intelligo. Qui sunt illi honores, qui gratis dantur? Num qui dantur iis, qui illos non sunt meriti? Nugæ. Legendum sine hæsitatione cum Grutero, *grati*. Si Cæsari tribuitis honores, quos meritus est bene gesta republica, grati estis erga illum, qui ejus merita in rempublicam agnoscitis: sin etiam propter hanc causam ei honores eximios decrevistis, ut tantum virum adjungeretis ordini senatorio, a quo fuerat aversus, sapientes fuistis ac divini. Hoc est, nihil potuistis facere sapientius

ANALYSIS.

(a) *Attamen*) Utramque sententiam simul coarguit, 1. quia Piso retinetur in provincia, quod esse Reip. perniciosum supra ostendit; 2. quia non est Cæsar multandus diminutione provinciæ.

(b) *Ego vos*) Extremum illud ita confirmat *ab Adjunctis* personæ:

Vir popularis non est injuria afficiendus a Senatu, sed ornandus;
At Cæsar Vir popularis est, & a Senatu cupit ornari;
Ergo eum ornare Senatus debet, non injuria afficere.

Propositio illustratur *a Causis*, propter quas summi Viri transire solebant ad partes Populi.

ordini esset, sapientes ac divini fuistis. Neminem unquam est hic ordo complexus honoribus & beneficiis suis, qui ullam dignitatem præstabiliorem ea, quam per vos esset adeptus, putarit. Nemo unquam hic potuit esse princeps, qui maluerit esse popularis. Sed homines aut propter dignitatem suam diffisi (1) ipsi sibi, aut propter reliquorum obtrectationem ab hujus ordinis conjunctione depulsi, sæpe ex hoc portu se in illos fluctus prope necessario contulerunt. Qui, si ex illa jactatione cursuque populari, bene gesta republica, referunt adspectum in curiam, atque huic amplissimæ dignitati commendati esse volunt, non modo non repellendi sunt, verum etiam expetendi.

Monemur (*a*) a fortissimo viro, atque optimo post hominum memoriam consule, ut provideamus, ne citerior Gallia nobis invitis alicui decernatur, post eos consules, qui nunc erunt designati: perpetuoque (2) posthac ab iis, qui hunc ordinem oppugnent, populari ac turbulenta ratione teneatur. Quam ego (*b*) plagam etsi non contemno, Patres Conscripti, presertim monitus a sapientissimo consule, & diligentissimo custode pacis & otii, ta-

tius & divinius, quia hoc consilium maxime faciebat Ciceronis sententia ad stabiliendam & firmandam rempublicam contra machinationes improborum. *Græv.* Vulg. *& prope singulares, quod ita meritus erat: gratis etiam, ut quam conjunctissimus huic ordini esset. Sapientes ac divini fuistis.*

(1) *Diffisi*) Posse per senatum assequi, quæ suæ dignitati debita esse putaverint. *Ferratius.*

(2) *Perpetuoque*) Divinus hic fuit Marcellinus. Nam reipsa anno sequenti per alterum quinquennium a populo Galliam Cæsar obtinuit: post Cæsarem, nec multo post, M. Antonius: unde bellum civile. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *Monemur*) Consul Marcellinus, ut eriperetur Gallia Citerior Cæsari, Senatum monebat, fore periculum, nisi ea provincia fieret Consularis, ne sequenti anno quispiam eamdem obtineret per Populum.

(b) *Quam ego*) Cicero respondet primum, illud esse magis timendum, si Cæsaris honor minuatur, quam si augeatur, ob gratum illius animum erga bene de se meritos.

men vehementius arbitror pertimescendum, si hominum clarissimorum * ac potentissimorum aut honorem minuero, aut studium erga hunc ordinem repudiaro. Nam ut C. Julius omnibus a senatu eximiis, aut ** novis rebus ornatus, per manus hanc provinciam tradat (1) ei, cui minime vos velitis, per quem ordinem ipse amplissimam sit gloriam consecutus, ei ne libertatem quidem relinquat, adduci ad suspicandum nullo modo possum. Postremo (*a*), quo quisque animo futurus sit, nescio: quid sperem video. Præstare hoc senator debeo, quantum possum, ne quis vir clarus, aut potens, huic ordini jure irasci posse videatur. Atque hoc (*b*), si inimicissimus essem C. Cæsari, sentirem tamen reipublicæ causa.

XVII. Sed non alienum esse arbitror, quo minus sæpe aut interpeller a nonnullis, aut tacitorum *** existimatione reprehendar, explicare breviter, quæ mihi sit ratio & causa cum Cæsare. Ac primum (*c*) illud tempus familiaritatis & consuetudinis, quæ mihi cum illo, quæ fratri meo, quæ C. Varroni, consobrino nostro, ob omnium nostrum adolescentia fuit, prætermitto. Posteaquam sum penitus in rempublicam ingressus, ita dissensi ab illo, ut in disjunctione sententiæ conjuncti tamen amicitia maneremus. Consul ille egit eas res, quarum me

* Vulg. *præclarissimorum*. ** Vulg. *ac novis*.
*** Vulg. *tacita æstimatione*.
(1) *Tradat*) Innuit, neminem fore, qui Galliam a populo obtinere possit, invito Cæsare. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Postremo*) Deinde malum illud esse incertum; hoc alterum certissimum, si Cæsar irritetur.

(b) *Atque hoc*) Transit ad alteram *Digressionem* de Cæsaris erga se officiis, ut a se jure Cæsarem ornari ostendat, quam sic pertractat *a Causis*:

Illius dignitatem tueri debeo, qui me semper ornavit;
Sed in me ornando egregia semper fuit Cæsaris voluntas;
Ergo illius dignitatem tueri debeo.

(c) *Ac primum*) *Assumptio* approbata ab officiis Cæsaris in Ciceronem.

me participem esse voluit: quibus ego si minus assentiebar, tamen illius mihi judicium gratum esse debebat. Me ille, ut quinqueviratum (1) acciperem, rogavit: me in tribus sibi conjunctissimis consularibus esse voluit (2): mihi legationem (3), quam vellem, quanto cum honore vellem, detulit. Quæ ego (*a*) omnia non ingrato animo, sed obstinatione quadam sententiæ repudiavi. Quam sapienter non disputo: multis enim non probabo: constanter quidem, & fortiter certe. Qui cum me firmissimis opibus contra scelus inimicorum munire, & populares impetus populari præsidio propulsare possem, quamvis excipere fortunam, subire vim atque injuriam malui, quam aut a vestris sanctissimis mentibus diffidere, aut de meo statu declinare. Sed non is solum gratus debet esse, qui accepit beneficium, verum etiam is, cui potestas accipiendi fuit. Ego illa ornamenta, quibus ille me ornabat, decere me, & convenire iis rebus, quas gesseram, non putabam: illum quidem amico animo me habere eodem loco, quo principem civem, suum generum, sentiebam.

(1) *Ut quinqueviratum*) Vide Fabricium, in Historia Cic. ad annum 694. Alii legunt *vigintiviratum*. Nam viginti viros Cæsar elegerat, qui agrum Campanum plebi dividerent.

(2) *Me in tribus sibi conjunctissimis consularibus esse voluit*) Præter Ciceronem, qui, sine controversia, tertius est, quinam duo reliqui? *Pompejus gener*, inquit Manutius, & *Piso socer*. Manutio assentitur Hotomanus, utrique Grævius. Siccine Piso consularis dicitur, qui tantum anno sequenti consul fuit? Vellejus Paterculus, *lib.* II. *cap.* 44. *Cæsare igitur Consule, inter eum, & Cn. Pompejum, & M. Crassum, inita potentiæ societas*. En duo Cæsari conjunctissimi consulares, Pompejus, & Crassus. Cum Ciceronem tertium esse cuperet, ut hic desciscerer ab optimatibus, obtinere non potuit. *Ferratius*.

(3) *Legationem*) Vide ad Attic. lib. II. epist. 19.

ANALYSIS.

(*a*) *Quæ ego*) *Prolepsis*; cujusmodi enim erant illa officia, quæ repudiata sunt a Cicerone? Respondet, se per obstinationem ea repudiasse; cæterum voluntatem offerentis tanti valere, quanti beneficium ipsum collatum.

Traduxit (*a*) ad plebem (1) inimicum meum, sive iratus mihi, quod me secum ne beneficiis quidem videbat posse conjungi, sive exoratus. Ne hæc quidem fuit injuria. Nam postea me, ut sibi essem legatus, non solum suasit, verum etiam rogavit. Ne id quidem accepi: non quo alienum mea dignitate arbitrarer (2), sed quod tantum reipublicæ sceleris impendere a consulibus proximis non suspicabar.

XVIII. Ergo adhuc magis est mihi verendum, ne mea superbia in illius liberalitate, quam ne illius injuria in nostra amicitia reprehendatur. Ecce illa, (*b*) illa tempestas (3), caligo bonorum, & subita atque improvisa formido, tenebræ reipublicæ, ruina atque incendium civitatis. Terror injectus Cæsari de ejus

(1) *Traduxit ad plebem*) P. Clodium, qui, nisi plebejus e patricio factus fuisset, neque Tribunus plebis esse potuisset, neque Ciceroni nocere. *Idem*.

(2) *Non quo alienum mea dignitate arbitrarer*) Notat hanc sententiam Hotomanus, ut illi alteri repugnantem: *Ego illa ornamenta, quibus ille me ornabat, decere me, & convenire iis rebus, quas gesseram, non putabam*. Hotomano responderet Cicero: Nihil in iis pugnæ est. Ego consularis poteram legatus esse Cæsaris, neque id *alienum* mea dignitate arbitrabar: sed neque illa legatio, neque *ornamenta* duo alia, quibus ornare me volebat, quinqueviratus, & consiliorum societas, me decebant, aut conveniebant iis rebus, quas gesseram. Me enim, qui semper in optimatium partibus fuissem, non decebat transire ad populares. *Olivetus*.

(3) *Ecce illa tempestas*) Hae metaphorarum congerie notat annum, quem Gabinius & Piso consules, Tribunus plebis P. Clodius, adeo turbulentum, & Ciceroni memorabilem reddiderant. *Fronto Ducæus*.

ANALYSIS.

(a) *Traduxit*) Altera *Prolepsis de* injuriis Cæsaris. Primam illam de adoptione Clodii excusat, & defendit *ab Effectis*:

Cæsar in adoptione Clodii mihi noluit injuriam facere, si me postea legatum elegit;

Sed post adoptionem Clodii me sibi legatum elegit;

Ergo non tulit legem de adoptione Clodii, ut mihi injuriam faceret.

Propositio patet, quia si Cæsaris legatus Cicero fuisset, eum Clodius non accusasset absentem.

(b) *Ecce illa*) Secundo se desertum a Cæsare fuisse, dum oppugnabatur a Clodio, non odio, & malevolentia, sed timore quodam, ne a se acta in Consulatu rescinderentur.

ejus actis (1), metus cædis bonis omnibus, consulum scelus, cupiditas, egestas, audacia. Si non sum adjutus, non debuit *. Si desertus, sibi fortasse providit. Si etiam (a) oppugnatus, ut quidam aut putant, aut volunt, violata amicitia est, accepi injuriam, inimicus esse debui, non nego. Sed, si idem ille tum me salvum esse voluit, cum vos me ut carissimum filium desiderabatis, & si vos iidem pertinere ad causam illam putabatis, voluntatem C. Cæsaris a salute mea non abhorrere, & si illius voluntatis generum ejus habeo testem, qui idem Italiam in municipiis, populum Romanum in concione, vos, mei semper cupidissimos in Capitolio ad meam salutem incitavit; si denique Cn. Pompejus idem mihi testis de voluntate Cæsaris, & sponsor est illi de mea, nonne vobis videor & ultimi temporis (2) recordatione, & proximi memoria, medium illud tristissimum tempus debere, si ex rerum natura non possem ** evellere, ex animo quidem certe excidere? Ego vero, si mihi non licet per aliquos ita gloriari, me dolorem atque inimicitias meas reipublicæ concessisse, quod magni cujusdam hominis & persapientis videtur, utar hoc, quod non tam ad laudem adipiscendam, quam ad vitandam vituperationem valet, hominem me

 esse

* Vulg. *debui*.
** Vulg. *possim*.
(1) *De ejus actis*) Vide Orat. pro Sextio, cap. 7.
(2) *Ultimi temporis*) Hoc loco *ultimum* tempus est primum; illud nimirum relegenti vestigia, &, ut ait Horatius, lib. 1. Sat. VI. 94. *certis annis ævum remeare peractum* satagenti, ultimum occurreret. Porro designat Cicero tempus adolescentiæ, *familiaritatisque, & consuetudinis* suæ cum Cæsare. *Ducæus*.

ANALYSIS.

(a) *Si etiam*) Quod autem conspiraverit cum Clodio, Pisone, & Gabinio (id porro non affirmat) sic luculenter excusat:
Acceptæ injuriæ memoriam delere debet subsequens beneficium;
Sed beneficio etiam Cæsaris restitutus sum in Patriam;
Ergo injuriæ, quam acceperam, oblivisci debui.

esse gratum, & non modo tantis beneficiis, sed etiam mediocri hominum benevolentia commoveri.

XIX. A viris (*a*) fortissimis, & de me optime meritis quibusdam peto, ut, si ego illos meorum laborum & incommodorum participes esse nolui, ne illi me suarum inimicitiarum socium velint esse, præsertim (*b*) cum mihi iidem illi concesserint (1), ut etiam acta illa Cæsaris, quæ neque oppugnavi antea, neque defendi, meo jam jure possim defendere. Nam summi (*c*) civitatis viri, quorum ego consilio rempublicam conservavi, & quorum auctoritate illam conjunctionem Cæsaris defugi, Julias leges, & cæteras, illo consule, rogatas, jure latas negant. Iidem illam proscriptionem capitis mei, contra salutem reipublicæ, sed salvis auspiciis rogatam esse dicebant. Itaque vir summa auctoritate, summa eloquentia, dixit graviter, casum illum meum funus esse reipublicæ, sed su-

(1) *Præsertim cum mihi iidem illi concesserint*) Id est, cum fecerint ipsi, *ut jure meo possim nunc Cæsaris acta defendere*. Cur enim, quod in Clodio faciunt, ego in Cæsare non faciam? Catonem hæc petunt. Is pro prætore missus in Cyprum fuerat ad res componendas: miserat populus, rogationem tulerat P. Clodius Tribunus plebis. Reversus Cato cœpit Clodiani tribunatus acta defendere, quæ Cicero contendebat esse rescindenda: non enim fieri id poterat, quod Cicero volebat, quin irrita fierent ea omnia, quæ in Cypro gesserat Cato. Nam si irrita erat lex, quæ Catoni dederat potestatem prætoriam, irrita erant quæcumque fecerat potestate prætoria, quam habebat nullam. De Catonis conjunctione cum Clodio, vide quid scripserit Tullius ad Lentulum, *Fam*. lib. I. epist. 7. & 9. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *A viris*) Palam denique fateri videtur, se in ornando Cæsare parem gratiam referre Catoni, & aliis, qui Clodium tuebantur; eos autem coarguit, seque defendit argumento *a Pari*:
Qui Clodii acta defendit, non potest oppugnare acta Cæsaris;
Sed Cato, & alii Clodii acta defendunt;
Ergo illi non possunt oppugnare acta Cæsaris.
(b) *Præsertim*) *Propositio* hic latet.
(c) *Nam summi*) *Assumptio*.

funus justum & indictum (1). Mihi ipsi omnino perhonorificum, discessum meum funus dici reipublicæ. Reliqua non reprehendo, sed mihi ad id, quod sentio, assumo. Nam, si illud (*a*) jure rogatum dicere ausi sunt, quod nullo exemplo fieri potuit, nulla lege licuit, quia nemo de cælo servarat (2); oblitine erant (3), tum, cum ille, qui id egerat, plebejus est lege curiata factus, dici de cælo esse servatum? qui si plebejus omnino esse non potuit, qui tribunus plebis potuit esse? &,

C 4 cujus

(1) *Funus justum & indictum*) Eadem est sententia *in Orat. pro domo*, *cap.* 16. Porro *funus indictum*, sive *indictivum*, ut scribit Festus, erat id, ad quod per præconem populus evocabatur. Quis autem hic vir fuerit, auctoritate & eloquentia commendabilis, qui hanc protulit sententiam, quærunt interpretes; an Cato, Bibulus, Domitius, Marcellus? At quis hoc mortalium scire potest? Catonem excludunt, quoniam tum aberat, nondum e Cypro revectus, cum ageretur de reditu Ciceronis. Cur autem id Cato non dixerit in senatu, cum Cicerone altercans de tribunatu & actis Clodii? Certe quisquis hoc dixit, id, credo, voluit intelligi. Quemadmodum in funeribus justis & indictis servantur præscripti ritus, sic in ea rogatione nihil factum esse contra auspicia. *Idem*. Facit huc quoque quod observavit Henricus Norisius, *Cenotaph. Pisan. Dissert. III. cap.* 1. in funere indictivo nullam fieri vestium publicam mutationem. Vetuerant Consules in Ciceronis calamitate vestes mutari. Vide Orationem *pro Sextio*, cap. 14.

(2) *Si illud jure rogatum dicere ausi sunt, quod nullo exemplo fieri potuit, nulla lege licuit, quia nemo de cælo servarat*) Locum hunc obscurat aliquantisper trajectio vocum, quæ sic ordinandæ sunt: *Si ausi sunt dicere, illud, quod nullo exemplo fieri potuit, nulla lege licuit, jure rogatum esse, quia* (cum rogaretur) *nemo de cælo servarat*. Hoc dicebat Cato de rogatione Clodii adversus Ciceronem. *Ducæus*.

(3) *Oblitine erant*) Vide Orationem pro Domo, cap. 15. In his argumentatur Cicero ad hominem, ut ajunt, & ex concessis. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Nam, si illud*) *Propositionis* approbatio, quæ talis est: *Idem judicium debet esse de iis, quæ eodem modo se habent; Sed acta tum Cæsaris, tum Clodii sunt contra auspicia; Ergo qui Clodii acta defendit, non potest oppugnare acta Cæsaris ob violata auspicia.*

Assumptionem quoad Clodium confirmat per *Soritem*; nam illius acta nulla sunt, nisi jure fuerit Tribunus pl., Tribunus esse jure non potuit, nisi fuerit plebejus; plebejus autem factus est contra auspicia.

cujus tribunatus si ratus est *, nihil est, quod irritum ex actis Cæsaris possit esse, ejus non solum tribunatus, sed etiam perniciosissimæ res, auspiciorum religione conservata **, jure latæ videbuntur?

Quare (*a*) aut vobis statuendum est, legem Æliam manere, legem Fusiam non esse abrogatam, non omnibus fastis legem ferri licere; cum lex feratur, de cælo servari, obnuntiari, intercedi licere; censorium judicium ac notionem, & illud morum severissimum magisterium non esse nefariis legibus de civitate sublatum; si patricius tribunus plebis fuerit, contra leges sacratas, si plebejus, contra auspicia fuisse: aut mihi (*b*) concedant homines oportet, in rebus bonis non exquirere jura ea, quæ ipsi in perditis non exquirunt; præsertim (*c*) cum ab illis aliquoties conditio C. Cæsari lata sit, ut easdem res alio modo ferret: qua conditione auspicia requirebant, leges comprobabant: in Clodio auspiciorum ratio sit eadem, leges omnes sint eversæ ac perditæ civitatis.

P E R O R A T I O.

XX. Extremum (*d*) illud est. Ego, si essent inimicitiæ mihi cum C. Cæsare, tamen hoc tempore reipublicæ consulere, inimicitias in aliud tempus

* Hotom. *Si ratus non est, nihil est, quod ratum.*
** Idem *non servata.*

ANALYSIS.

(a) *Quare*) *Complexio*; aut acta Clodii nulla esse, quod factus fuerit plebejus contra auspicia; aut si ea valeant, valere multo magis acta Cæsaris.

(b) *Aut mihi*) Quam *Comparationem a minori ad majus* ita pertractat:

Multo magis est habenda ratio auspiciorum in perditis, quam in bonis rebus;
Sed justas plerumque tulit leges Cæsar, Clodius omnes iniquas:
Ergo multo magis habenda est ratio auspiciorum in Clodii legibus, quam in legibus Cæsaris.

(c) *Præsertim*) Probat Adversariorum testimonio, Cæsaris leges ut plurimum non fuisse per se improbandas.

(d) *Extremum*) *Epilogus* superiorum, quæ de Cæsare dicta sunt; nam prima pars *Contentionis* de Pisone, & Gabinio suam habet peculiarem *Perorationem*.

pus reservare deberem. Possem etiam summorum virorum exemplo inimicitias reipublicæ causa deponere: sed, cum inimicitiæ fuerint nunquam, opinio injuriæ beneficio sit extincta; sententia mea, Patres Conscripti, si dignitas agitur C. Cæsaris, homini tribuam; si honos quidam, senatus concordiæ consulam; si auctoritas decretorum vestrorum, constantiam ordinis in eodem ornando imperatore servabo; si perpetua ratio Gallici belli, reipublicæ providebo; si aliquod meum privatum officium, me non ingratum præstabo. Atque hoc velim probare omnibus, Patres Conscripti, sed levissime feram, si forte aut iis minus probaro, qui meum inimicum, repugnante vestra auctoritate, texerunt: aut iis, si qui meum cum inimico suo reditum in gratiam vituperabunt, cum ipsi & cum meo, & cum suo inimico in gratiam non dubitarint redire.

EVENTUS.

Piso quidem & Gabinius revocati, retentus Cæsar in sua provincia. Submissus in locum Gabinii M. Crassus, qui proximis comitiis designatus est Consul cum Cn. Pompejo: in locum Pisonis, Q. Ancharius. Et Prætoria quidem Macedonia, Syria vero facta Consularis. Atque ita Pisoni primo quoque tempore successum est, Gabinio non nisi post annum, id est, post Crassi & Pompeji consulatum. *Abram.*



PRO

PRO
L. CORNELIO BALBO.
ORATIO XXXVI.
ARGUMENTUM.

L. Cornelius Balbus Gaditanus fuit. Is, propter operam in re militari præstitam Romanis, a Pompejo donatus est civitate Romana ex lege Gellia Cornelia, qua Pompejo potestas permissa erat homines sigillatim de consilii sententia civitate donandi, quos vellet. Eo præmio cum esset aliquando usus, controversia ei mota est de civitate a Gaditano quodam. Is duobus argumentis erat usus. Primo, quod populus Gaditanus non esset fundus factus legis Galliæ Corneliæ, hoc est, eam non adscivisset & approbasset. Secundo, quod fœdus esset cum populo Gaditano sacrosanctum: quod autem sacrosanctum esset, ejus nulla pars violari, aut auferri posset, neque adeo liceret civem Gaditanis auferre. Defensores nactus est Balbus M. Crassum, Pompejum ipsum, & Ciceronem, a quo causa est perorata. Oratio ejus in his duobus argumentis dissolvendis maxime versatur. Nam primo ostendit, fundum fieri posse populum fœderatum, aut liberum quemcunque, permittente populo Romano, legum tantum civilium, non autem earum, quæ ad imperium populi Romani, bella, victorias pertineant, qualis Gellia Cornelia esset. Deinde, non modo in rogatione Gellia Cornelia nihil, quod sacrosanctum esset, exceptum esse docet, sed etiam fœdus illud non esse sacrosanctum, quod non a populo aut plebe esset sancitum, neque obte-

obtestatione legis, aut consecratione capitis sacratum. Itaque & summos imperatores hominibus e fœderatis populis civitatem impertiisse, eamque rem sæpe senatus auctoritate, ac judicum sententiis, populi denique suffragiis esse comprobatam. ERNESTUS.

ORATIONIS SYNOPSIS.

HUjus Orationis genus est *Judiciale*, an Cornelius jure fuerit Civitate donatus; partes tres, *Exordium*, *Contentio*, & *Peroratio*.

In *Exordio benevolentiam* tum sibi, tum Cornelio conciliat, cum summa laude Pompeji: *Si auctoritates patronorum*.

1. *In Contentione* tuetur Cornelium ab auctoritate Pompeji, cujus illud crimen esset, non Cornelii: *Ac mihi quidem;* deinde fuse probat, non esse reprehendendum, quod Pompejus fecerit: *Qui, si adductus;* cujus auctoritas dubia erat temporis vitio: *Atque ut ego sentio*.

2. A lege Gellia Cornelia, accusatoris interpretationem refellit: *Nascitur, Judices, causa Cornelii*; & a jure mutandæ civitatis: *Sed cum est illud*.

3. A jure fœderum, probatque Gaditanum fœdus non esse sacrosanctum: *At enim quædam fœdera;* cujus jus omne exponit: *Nec vero hæc oratio*.

4. A voluntate, & testimonio ipsorum Gaditanorum: *Sed, quid ego disputo*.

5. Ab Exemplis Marii, Pompeji patris, Syllæ, Metelli, Crassi: *Ac, ne ipsi Gaditani*.

6. A consuetudine, quam invaluisse ostendit apud Judices, populum, & Senatum: *Habetis imperatorum summorum*.

In *Peroratione* respondet iis, quæ ad excitandam in Cornelium invidiam objecta fuerant ab accusatore: *Intelligo, Judices;* ostendit, eum injuria oppugna-

pugnari ab inimicis Pompeji, & Cæsaris: *Quanquam istorum animos;* Tandem Judices movet ad *Misericordiam*, & Orationem concludit: *Sed, si certorum hominum.*

EXORDIUM.

I. SI auctoritates (*a*) patronorum in judiciis valerent, ab amplissimis viris L. Cornelii causa defensa est; si usus, a peritissimis; si ingenia, ab eloquentissimis; si studia, ab amicissimis, & cum beneficiis cum L. Cornelio, tum maxima familiaritate conjunctis. Quæ sunt igitur meæ partes? auctoritatis tantæ, quantam vos in me esse voluistis, usus mediocris, ingenii minime voluntati paris. Nam cæteris (1), a quibus est defensus, hunc debere plurimum video: ego, quantum ei debeam, alio loco ostendam. Principio orationis hoc oppono *, me omnibus, qui amici fuerint saluti & dignitati meæ, si minus referenda gratia satisfacere potuerim, at prædicanda & habenda certe satis esse facturum.

Quæ fuerit (*b*) hesterno die Cn. Pompeji gravitas in dicendo, Judices, quæ facultas, quæ copia,

* Al. *pono*.

(1 *Nam cæteris*) Hotomanus lib. 2. Observat. cap. 20. lacunam hic aliquam putat, & certe oratio non cohæret. *Gruterus*.

ANALYSIS.

(a) *Si auctoritates*) Sibi statim, & Cornelio *Benevolentiam* Cicero conciliat; Cornelio quidem, quod eum dicat Crasso, & Pompejo amicissimum esse, quorum amicitiam Judices etiam plurimi faciebant; ex Arist. l. 2. c. 4. t. 24. sibi vero, quippe fideli in tuendis amicitiis, & viro memori beneficiorum; ibidem, tex. 33.

(b) *Quæ fuerit*) Eamdem ob causam, ut benevolos Judices habeat, sibi difficile fore ait dicere post Pompejum, hoc modo *ab Adjunctis*:

Difficile est causam agere, copiose, & erudite dictam a viro eloquente;

Sed Pompejus vir eloquens copiose, & erudite dixit pro Cornelio;

Ergo mihi difficile est, eamdem nunc agere causam.

Assumptionem amplificat cum summa Pompeji laude, seque id facere profitetur, ut ipsi Pompejo, qui rogaverat, morem gerat.

pia, non opinione tacita vestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari videbatur. Nihil enim unquam audivi, quod mihi de jure subtilius dici videretur, nihil de memoria (1), de more, de exemplis acutius, nihil peritius de foederibus, nihil illustriore auctoritate de bellis, nihil de republica gravius, nihil de ipso modestius, nihil de causa & crimine ornatius: ut mihi jam verum videatur illud esse, quod nonnulli literis * ac studiis doctrinæ dediti, quasi quiddam incredibile dicere putabantur, eum, qui omnes animo virtutes (2) penitus comprehendisset, omnia, quæ facere vellet, facillime tractare. Quæ enim in L. Crasso potuit, homine nato ad dicendi singularem quandam facultatem, si hanc causam ageret, major esse ubertas, varietas, copia, quam fuit in eo, qui tantum potuit impertire huic studio temporis, quantum ipse a pueritia usque ad hanc ætatem a continuis bellis & victoriis conquievit? Quo mihi difficilior est hic extremus perorandi locus. Etenim ei succedo orationi, quæ non prætervecta sit aures vestras, sed in animis omnium penitus insederit: ut plus voluptatis ex recordatione illius orationis, quam non modo ex mea, sed ex cujusquam oratione capere possitis.

II. Sed mos est gerendus non modo Cornelio, cujus ego voluntati in ejus periculis nullo modo deesse possum, sed etiam Cn. Pompejo, qui sui facti, sui judicii, sui beneficii, voluit me esse, ut apud eosdem vos, Judices, nuper in alia causa fuerim, & prædicatorem, & auctorem.

CON-

* Vulg. *nonnulli litterati, ac studiis doctrinisque dediti.*

(1) *Nihil de memoria*) Id est de antiquitate, rebusque propagatis ad memoriam posterorum. *Abram.* Grut. delet *de memoria*, & putat legendum *de more majorum, de exemplis.*

(2) *Qui omnes animo virtutes*) Paradoxum Stoicorum: Virtutes ita inter se esse connexas, ut altera non posset ab altera separari; ac proinde eum, qui unam virtutem habeat, nihil vitii habere admixtum. *Idem.*

CONTENTIO.

Ac mihi (*a*) quidem hoc dignum reo videtur, hoc deberi hujus excellentis viri præstantissimæ gloriæ, hoc proprium esse vestri officii, hoc satis esse causæ, ut, quod fecisse Cn. Pompejum constet, id omnes & licuisse concedant. Nam verius (*b*) nihil est, quam quod hesterno die dixit ipse, ita L. Cornelium de fortunis omnibus dimicare, ut nullius in delicti crimen vocaretur. Non enim furatus esse civitatem, non genus suum ementitus, non in aliquo impudenti mendacio delituisse, non irrepsisse in censum dicitur: unum objicitur, natum esse Gadibus: quod negat nemo. Cæterum accusator fatetur (1), hunc in Hispania, durissimo bello, cum Q. Metello, cum C. Memmio, & in classe, & in exercitu fuisse, &, ut Pompejus in Hispaniam venerit, Memmiumque habere quæstorem cœperit, nunquam a Memmio discessisse: Carthaginem esse profectum: acerrimis illis prœliis & maximis, Sucronensi & Duriensi (2), interfuisse: cum Pompejo ad extremum belli tempus fuisse. Hæc sunt prælia Cornelii: talis in rempublicam nostram labor, assiduitas, dimicatio, virtus digna summo im-

(1) *Cæterum accusator fatetur*) Pal. nonus *cætera*, ut & alias exemplar S. Victoris. *Grut.* In Erfurt. est quoque *cætera*. Cur id rejecerunt? *Grævius*.

(2) *Sucronensi & Duriensi*) Ita dicta a Sucrone & Duria fluviis Hispaniæ.

ANALYSIS.

(a) *Ac mihi*) Prima Cornelii defensio sumitur ab auctoritate Pompeji, quam multis argumentis pertractat, & in primis hac ratione *a Causis:*

Ille dare pœnas non debet, cui nullum crimen objicitur ab accusatore;

Sed in Cornelium nihil dicit accusator, & quod objicit, Pompeji crimen est;

Ergo nullas dare pœnas Cornelius debet.

(b) *Nam verius*) *Assumptio*, quam fuse probat; accusator enim neque irrepsisse in Civitatem Cornelium contendebat, & summa illius in Remp. merita fatebatur, factum autem Pompeji tantummodo reprehendebat.

imperatore, ſpes pro periculis præmiorum. Præmia quidem ipſa non ſunt in ejus facto (1), qui adeptus eſt, ſed in ejus, qui dedit.

III. Donatus igitur eſt ob eas cauſas a Cn. Pompejo civitate. Id accuſator non negat, ſed reprehendit; ut in Cornelio cauſa ipſius probetur, pœna quæratur, in Pompejo cauſa lædatur, (2), pœna ſit nulla. Sic famam, ſic innocentiſſimi hominis fortunas, præſtantiſſimi imperatoris factum condemnari volunt. Ergo in judicium caput Cornelii, factum Pompeji vocatur. Hunc enim in ea civitate, in qua ſit natus, honeſtiſſimo loco natum eſſe concedis, & ab ineunte ætate, relictis rebus ſuis omnibus, in noſtris bellis, noſtris cum imperatoribus eſſe verſatum, nullius laboris, nullius obſidionis, nullius prælii expertem fuiſſe. Hæc ſunt omnia cum plena laudis, tum propria Cornelii: nec in his rebus crimen eſt ullum.

Ubi igitur eſt crimen? quod eum Pompejus civitate donavit. Hujuſcemodi * crimen? minime: niſi honos ignominia putanda eſt. Cujus igitur? Revera nullius: actione accuſatoris, ejus unius, qui donavit. Qui ſi ** adductus (*a*) gratia, minus idoneum hominem præmio affeciſſet, qui etiam ſi virum

* Vulg. *Hujuſce ne.* ** Al. *quaſi.*

(1) *Non ſunt in ejus facto*) Si datam in præmium laborum civitatem arguis, non reprehendis factum Cornelii, qui jam illam meruerat, ſed Pompeji, qui dederat, quod dare non debebat. *Ferratius.*

(2) *Cauſa lædatur*) Improbetur cauſa. Quaſi enim facere non debuerit id quod fecit, ita factum illius damnatur; non ut in eum tamen pœna recidat, ſed ut in Balbum. *Manut.*

ANALYSIS.

(*a*) *Qui ſi adductus*) Deinde ita factum Pompeji tuetur *a Comparatione minorum*:

Si feciſſe diceretur Pompejus, quod non oportebat, ea reprehenſio eſſet repudianda;

Sed feciſſe arguitur pro Cornelio, quod facere non licebat;

Ergo illius facti reprehenſio multo magis eſt repudianda.

Propoſitio hic habetur.

rum bonum, sed non ita meritum, si denique aliquid, quod non contra, ac liceret, factum diceretur, sed contra, atque oporteret, tamen esset omnis ejusmodi reprehensio a vobis, Judices, repudianda. Nunc vero (*a*) quid dicitur? quid ait accusator? fecisse Pompejum* quod ei facere non licuerit? quod gravius est, quam si id factum ab eo diceret, quod non oportuisset. Est enim aliquid, quod non oporteat, etiam si licet: quidquid vero non licet, certe non oportet.

IV. Hic ego nunc cuncter** sic agere, Judices, non esse fas dubitari, quin, quod Cn. Pompejum fecisse constet, id non solum decuisse***, sed etiam debuisse fateamur? Quid enim abest huic homini, quod si adesset, jure hoc tribui & concedi putaremus? Ususne (*b*) rerum? qui pueritiæ tempus extremum, principium habuit bellorum atque imperiorum maximorum? cujus plerique æquales minus sæpe castra viderunt, quam hic triumphavit? qui tot habet triumphos, quot oræ sunt partesque terrarum? tot victorias bellicas, quot sunt in rerum natura genera bellorum? An ingenium? cum etiam ipsi casus eventusque rerum, non duces, sed comites ejus consiliorum fuerint? in quo uno ita summa fortuna cum summa virtute certavit, ut omnium judicio plus homini, quam deæ tribue-

* Al. *quid ait accusator fecisse Pompejum? quod ei facere non licuerit.*
** Vulg. *coner.* *** Al. *licuisse.*

ANALYSIS.

(a) *Nunc vero*) *Assumptio*; cum enim diceret accusator, neque licuisse, neque proinde oportuisse, id fieri a Pompejo, sic eum refutat Cicero *ab Adjunctis* personæ:

Non est dubitandum, decuisse id, & debuisse, quod constet factum ab eo, in quo inest usus rerum, ingenium, virtus omnis, & auctoritas;
Sed in Pompejo hæc omnia insunt;
Ergo non est dubitandum, quin id & decuerit, & debuerit, quod constat factum ab ipso pro Cornelio.

(b) *Ususne*) *Assumptio* per omnes partes distributa, & amplificata *ab Effectis*.

bueretur (1)? An pudor, an integritas, an religio in eo, an diligentia unquam requisita est? Quem provinciæ nostræ, quem liberi populi, quem reges, quem exteræ gentes, castiorem, moderatiorem, sanctiorem, non modo viderunt, sed aut sperando unquam, aut optando cogitaverunt?

Quid dicam de auctoritate? quæ tanta est, quanta in his tantis virtutibus ac laudibus esse debet. Cui senatus (*a*) populusque Romanus amplissimæ dignitatis præmia dedit, non postulanti imperia, verum etiam recusanti (2), hujus de facto, Judices, ita quæri, ut id agatur, licueritne ei facere, quod fecit, an vero, non dicam, non licuerit, sed nefas fuerit, (contra fœdus enim, id est, contra populi Romani religionem & fidem fecisse dicitur) non turpe populo Romano? nonne vobis?

V. Audivi (*b*) hoc de parente meo puer, cum Q. Metellus, Lucii filius, causam de pecuniis repetundis diceret, ille, ille vir, cui patriæ salus dulcior, quam conspectus fuit, qui de civitate decedere, quam de sententia maluit, hoc igitur causam dicente, cum ipsius tabulæ circumferrentur inspiciendi nominis causa, fuisse judicem ex illis equitibus Romanis, gravissimis viris, neminem, quin removeret oculos (3), & se to-

(1) *Plus homini quam deæ tribueretur*) Restitui locum peregregie auctoritate Pal. noni, Turing. & S. Victor. Prius cusi, *quam decet trib.* Nam illud nuperum, *plus homini quam possit, minus quam decet*, argutum quidem est, sed non etiam firmatum editione aliqua veteri. Vult ergo nostra lectio plus debuisse Pompejum virtuti suæ, quam fortunæ. *Gruterus*.

(2) *Non postulanti : imperia vero etiam recusanti*) Ego sic, vel contra veteres omnes libros, sententiam secutus emendavi. Antea vero, *Non postulanti imperia*, *verum etiam recusanti*. De quo tamen liberum cuique judicium relinquo. *Manut.*

(3) *Quin removeret oculos*) Scribit ad Attic. lib. 1. eandem

ANALYSIS.

(a) *Cui senatus*) *Complexio* illustrata ab auctoritate Senatus, & populi R.

(b) *Audivi*) Hoc idem confirmat duabus *Comparationibus*, Q. Metelli Numidici, cujus tabulas in judicio de repetundis videre neminem Judicum voluit, & Xenocratis, quem in dicendo testimonio jurare passi non sunt Athenienses; utrumque exemplum habetur Ep. 11. lib. 1. ad Att.

tum averteret, ne forte, quod ille in tabulas publicas retulisset, dubitasse quisquam, verumne an falsum esset, videretur. Nos Cn. Pompeji decretum, judicium, de consilii sententia pronuntiatum recognoscemus? cum legibus conferemus? cum fœderibus, omnia acerbissima diligentia, perpendemus *?

Athenis ajunt, cum quidam apud eos (1), qui sancte graviterque vixisset, & testimonium publice dixisset, & (ut mos Græcorum est) jurandi causa ad aras accederet, una voce omnes judices, ne is juraret, reclamasse. Cum Græci homines, spectati viri noluerint religione videri potius, quam veritate, fidem esse constrictam, nos etiam in ipsa religione & legum & fœderum conservanda, qualis fuerit Cn. Pompejus, dubitabimus?

Utrum enim (a) inscientem vultis contra fœdera fecisse, an scientem? Si scientem (b), o nomen nostri imperii! o populi Romani excellens dignitas! o Cn. Pompeji sic late longeque diffusa laus, ut ejus gloriæ domicilium communis imperii finibus terminetur! o nationes, urbes, populi, reges, tetrarchæ, tyranni, testes Cn. Pompeji non solum virtutis in bello, sed etiam religionis in pace! vos denique mutæ regiones imploro, & sola terrarum ultimarum, vos maria, portus, insulæ, litoraque. Quæ est enim ora, quæ

rem his verbis: *Tabulas Metelli Numidici, cum eæ, ut mos est, circumferrentur, nostri judices adspicere noluerunt.* Et Valerius Max. lib. II. cap. 10. *Man.*

* Vict. Man. Lamb. *cum fœderibus, quorum acerbissima* (Lamb. *acerrima*) *diligentia est, pertendemus.*

(1) *Cum quidam apud eos*) Quem hic non nominat, Xenocratem philosophum fuisse & ipse dicit lib. 1. ad Attic. & Valerius Max. II. 2. & Laertius. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Utrum enim*) Quo magis id manifestum fit, hoc utitur *Dilemmate*:

Aut sciens, aut insciens Pompejus fecit id, quod non licebat;
Sed neque sciens, neque insciens id fecisse dicendus est;
Ergo nullo modo id fecit, quod non licebat.

(b) *Si scientem*) *Dilemmatis* prima pars approbata a rebus Pompeji optime gestis, & summa ejusdem virtute.

quæ ſedes, qui locus, in quo non extent hujus cum fortitudinis, tum vero humanitatis, tum animi, tum conſilii impreſſa veſtigia? Hunc quiſquam incredibili quadam atque inaudita gravitate, virtute, conſtantia præditum, fœdera ſcientem neglexiſſe, violaſſe, rupiſſe, dicere audebit?

VI. Gratificatur (*a*) mihi geſtu accuſator: inſcientem Cn. Pompejum feciſſe ſignificat. Quaſi vero levius ſit, cum in tanta republica verſere, & maximis negotiis præſis, facere aliquid, quod ſcias non licere, an omnino neſcire quid liceat. Etenim (*b*) cum in Hiſpania bellum acerrimum & maximum geſſerat, quo jure Gaditana civitas eſſet, neſciebat? An, cujus linguam populi non noſſet, interpretationem fœderis non tenebat? Id igitur (*c*) quiſquam Cn. Pompejum ignoraſſe dicere audebit, quod mediocres homines, quod nullo uſu, nullo ſtudio militari præditi, quod librarioli denique ſcire profiteantur?

Equidem contra exiſtimo, Judices, cum in omni genere ac varietate artium, etiam illarum, quæ ſine ſummo otio non facile diſcuntur, Cn. Pompejus excellat, ſingularem quandam laudem ejus, & præſtabilem eſſe ſcientiam in fœderibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum, exterarum nationum, in univerſo denique belli jure ac pacis. Niſi forte, quæ nos libri docent in umbra & otio, ea Cn. Pompejum, neque cum requieſceret, literæ, neque cum rem gereret, res ipſæ docere potuerunt.

ANALYSIS.

(a) *Gratificatur*) Secundam partem ita pertractat, ut in primis oſtendat æque turpe videri, ſcientem peccare Imperatorem, & neſcire ea, quæ ſibi facere liceat.

(b) *Etenim*) Deinde, quod id minime ſit in Pompejo probabile.

(c) *Id igitur*) Tertio *a Comparatione minorum*, hoc modo:
Probabilius eſt ſcire fœdera, & jura Civitatum Pompejum, quam reliquos homines;
Sed & mediocres homines ea norunt;
Ergo multo magis Pompejus.

Atque ut (*a*) ego sentio, Judices, causa dicta est temporis magis vitio (1), quam ullius Cornelii crimine: de quo plura non dicam. Ego de hujus, inquam, genere judicii plura non dicam. Est enim hujus seculi labes quædam & macula, virtuti invidere, velle ipsum florem dignitatis infringere. Etenim (*b*) si Cn. Pompejus abhinc annos quingentos fuisset, is vir, a quo senatus adolescentulo, atque equite Romano, sæpe communis salutis auxilium expetisset, cujus res gestæ omnes gentes cum clarissima victoria terra marique peragrassent, cujus tres triumphi testes essent, totum orbem terrarum nostro imperio teneri, quem populus Romanus singularibus honoribus decorasset, si nunc apud vos, id, quod is fecisset, contra fœdus factum diceretur, quis audiret? Nemo profecto. Mors enim cum extinxisset invidiam, res ejus gestæ sempiterni nominis gloria niterentur. Cujus igitur (*c*) audita virtus dubitationi locum non daret, hujus præsens, experta atque perspecta, obtrectatorum voce lædetur?

VII. Omittam (*d*) igitur Pompejum jam oratione mea

(1) *Temporis magis vitio*) Hujus loci restitutio debetur P. Danesio. Utrum autem ex aliquo antiquo codice sumpta sit, an a Danesio excogitata, nescio. *Lambinus*, Vulg. *causa dicta est temporis magis, ego non hujus, inquam, genere judicii plura dicam. Est enim.* &c. Pantag. *causa dicta est Pompeji magis, quam hujus. Quo in genere judicii plura non dicam.*

ANALYSIS.

(a) *Atque ut*) Pompeji auctoritatem ait in dubium vocari invidia quadam, & vitio temporis; sic enim arguit *a Pari*:

Si quingentos abhinc annos Pompejus fuisset, & nunc fecisse eum quippiam contra fœdera diceretur, nemo audiret;

Ergo neque audiendus est, qui hoc in præsentem dicit, & si quis audit, facit id ex invidia.

(b) *Etenim*) Prima pars a Pompeji rebus gestis, & illi delatis honoribus.

(c) *Cujus igitur*) Secunda pars.

(d) *Omittam*) Transitus ad ea, quæ magis propria sunt Causæ; repetit autem quam sibi difficile sit extremo loco dicere, & Judicum invidiam avertit a Cornelio. Sic igitur arguit *a Pari*:

Quod aliis non nocuit, ne Cornelio quidem nocere debet;

Sed aliis, quos virtus, & ingenium ad divitias, & honores extulit, invidia non nocuit;

Ergo neque Cornelio, qui eadem ingenio, & virtute consecutus est.

mea reliqua : ſed vos, Judices, animis ac memoria tenetote. De lege, de fœdere, de exemplis, de perpetua conſuetudine civitatis noſtræ renovabo ea, quæ dicta ſunt. Nihil enim mihi novi, nihil int gri neque M. Craſſus, qui totam cauſam & pro facultate & pro fide ſua diligentiſſime vobis explicavit, neque Cn. Pompejus, cujus oratio omnibus ornamentis abundavit, ad dicendum reliquit. Sed quoniam, me recuſante, placuit ambobus adhiberi hunc a me quaſi perpoliendi quendam operis extremum laborem, peto a vobis, ut me officii potius, quam dicendi ſtudio, hanc ſuſcepiſſe operam ac munus putetis.

Ac prius quam aggrediar ad jus cauſamque Cornelii, quiddam de communi conditione omnium noſtrum, deprecandæ malevolentiæ cauſa, breviter commemorandum videtur. Si quo quiſque loco noſtrum eſt, Judices, natus, aut ſi in qua fortuna eſt naſcendi initio conſtitutus, hunc vitæ ſtatum uſque ad ſenectutem obtinere debet, & ſi omnes, quos aut fortuna extulit, aut ipſorum illuſtravit labor & induſtria, pœna ſunt afficiendi; non gravior L. Cornelio, quam multis viris bonis atque fortibus, conſtitui lex vitæ & conditio videtur. Sin autem multorum virtus, ingenium, humanitas, ex infimo genere & fortunæ gradu non modo amicitias, & rei familiaris copias conſecuta eſt, ſed ſummam laudem, honores, gloriam, dignitatem, non intelligo, cur potius invidia violatura virtutem L. Cornelii, quam æquitas veſtra pudorem ejus adjutura videatur. Itaque, quod maxime petendum eſt, a vobis idcirco non peto, Judices, ne de veſtra ſapientia, atque de veſtra humanitate dubitare videar. Eſt autem petendum, ne oderitis ingenium, ne inimici ſitis induſtriæ, ne humanitatem opprimendam, ne virtutem puniendam putetis. Illud peto, ut ſi cauſam ipſam per ſe firmam eſſe & ſtabilem videritis, hominis ipſius

ornamenta adjumento causæ potius, quam impedimento esse malitis.

VIII. Nascitur (*a*), Judices, causa Cornelii ex ea lege, quam L. Gellius, Cn. Cornelius ex senatus sententia tulerunt: qua lege videmus, satis esse sanctum, uti cives Romani sint ii, quos Cn. Pompejus de consilii sententia sigillatim civitate donaverit. Donatum esse L. Cornelium præsens Pompejus dicit, indicant publicæ tabulæ, accusator fatetur: sed negat ex fœderato populo quemquam potuisse, nisi is populus fundus factus esset (1), in hanc civitatem venire.

O præclarum (*b*) interpretem juris! auctorem antiquitatis! correctorem atque emendatorem nostræ civitatis! qui hanc pœnam fœderibus adscribat,

(1) *Nisi is populus fundus factus esset*) Vide quid de hac locutione & re, memoriæ prodiderint viri doctissimi: Sigonius lib. 1. de jure Italiæ cap. 4. & dissertationes de populis fundis Nicolai Rigaltii, Ismaelis Bullialdi, & Henrici Valesii, quæ sunt in nostro Antiquitatum Romanarum Thesauro, tomo II. Recte vero Valesius ὁ πάνυ observavit, fundum, cum de populis dicatur, non significare statum quendam aut conditionem populorum, eo modo, quo, cum populus liber aut fœderatus, ac socius appellatur, status & conditio illius declarari solet. Fundum enim populum nihil aliud esse, quam auctorem, subscriptoremque. Itaque populum non dici fundum esse, sed fundum fieri. Quæ sunt certissima & verissima. Nam *fundum alicui rei* esse, nihil aliud est, quam auctorem alicui rei esse, rem aliquam approbare, & auctoritate sua efficere, ut illa res rata sit, ut patet ex Plauti, Festi, Gellii locis, quæ viri docti attulerunt, & magis patebit ex sequentibus, cum singula hujus orationis argumenta expendemus. *Grævius*. Videantur ejusdem Henrici Valesii Posthuma, edita Amstelodami, anno proxime elapso 1740. Scripserat J. F. Gronovius luculentam diatribam, ex qua profecisse ajunt Grævium. Tanto melior. *Verum hæc ipse equidem, spatiis exclusus iniquis, prætereo, &* Jurisperitis *commemoranda relinquo*. Olivetus.

A N A L Y S I S.

(a) *Nascitur*) Accedit ad ipsam legem Gelliam Corneliam, de qua in argumento, qua lege ostendit Civem factum Cornelium. Deinde refert objectum accusatoris, negantis posse quemquam ex fœderatis Civem Romanum fieri, nisi populus fundus factus fuerit, hoc est illi rei consenserit.

(b) *O præclarum*) *Exclamatio* ironica in adversarium, quem in primis arguit imperitiæ, quod solis tribueret fœderatis, quod commune erat omnium liberorum, ut populi ipsi fundi essent.

bat, ut omnium præmiorum beneficiorumque nostrorum expertes faciat fœderatos. Quid enim potuit dici imperitius, quam fœderatos populos fieri fundos oportere? Nam id non magis est proprium fœderatorum, quam omnium liberorum. Sed totum (*a*) hoc, Judices, in ea fuit positum semper ratione atque sententia, ut, cum jussisset populus Romanus aliquid, si id adscivissent socii populi ac Latini, & si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in fundo, resedisset, ut tum lege eadem is populus teneretur; non ut de nostro (*b*) jure aliquid minueretur, sed ut illi populi aut jure eo, quod a nobis esset constitutum, aut aliquo commodo, aut beneficio uterentur.

Tulit apud (*c*) majores nostros legem C. Furius de testamentis, tulit Q. Voconius de mulierum hereditatibus, innumerabiles aliæ leges de civili jure sunt latæ. Quas Latini voluerunt, adsciverunt. Ipsa denique Julia (1), qua lege civitas est sociis & Latinis data, qui fundi populi facti

(1) *Julia*) Hæc & ipsa pertinebat ad jus privatum populi Rom. ut Furia, & Voconia. Nam lex Julia erat de civitate cum sociis & Latinis communicanda. Civitas autem est juris privati, ut me monuit Carolus Annibal Fabrottus, doctissimus antecessor. *H. Vales.*

ANALYSIS.

(a) *Sed totum*) Ejus etiam interpretationem reprehendit, hoc modo:

Populus fundus esse debet in iis rebus, quæ ipsi populo sunt utiles, non in iis, quæ imperio nostro utiles sunt;

Sed imperio nostro utile est, posse nos dare Civitatem benemeritis sociorum, & fœderatorum;

Ergo ut demus Civitatem benemeritis sociorum, & fœderatorum, non est necesse, populos fundos fieri.

Propositionis prima pars tantum hic habetur.

(b) *Non ut de nostro*) Secunda pars; & paulo post clarius utramque exponit.

(c) *Tulit apud*) *Propositionis* quoad primam partem approbatio; non enim Latini populi legibus tenerentur Fusia, & Voconia, neque Civitatem obtinuissent lege Julia, nisi ultro eas, quippe sibi utiles, approbassent.

non essent, civitatem non haberent. In quo magna contentio Heracliensium, & Neapolitanorum (1) fuit, cum magna pars in iis civitatibus fœderis sui libertatem (2) civitati anteferret: postremo hæc vis est istius & juris, & verbi, ut fundi populi, beneficio nostro, non suo jure, fiant (3). Cum aliquid populus Romanus jussit, id si est ejusmodi (4), ut quibusdam populis sive fœderatis, sive liberis (5) permittendum esse

(1) *In quo magna contentio Heracliensium, & Neapolitanorum*) Cum lex Julia Romæ lata esset, qua civitas sociis in Italia & Latinis dabatur, Neapolitani & Heraclienses concionem populi advocarunt, ut in commune consulerent, quidnam facto opus esset: utrum beneficium sibi oblatum amplecterentur, an repudiarent. Multi in iis civitatibus reperti sunt, qui eum honorem civitatis Romanæ aspernarentur, mallentque fœderati esse quam cives Romani. *Idem*.

(2) *Fœderis sui libertatem*) Fœderati enim liberi erant, ut docet Proculus in leg. 7. ff. de capt. & postl. reverf. Hæc autem libertas fœderis adimebatur civitate Romana: populus enim, qui in civitatem Romanam transierat, fœderatus populi Romani amplius esse non poterat. Consensum autem ipsorum populorum intercedere oportebat, ut civitatem Romanam adipiscerentur. Invito quippe beneficium non datur. Hinc est quod Livius dicit, Prænestinos ob virtutem civitate donatos non mutavisse: quod idem est ac si diceret, fundos factos non fuisse. *Idem*. Vulg. *juris sui*.

(3) *Ut fundi populi, beneficio nostro, non suo jure, fiant*) Non enim jus habent populi liberi ac fœderati adsciscendi leges populi Romani, easque sua sententia ac suffragio comprobandi, sed ut id faciant permittit populus Romanus: nec leve illud erat beneficium populi Romani, ut partem juris sui cum sociis & Latinis communicaret. *Vales*.

(4) *Id si est ejusmodi*) Non igitur omnia jussa & scita populi Romani permittebantur adsciscere socii ac fœderati, uti ex hoc loco liquet manifestissime. Quænam autem essent illa, quæ non permittebantur fœderatis, docet mox Tullius, quæ scilicet ad remp., ad imperium, & ad statum rei Romanæ pertinebant. *Idem*.

(5) *Ut quibusdam populis sive fœderatis, sive liberis*) Sic fœderatos & liberos jungit Proculus in leg. VII. citata. Fœderati quidem populi sunt liberi, ut jam dixi, sed non omnes liberi populi sunt fœderati. *Liber populus*, ait Proculus, *est is, qui nullius alterius populi potestati est subjectus: sive is fœderatus est*, &c. Liber ergo generis vicem obtinet. Populi enim alii sunt liberi, alii stipendiarii; ex liberis alii fœderati, alii sine fœdere. Per liberos autem populos intelligere videtur Cicero, socios atque amicos populi Romani, quibuscum fœdus nullum scriptum intercedebat, ut patet ex illis, *Sed cum est illud imperitissime dictum de populis fundis*, &c. *Idem*.

se videatur (1), ut statuant ipsi non de nostris, sed de suis rebus (2), quo jure uti velint, tum, utrum fundi facti sint, an non, quærendum esse videatur. De nostra vero republica, de nostro imperio, de nostris bellis, de victoria, de salute, fundos populos fieri noluerunt (3).

IX. Atqui (*a*) si imperatoribus nostris (4), si se-

(1) *Permittendum esse videatur*) Hæc permissio dupliciter intelligi potest, primo, ut Romani petentibus sociis ac fœderatis id permiserint, ut leges suas adsciscerent, quemadmodum doctissimus Bullialdus censuit. Secundo, ut id fieri passi fuerint Romani, & dissimulaverint, quæ tacita permissio dici potest. Certe Cicero id postulatum fuisse non dicit. *Idem*.

(2) *Ut statuant ipsi non de nostris, sed de suis rebus*) Hoc est, quod Cicero paulo post dicit: *Videbat enim populos de suo jure, non de nostro fundos fieri solere*. Ex quo patet, fundum fieri nihil aliud esse, quam statuere & velle, seu auctorem esse, & sententia atque auctoritate sua aliquid comprobare. Notandum porro discrimen est inter hæc duo, *suo jure*, & *de suo jure*. Populi non fiebant fundi suo jure, sed beneficio populi Romani, fiebant autem fundi de suo jure, ut de suis rebus statuerent. *Vales*.

(3) *De nostra vero republica, de nostro imperio, de nostris bellis, de victoria, de salute, fundos populos fieri noluerunt*) Id est, majores nostri noluerunt, ut populi liberi fœderati de republica nostra, de bellis ac victoriis quidquam statuerent, nempe ut eas leges, quæ ad statum rei Romanæ pertinerent, sibi adsciscerent. Fere enim in eas leges, quæ de jure civili latæ essent, fundi populi fiebant, non vero in eas leges, quæ ad jus publicum populi Romani spectabant. *Idem*. Vide *Indiculum Legum*.

(4) *Atqui si imperatoribus nostris, &c.*) Ut hæc cum superioribus cohæreant sic interpretari oportet. Atqui si imperatoribus nostris, & senatui, & populo non licebit fortissimum quemque ex fœderatis & sociis civitate donare, nisi fundi, id est auctores facti fuerint fœderati, statuentur de nostro imperio, de nostra republica, de nostro jure, de nostris bellis ac

ANALYSIS.

(a) *Atqui*) *Assumptio* approbata *a Contrariis*; unde aliud argumentum eruit, quod sic se habet *ab Effectis*:

Si populum fieri fundum necesse est, ut quis ex fœderatis Civis Romanus fiat, aut nos fœderatorum auxilio, aut fœderati laborum suorum præmio carebunt;
Sed utrumque iniquum est;
Ergo talis interpretatio illius juris, & vocis falsa est.

si senatui, si populo Romano non licebit, propositis præmiis, elicere ex civitatibus sociorum atque amicorum fortissimum atque optimum quemque ad subeunda pro salute nostra pericula, summa utilitate, ac maximo sæpe præsidio in periculis, atque asperis temporibus carendum erit. Sed, per deos (*a*) immortales! quæ est ista societas, quæ amicitia, quod fœdus, ut aut nostra civitas careat in suis periculis Massiliensi propugnatore, careat Gaditano, careat Saguntino, aut si quis ex illis populis sit exortus, qui nostros duces auxilio laboris *, commeatus, periculo suo juverit, qui cum hoste nostro cominus in acie sæpe pugnarit, qui se sæpe telis hostium, qui dimicationi capitis, qui morti objecerit, nulla conditione hujus civitatis præmiis affici possit?

Etenim (*b*) in populum Romanum grave est, non posse uti sociis excellenti virtute præditis, qui velint cum periculis nostris sua communicare; in socios vero ipsos, & in eos, de quibus agimus, fœderatos, injuriosum & contumeliosum est, his præmiis & his honoribus exclusos esse fidelissimos & conjunctissimos socios, quæ pateant stipendiariis, pateant hostibus, pateant sæpe servis. Nam & stipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, cæteris provinciis multos civitate donatos videmus: &, qui

ac victoriis, atque ita in eorum potestate situm erit, an fortissimos viros in nostram civitatem adsciscamus, privabuntque nos, si voluerint, opera atque auxilio fortissimorum virorum. *Idem*.

* Vulg. *auxilio*, *labore*, *commeatu*.

ANALYSIS.

(a) *Sed, per deos*) *Assumptionis* utraque pars.

(b) *Etenim*) Ejusdem approbatio; & pro secundo membro sic arguit *a Comparatione minorum*:

Ea præmia non sunt deneganda sociis, & fœderatis, quæ dantur stipendiariis, servis, & hostibus;

Sed Civitas Romana præmium est aliquando stipendiariis, servis, & hostibus;

Ergo multo minus denegari debet sociis, & fœderatis.

qui hoſtes ad noſtros imperatores perfugiſſent, & magno uſui reipublicæ noſtræ fuiſſent, ſcimus civitate eſſe donatos: ſervos denique, quorum jus & fortunæ conditio infima eſt, bene de republica meritos perſæpe libertate, id eſt, civitate publice donari videbamus *.

X. Hanc tu igitur, patrone fœderum ac fœderatorum, conditionem ſtatuis Gaditanis, tuis civibus, ut, quod iis, quos Gaditanis adjutoribus armis ſubegimus, atque in ditionem noſtram redegimus, liceat, ſi populus Romanus permiſerit, ut ab ſenatu, ab imperatoribus noſtris civitate donentur, id ne liceat ipſis? qui ſi ſuis (*a*) decretis legibuſve ſanxiſſent, ne quis ſuorum civium caſtra imperatorum populi Romani iniret, ne quis ſe pro noſtro imperio in periculum capitis, atque in vitæ diſcrimen inferret, Gaditanorum auxiliis, cum vellemus, uti nobis non liceret: privatim vero, ne quis vir & animo & virtute præcellens pro noſtro imperio, periculo ſuo, dimicaret, graviter id jure ferremus, minui auxilia populi Romani, debilitari animos fortiſſimorum virorum, alienigenarum nos hominum ſtudiis, atque externa virtute privari.

Atqui (*b*) nihil intereſt, Judices, utrum hæc fœderati jura conſtituant, ut ne cui liceat ex his civitatibus ad noſtrorum bellorum pericula accedere, an, quæ nos eorum civibus, virtutis cauſa, tribuerimus, ea rata eſſe non poſſint. Nihil enim ma-

* Al. *judicamus*.

ANALYSIS.

(a) *Qui ſi ſuis*) Cum ſuperiori argumento oſtenderit, interpretationem accuſatoris alterutris eſſe iniquam, vel Romanis, vel fœderatis; nunc probat, omnino Romanæ Reip. pernicioſam eſſe, hoc modo *ab Effectis*:

Pati non debemus, minui nobis auxilia ſociorum;
Sed ſublatis virtutis præmiis, ſociorum auxilia nobis deerunt;
Ergo interdici virtutis, & laborum præmia pati non debemus.
Qui ſi ſuis) *Propoſitio.*
(b) *Atqui*) *Aſſumptio.*

magis uteremur his adjutoribus, sublatis præmiis virtutis, quam si omnino his versari in nostris bellis non liceret. Etenim (*a*), cum pro sua patria pauci post genus hominum natum reperti sint, qui nullis præmiis propositis, vitam suam hostium telis objecerint, pro aliena republica quemquam fore putatis, qui se opponat periculis, non modo nullo proposito præmio, sed etiam interdicto?

XI. Sed cum est (*b*) illud imperitissime dictum de populis fundis, quod commune est liberorum populorum, non proprium fœderatorum, ex quo intelligi necesse est, aut neminem ex sociis civem fieri posse, aut etiam posse ex fœderatis, tum vero jus omne noster iste magister mutandæ civitatis ignorat, quod est, Judices, non solum in legibus publicis positum, sed etiam in privatorum voluntate. Jure enim (*c*) nostro neque mutare civitatem quisquam invitus potest, neque, si velit, mutare non potest, modo adsciscatur ab ea civitate, cujus esse se civitatis velit: ut, si Gaditani sciverint nominatim de aliquo cive Romano, ut sit is civis Gaditanus, magna potestas sit nostro civi mutandæ civitatis, nec fœdere impediatur, quo minus ex cive Romano civis Gaditanus possit esse.

Dua-

A N A L Y S I S.

(a) *Etenim*) *Assumptionis* approbatio *a majori ad minus*; nam si pauci se opponunt periculis pro Patria; nullo proposito præmio, quanto minus pro aliena Rep., omni præmio interdicto?

(b) *Sed, cum est*) Transit ad aliam disputationem de jure mutandæ civitatis, quam sic petractat:

Non minus Romana Civitas patere debet Gaditanis, quam Gaditana Civibus Romanis;
Sed quilibet civis Romanus fieri potest civis Gaditanus, si velit ipse, & Gaditani recipiant;
Ergo iisdem conditionibus Gaditani etiam fieri possunt cives Romani.

(c) *Jure enim*) *Assumptio*; tres autem modos assignat, quibus Romana civitas amittebatur; exilio, si quis damnatus judicio publico alia Civitate receptus fuisset; postliminio, si quis donatus civitate Romana in priorem patriam revertisset; rejectione, si quis ultro in aliam se Civitatem transtulisset.

Duarum civitatum civis esse nostro jure civili nemo potest: non esse hujus civitatis civis, qui se alii civitati dicarit, potest. Neque solum dicatione, quod in calamitate clarissimis viris Q. Maximo, C. Lænati, Q. Philippo Nuceriæ, C. Catoni Tarracone, Q. Cæpioni, P. Rutilio Smyrnæ vidimus accidisse, ut earum civitatum fierent cives, hanc ante amittere non potuissent, quam hujus solum civitatis mutatione vertissent, sed etiam postliminio potest civitatis fieri mutatio. Neque enim sine causa de Cn. Publicio Menandro, libertino homine, quem apud majores legati nostri in Græciam proficiscentes interpretem secum habere voluerunt, ad populum latum, ut is Publicius, si domum revenisset, & inde Romam rediisset, ne minus civis esset. Multi etiam superiore memoria cives Romani sua voluntate indemnati & incolumes, his rebus relictis, alias se in civitates contulerunt.

XII. Quod si (*a*) civi Romano licet esse Gaditanum sive exilio, sive postliminio, sive rejectione hujus civitatis (ut jam ad fœdus veniam, quod ad causam nihil pertinet, de civitatis enim jure, non de fœderibus disceptamus) quid est, quamobrem civi Gaditano in hanc civitatem venire non liceat? Equidem longe secus sentio. Nam cum ex omnibus civitatibus via sit in nostram, cumque nostris civibus pateat iter ad cæteras civitates, tum vero, ut quæque nobiscum maxime societate, amicitia, sponsione, pactione, fœdere conjuncta est, ita mihi maxime communionem beneficiorum; præmiorum, civitatis continere videtur.

Atqui (*b*) cæteræ civitates omnes * non dubitarent no-

* Vulg. *civitates non dubitarent nostros omnes*.

A N A L Y S I S.

(a) *Quod si*) *Propositio*; hanc autem civitatis communionem ab iis maxime civitatibus admittendam esse contendit, quæ vel pactione, vel fœdere conjunctæ sunt, ut erant Romana, & Gaditana.

(b) *Atqui*) Non mirum esse ait, si pauci ex Romanis in alie-

nostros recipere in suas civitates, si idem nos juris haberemus, quod cæteri: sed nos non possumus & hujus esse civitatis, & cujusvis præterea; cæteris concessum est. Itaque in Græcis civitatibus videmus, Athenis Rhodios, Lacedæmonios, cæteros undique adscribi, multarumque esse eosdem homines civitatum. Quo errore ductos vidi egomet nonnullos imperitos homines, nostros cives, Athenis in numero judicum atque Areopagitarum, certa tribu, certo numero, cum ignorarent, si illam civitatem essent adepti, hanc se perdidisse, nisi postliminio recuperassent. Peritus vero nostri juris ac moris nemo unquam, qui hanc civitatem retinere vellet, in aliam civitatem se dicavit.

XIII. Sed hic (*a*) totus locus disputationis atque orationis meæ, Judices, pertinet ad commune jus mutandarum civitatum: nihil habet, quod sit proprium religionis, ac fœderum. Defendo enim rem universam, nullam esse gentem ex omni regione terrarum, neque tam dissidentem a populo Romano odio quodam atque dissidio, neque tam fide benevolentiaque conjunctam, ex qua nobis interdictum sit, ut ne quem * adsciscere civem, aut civitate donare possimus. O jura (*b*) præclara, atque divinitus jam inde a principio Romani nominis a majoribus nostris comparata! ne quis nostrum plus quam unius civitatis esse possit: (dissimilitudo enim civitatum varietatem juris habeat necesse est) ne quis invitus civitate mutetur: neve

* In vulg. deest *quem*.

ANALYSIS.

alienas Civitates recipiantur; cum enim nemo posset simul esse Romanæ civitatis, & alterius cujusvis, facile erat invenire, qui in Romanam maximam omnium Civitatum ex deteriori transferri vellent, non ita, qui ex Romana in longe deteriorem.

(a) *Sed hic*) *Complexio* Syllogismi.

(b) *O jura*) Per *exclamationem* laudat illa Romanorum instituta, quæ supra commemorantur: jus autem illud communicandæ alienis hominibus civitatis & laudat, & exemplis quibusdam confirmat.

ve in civitate maneat invitus. Hæc sunt enim fundamenta firmissima nostræ libertatis, sui quemque juris & retinendi, & dimittendi esse dominum. Illud vero sine ulla dubitatione maxime nostrum fundavit imperium, & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille, creator hujus urbis, Romulus, fœdere Sabino docuit (1), etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere. Cujus auctoritate & exemplo nunquam est intermissa a majoribus nostris largitio & communicatio civitatis. Itaque & ex Latio multi, & Tusculani, & Lanuvini, & ex cæteris generibus gentes universæ in civitatem sunt receptæ, ut Sabinorum, Volscorum, Hernicorum: quibus ex civitatibus nec coacti essent civitatem mutare, si qui noluissent, nec, si qui essent civitatem nostram beneficio populi Romani consecuti, violatum fœdus eorum videretur.

XIV. At enim (*a*) quædam fœdera extant, ut Germanorum, Insubrium, Helvetiorum, Japidum (1), nonnullorum item ex Gallia Barbarorum, quorum in fœderibus exceptum est, ne quis eorum a nobis civis recipiatur. Quod si (*b*) exceptio facit, ne liceat, ibi necesse est licere, ubi non

(1) *Fœdere Sabino docuit*) Cum Tatio regnum, Sabinis civitatem communicavit. *Ferratius*.

(2) *Japidum*) Japidia incipiebat, ubi Carnorum desinebant una cum Ocra monte fines, idest, ad fontes Formionis fluvii. Inde a tergo Histriæ in sinum protendebatur Hadriaticum, ad Liburniam usque. *Cluv.* Ital. antiqua, lib. 1. cap. 19. Vide Plin. III. 18.

ANALYSIS.

(a) *At enim*) Hactenus de lege, nunc de fœdere; arguebat enim accusator *a Specie ad Genus*:

In quibusdam fœderibus nominatim exprimitur, ne quis fœderatus Civis Romanus fieri possit, nisi populus fundus, & auctor sit;

Ergo omnium fœderatorum illud jus est.

(b) *Quod si*) Cicero dupliciter respondet; sic autem in primis *a Contrariis*:

Qua posita conditione jus nostrum minuitur, eadem non posita, non minuitur;

Sed ea posita exceptione, non possumus fœderatos civitate recipere;

Ergo Gaditanos possumus, in quorum fœdere non est ea exceptio.

non est exceptum. Ubi est igitur exceptum fœdere Gaditano, ne quem populus Romanus Gaditanum recipiat civitate? nusquam. Ac sicubi (*a*) esset, lex id Gellia & Cornelia, quæ definite * potestatem Pompejo civitatem donandi dederat, sustulisset.

Exceptum est (*b*), inquit (1): fœdus siquidem sacrosanctum est. Ignosco (*c*) tibi, si neque Pœnorum jura calles (2) (reliqueras enim civitatem tuam) neque nostras potuisti leges inspicere: ipsæ enim te a cognitione sua judicio publico repulerunt.

Quid fuit in rogatione ea, quæ de Pompejo a Gellio & a Lentulo consulibus lata est, in qua aliquid sacrosanctum exceptum ** videretur? Primum enim

* Al. *indefinite*. Al. *definita est*.
** In vulg. deest *exceptum*.

(1) *Exceptum est, inquit*) In fœdere Gaditano: si quidem sacrosancta sunt fœdera. Argumentum accusatoris. Quod sacrosanctum est, violari non licet; Fœdera sacrosancta sunt; ergo nullam fœderati populi partem, nisi populus ipse consentiat, licet attingere. Non consensit populus Gaditanus in Balbo; civitatem igitur Balbus mutare non potuit. Quanquam in ipso fœdere disertis verbis non sit exceptum, ne quem populus Romanus Gaditanum recipiat civitate. *Manut*.

(2) *Neque Pœnorum jura calles*) Gades enim fuerat Carthaginiensium Colonia. Cæterum accusator Gadibus natus, & inde pulsus in exilium Romanam civitatem obtinuerat, sed & Romæ judicio publico damnatum fuisse, ex hoc loco intelligimus. *Ferrat*.

ANALYSIS.

(a) *Ac sicubi*) Deinde, si qua fuisset exceptio in fœdere Gaditano, sublatam eam contendit lege lata Gellia Cornelia.

(b) *Exceptum est*) Hujusmodi exceptionem desumebat adversarius ex lege ipsa Gellia Cornelia; ita enim ratiocinabatur:

Lege Gellia excipitur, si quid est sacrosanctum;
Fœdus Gaditanum sacrosanctum est;
Ergo ea lege fœdus Gaditanum excipitur.

(c) *Ignosco*) Cicero inscitiam exprobrat, & *assumptionem* argumenti allati falsam esse probat *a Definitione* illius rei, quæ dicitur sacrosancta:

Illud est sacrosanctum, quod lata lex tale jubet esse, aut obtestatione legis, aut capitis consecratione;
Sed nulla omnino lex lata est de fœdere Gaditano;
Ergo fœdus Gaditanum non est sacrosanctum.

enim (*a*) sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus plebsve sanxisset: deinde sanctiones sacrandæ sunt aut genere (1) ipso, aut obtestatione & consecratione legis (2), aut pœnæ, cum caput ejus, qui contra facit, consecratur. Quid habes (*b*) igitur dicere de Gaditano fœdere ejusmodi? Utrum a capitis consecratione, an obtestatione legis sacrosanctum esse confirmas? Nihil omnino unquam de isto fœdere ad populum, nihil ad plebem latum esse dico *. De quibus etiam si latum esset, neque legem, neque pœnam latam esse, ne quem civem reciperemus, tamen id esset, quod populus postea jussisset, ratum; neque quidquam illis verbis, *Si quid sacrosanctum esset*, esse exceptum videretur. De his, cum populus Romanus nihil unquam

* Vulg. *Nihil ad plebem, neque legem, neque pœnam, latum esse dico. De quibus etiamsi latum esset, ne quem civem reciperemus*. Gulielm. *nihil ad plebem latum esse dico; neque legem, neque pœnam rogatam esse, ne quem civem reciperemus*.

(1) *Genere*) Verbis ipsis, quibus obtestatur lex, ne quis contra faciat. *Idem*.

(2) *Aut obtestatione & consecratione legis*) Perspicue mendosus locus, quem ex iis, quæ sequuntur, ita restituo: *ut obtestatione legis*: hæc enim interpretatio est ad illud, *genere ipso*. Quod vero delemus, *& consecratione*; id ea ratione facimus, quia de consecratione subjungitur, *aut pœnæ, cum caput ejus, qui contra facit, consecratur*: ut idem bis dici non oporteat. Duobus enim modis sanctiones sacrosanctæ sunt, aut obtestatione legis, aut pœna. Atque hæc distinctio perspicue cognoscitur infra, cum ait: *Utrum a capitis consecratione, an obtestatione legis sacrosanctum esse confirmas?* Totum igitur locum, sublatis mendis sententiam obscurantibus, ita legendum existimo: *Sanctiones sacrosanctæ sunt aut genere ipso, ut obtestatione legis, aut pœna, cum caput ejus, qui contra facit, consecratur*. Manut. Alii interpretes paulo aliter, sed eodem tamen sensu.

ANALYSIS.

(a) *Primum enim*) *Propositio*.

(b) *Quid habes*) *Assumptio*; quin immo, si lex aliqua lata fuisset de fœdere Gaditano, adhuc posterior Gellia Cornelia priori illi derogaret; multo igitur magis, cum nulla sit lex.

quam jusserit, quidquam audes dicere sacrosanctum fuisse?

XV. Nec vero (*a*) hæc oratio mea ad infirmandum fœdus Gaditanorum, Judices, pertinet: Neque enim est meum, contra opinionem vetustatis, contra jus optime meritæ civitatis, contra auctoritatem senatus (1) dicere. Duris enim quondam temporibus reipublicæ nostræ, cum præpotens terra marique Carthago, nixa duabus Hispaniis, huic imperio immineret, & cum duo fulmina * nostri imperii subito in Hispania Cn. & P. Scipiones extincti occidissent, L. Marcius primi pili (2) centurio cum Gaditanis fœdus inisse dicitur. Quod cum magis fide illius populi, justitia vestra, vetustate denique ipsa, quam aliquo publico vinculo religionis teneretur, sapientes homines, & publici juris periti, Gaditani, M. Lepido, Q. Catulo consulibus, a senatu de fœdere postulaverunt. Tum est cum Gaditanis fœdus vel renovatum, vel ictum. De quo fœdere populus Romanus sententiam non tulit, qui injussu suo, nullo pacto potest religione obligari. Ita Gaditana civitas, quod beneficiis suis erga rempublicam nostram consequi potuit, quod imperatorum testimoniis, quod vetustate, quod Q. Catuli, summi viri, auctoritate, quod judicio senatus, quod fœdere, consecuta est: quod publica religione sanciri potuit, id abest. Populus enim se nusquam obligavit. Neque ideo est Gaditanorum causa deterior. Gravissimis enim &

* Lamb. *lumina*.

(1) *Auctoritatem senatus*) Superiora, *contra opinionem vetustatis*, referuntur ad fœdus L. Marcii: hæc ad Catuli, qui ex S. C. fœdus illud fecerat. *Ferrat*.

(2) *Primi pili*) Livius lib. VII. *Alternis prope annis & tribunus militum, & primus centurio erat, quem nunc primipilum appellant*. Idem.

ANALYSIS.

(a) *Nec vero*) Præmissa excusatione quadam, confirmat eandem *Assumptionem*, referens, quo tempore, & a quibus ictum sit fœdus cum Gaditanis, sine ulla populi lege.

& plurimis rebus est fulta. Sed isti * disputationi certe nihil est loci. Sacrosanctum enim nihil potest esse, nisi quod per populum plebemve sancitum est.

XVI. Quod si (*a*) hoc fœdus, quod populus Romanus, auctore senatu, comendatione & judicio vetustatis, voluntate & sententiis suis comprobat, idem suffragiis comprobasset, quid erat, cur ex ipso fœdere Gaditanum in civitatem nostram recipi non liceret? Nihil est (*b*) enim aliud in fœdere, nisi, *ut pia & æterna pax* sit. Quid id ad civitatem? Adjunctum (*c*) illud etiam est, quod non est in omnibus fœderibus: *Majestatem populi Romani comiter conservanto* **. Id habet hanc vim, ut sit ille in fœdere inferior.

Primum verbi genus hoc conservandi, quo magis in legibus quam in fœderibus uti solemus, imperantis est, non precantis: deinde, cum alterius populi majestas conservari jubetur, de altero siletur: certe ille populus in superiori conditione causaque ponitur, cujus majestas fœderis sanctione defenditur. In quo erat accusatoris interpretatio indigna responsione, qui ita dicebat, *comiter* esse *communiter*: quasi vero priscum aliquod, aut insolitum verbum interpretaretur. Comes, benigni, faciles, suaE 2

* Vulg. *illi*. ** Vulg. *conservent*.

ANALYSIS.

(a) *Quod si*) Quo magis crescat oratio, probat, etiamsi lata fuisset lex de fœdere Gaditano, adhuc tamen potuisse Gaditanos Cives recipi Romana Civitate; sic itaque arguit a verbis ipsius fœderis:

Id non est contra fœdus, quod neque prohibetur fœdere, & potius permittitur;

Sed fœdere Gaditano non prohibetur, & potius permittitur, recipi civitate Romana Gaditanos cives:

Ergo, etiam posita lege de fœdere, adhuc id non esset contra fœdus.

(b) *Nihil est*) *Assumptionis* prima pars.

(c) *Adjunctum*) Pars secunda, & sigillatim allata illa fœderis verba interpretatur.

ſuaves homines eſſe dicuntur. *Qui erranti* (1) *comiter monſtrat viam*, benigne, & non gravate: *communiter* quidem certe non convenit. Et ſimul abſurda res eſt, caveri fœdere, ut majeſtatem populi Romani communiter conſervent; id eſt, ut populus Romanus ſuam majeſtatem velit eſſe ſalvam. Quod ſi jam ita eſſet, ut eſſe non poteſt, tamen de noſtra majeſtate, nihil de illorum caveretur. Poteſtne igitur noſtra majeſtas a Gaditanis benigne conſervari, ſi ad eam retinendam Gaditanos præmiis elicere non poſſumus? Poteſt eſſe ulla denique majeſtas, ſi impedimur, quo minus per populum Romanum, beneficiorum virtutis cauſa tribuendorum poteſtatem imperatoribus noſtris deferamus?

XVII. Sed quid (*a*) ego diſputo, quæ mihi tum, ſi Gaditani contra me dicerent, vere poſſe dici viderentur? Illis enim repetentibus L. Cornelium reſponderem, legem populum Romanum juſſiſſe de civitate tribuenda: huic generi * legum fundos populos fieri non ſolere; Cn. Pompejum de conſilii ſententia civitatem huic dediſſe, nullum populi noſtri juſſum Gaditanos habere: itaque nihil eſſe ſacroſanctum, quod lege exceptum videretur: ſi eſſet, tamen in fœdere nihil eſſe cautum, præter pacem. Additum etiam eſſe illud, ut majeſtatem illi noſtram conſervare deberent: quæ certe minueretur, ſi aut adjutoribus illorum civibus uti in bellis nobis non liceret, aut præmii tribuendi poteſtatem nullam haberemus.

Nunc vero (*b*) quid ego contra Gaditanos loquar;

* Vulg. *hoc genere*.

(1) *Qui erranti*) Verſus Ennii. Vide *de Offic.* I. 16.

ANALYSIS.

(a) *Sed quid*) *Epilogus* ſuperiorum per figuram *Præteritionem*.

(b) *Nunc vero*) Tandem ipſorum Gaditanorum *teſtimonio* Cornelii cauſam tuetur, hoc argumento:

Ga-

quar, cum id, quod defendo, voluntate eorum, auctoritate, legatione ipsa comprobetur? qui a (*a*) principio sui generis ac reipublicæ, ab omni studio sensuque Pœnorum mentes suas ad nostrum imperium nomenque flexerunt? quos, cum maxima bella nobis inferrentur, mœnibus excluserunt? classibus insecuti sunt? corporibus, copiis, opibus depulerunt? qui & veterem illam speciem fœderis Marciani semper omni arce * duxerunt sanctiorem, & hoc fœdere, Catuli senatusque auctoritate, se nobiscum conjunctissimos esse arbitrati sunt? quorum mœnia, delubra, agros, ut ipse Hercules itinerum ac laborum suorum, sic majores nostri imperii ac nominis populi Romani terminos esse voluerunt?

Testantur & mortuos nostros imperatores, quorum vivit immortalis memoria & gloria, Scipiones, Brutos, Horatios, Cassios, Metellos, & hunc præsentem Cn. Pompejum, quem procul ab eorum mœnibus acre & magnum bellum gerentem commeatu pecuniaque juverunt, & hoc tempore ipso populum Romanum, quem in caritate annonæ, ut sæpe ante fecerant, frumento suppeditato, levaverunt, se hoc jus (*b*) esse velle, ut sibi, & liberis, si qui eximia virtute fuerint, sit in nostris castris, sit in imperatorum prætoriis, sit denique inter signa atque in acie locus, sit his gradibus ascensus etiam ad civitatem.

XVIII. Quod si Afris, si Sardis, si Hispanis,

 agris

* Vulg. *Omni sanctiorem Marte*. Al. *ara*.

A N A L Y S I S.

Gaditanis, si quid juste petant, aut agant, non est denegandum, aut reprobandum;
Sed petunt, ut sibi etiam liceat, esse participes Romanæ Civitatis, & Cornelium ut Civem Romanum semper tractarunt;
Ergo neque eorum petitio rejicienda, neque judicium de Cornelio reprobandum est.

(a) *Qui a*) *Propositio*, quæ nititur Gaditanorum meritis in Remp., & *Comparatione minorum*, ut juste id petere videantur.

(b) *Se hoc jus*) Hoc loco inseritur *Assumptionis* prima pars.

agris ſtipendioque multatis, virtute adipiſci licet civitatem, Gaditanis autem, officiis, vetuſtate, fide, periculis, fœdere conjunctis, hoc idem non licebit; non fœdus ſibi nobiſcum, ſed iniquiſſimas leges impoſitas a nobis eſſe arbitrabuntur. Atque hanc (*a*), Judices, non a me fingi orationem, ſed me dicere, quæ Gaditani judicarint, res ipſa declarat. Hoſpitium multis annis ante hoc tempus cum L. Cornelio Gaditanos feciſſe publice dico. Proferam teſtes, proferam legatos: excitabo laudatores, quos ad hoc judicium, ſummos homines ac nobiliſſimos, deprecatores hujus periculi, miſſos videtis. Re denique multo ante Gadibus inaudita *, fore, huic ut ab illo periculum crearetur, graviſſima tum in iſtum civem ſuum Gaditani ſenatuſconſulta fecerunt.

Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri, (quoniam hoc magnopere delectare verbo) ſi tum fit fundus, cum ſcita ac juſſa noſtra ſua ſententia comprobat, quam cum hoſpitium fecit, ut & civitate illum mutatum eſſe fateretur, & jus ** civitatis honore digniſſimum judicaret? Potuit certius interponere judicium voluntatis ſuæ, quam cum etiam accuſatorem hujus multa & pœna multavit? Potuit magis de re judicare, quam cum ad veſtrum judicium cives ampliſſimos legavit, teſtes hujus juris, vitæ laudatores, periculi deprecatores? Etenim quis eſt tam demens, quin ſentiat, jus hoc Gaditanis eſſe retinendum, ne interſeptum ſit iis iter perpetuo ad hoc ampliſſimum præmium civitatis, & magnopere iis eſſe lætandum, hujus L. Cornelii benevolentiam erga ſuos remanere Gadibus, gratiam &

* Vulg. *jam audita*. ** *hujus civitatis*.

ANALYSIS.

(a) *Atque hanc*) *Aſſumptionis* ſecundam partem confirmat ab hoſpitio, quod publice Gaditanis fuerat cum Balbo, & ab argumentis mutuæ benevolentiæ, quæ nulla eſſet, ſi Gaditana Civitas injuria ſibi ſuum Civem ereptum fuiſſe putaret.

& facultatem commendandi in hac civitate versari? Quis enim nostrum est, cui non illa civitas sit hujus studio, cura, diligentia commendatior?

XIX. Omitto quantis ornamentis populum istum C. Cæsar, cum esset in Hispania prætor, affecerit, controversias sedarit, jura ipsorum permissu statuerit, inveteratam quondam * barbariam ex Gaditanorum moribus disciplinaque delerit, summa in eam civitatem, hujus rogatu, studia & beneficia contulerit. Multa prætereo, quæ quotidie labore hujus & studio, aut omnino, aut certe facilius consequuntur. Itaque & adsunt principes civitatis, & defendunt: amore, ut suum civem; testimonio, ut nostrum; officio, ut ex nobilissimo civi ** sanctissimum hospitem; studio, ut diligentissimum defensorem commodorum suorum.

Ac ne (*a*) ipsi Gaditani arbitrentur, quanquam nullo incommodo afficiantur, si liceat eorum cives virtutis causa in nostram civitatem venire, tamen hoc ipso inferius esse suum fœdus, quam cæterorum, consolabor & hos præsentes viros optimos, & illam fidelissimam atque amicissimam nobis civitatem: simul & vos, non ignorantes, Judices, admonebo, quo de jure hoc judicium constitutum sit, de eo nunquam omnino esse dubitatum. Quos igitur (*b*) prudentissimos interpretes fœderum, quos peritissimos bellici juris, quos diligentissimos in ex-

* Vulg. *quandam*. ** Vulg. *ut nobilissimum & sanctissimum*.

ANALYSIS.

(a) *Ac, ne*) Quarto defendit Cornelium *ab Exemplis* similibus, tali ratione:

Id Pompejus jure fecit, quod ante ipsum alii etiam Imperatores fecerunt, viri clarissimi;

Sed multi alii quosdam ex fœderatis populis Romana Civitate donaverant;

Ergo idem facere Pompejus jure potuit.

(b) *Quos igitur*) *Propositionis* approbatio *a Pari*; nam sicut de rebus aliis eos consulimus, quos assiduus usus peritissimos fecerit, ita de fœderum interpretationibus ii consulendi sunt, qui rem militarem assidue tractaverint.

quirendis conditionibus civitatum atque causis esse arbitramur? eos profecto, qui jam imperia ac bella gesserunt.

XX. Etenim, si Q. Scævola ille augur, cum de jure prædiatorio consuleretur, homo juris peritissimus, consultores suos nonnunquam ad Furium & Cascellium prædiatores rejiciebat (1); si nos de aqua nostra Tusculana (2) M. Tugionem potius, quam C. Aquilium consulebamus, quod assiduus usus uni rei deditus & ingenium & artem sæpe vincit, quis dubitet de fœderibus, & de toto jure pacis & belli, omnibus juris peritissimis imperatores nostros anteferre?

Possumusne (a) igitur tibi probare auctorem exempli atque facti illius, quod a te reprehenditur, C. Marium? Quæris aliquem graviorem? constantiorem? præstantiorem virtute, prudentia, religione, æquitate? Is igitur M. Annium Appium, fortissimum virum, summa virtute præditum, civitate donavit, cum Camertinum fœdus sanctissimum,

(1) *Consultores suos nonnunquam ad Furium & Cascellium prædiatores rejiciebat*) Prædiator, interprete Salmasio, est, qui prædia publico obligata & vendenda emit, adeoque, ut Gronovius interpretatur, pecuniam suam in prædiis habet. Sed eam vim hoc loco verbum illud habere non potest. Itaque Manutius interpretabatur cum Budæo, aliisque, *peritus juris prædiatorii*. At vero Salmasius vocem *prædiatores* hic delendam censet. Quoniam autem omnes libri MSS. & editi eam præferunt, durum mihi hoc videtur. Ac potest fortasse ratio inveniri, qua possimus rem expedire. Mihi sic in mentem veniebat: Propria quidem verbi vis ea est, quam Salmasius tradit. Sed quoniam prædiatores, qui prædiis publico obligatis emendis quæstum faciebant, operam dabant, ut hanc partem juris, quæ est de prædiis publico obligatis, commodi sui causa cognoscerent, ut sunt apud nos mercatores majores juris cambialis, quod vocant, plerumque non minus, quam Jurisconsulti, periti: propterea fieri potuit, ut *prædiator* deinde etiam diceretur, qui juris prædiatorii peritus esset. *Ernestus*.

(2) *Aqua nostra Tusculana*) Vide III. Agrar. cap. 2.

ANALYSIS.

(a) *Possumusne*) *Assumptio*, & in primis nominat C. Marium peritissimum rei militaris, qui multos ex fœderatis civitate donavit, neque tamen cuiquam objectum est, ne in judicio quidem, populum fundum factum non fuisse.

mum atque æquiſſimum ſciret eſſe. Poteſt igitur, Judices, L. Cornelius condemnari, ut non C. Marii factum condemnetur?

Exiſtat ergo ille vir parumper cogitatione veſtra, quoniam re non poteſt, ut conſpiciatis eum mentibus, quem oculis non poteſtis: dicat, ſe non imperitum fœderis, non rudem exemplorum, non ignarum belli fuiſſe: ſe P. Africani diſcipulum ac militem, ſe ſtipendiis, ſe legationibus bellicis eruditum, ſe, ſi tanta bella legiſſet, quanta geſſit & confecit, ſi tot conſulibus meruiſſet, quoties ipſe conſul fuiſſet, omnia jura belli perdiſcere ac noſſe potuiſſe: ſibi non fuiſſe dubium, quin nullo fœdere a republica bene gerenda impediretur: a ſe ex conjunctiſſima atque amiciſſima civitate fortiſſimum quemque eſſe delectum: neque Iguvinatium (1), neque Camertium fœdere eſſe exceptum, quo minus eorum civibus a populo Romano præmia virtutis tribuerentur.

XXI. Itaque, cum paucis annis poſt hanc civitatis donationem acerrima de civitate quæſtio, Licinia & Mucia lege, veniſſet, num quis eorum, qui de fœderatis civitatibus eſſet civitate donatus, in judicium eſt vocatus? Nam Spoletinus L. Matrinius, unus ex iis, quos C. Marius civitate donaſſet, dixit cauſam ex colonia Latina, in primis firma & illuſtri. Quem cum diſertus homo L. Antiſtius accuſaret, Spoletinus dixit (2), fundum populum Spoletinum non eſſe factum. Videbat enim, populos

(1) *Iguvinatium*) In Umbria. Vide Cluverium, Italiæ antiquæ lib. II. cap. 7. Vulg. *Fulginatium*.

(2) *Spoletinus dixit*) Examinata ſententia mendum oſtendit. Nam pro, Spoletinus, omnino, quæ neget, vox aliqua requiritur. Non, inquit, hoc dixit, Antiſtius contra Matrinium, quod tu dicis in cauſâ Balbi, fundum populum Spoletinum non eſſe factum. *Manut.* Legendum cenſeo ex emendatione Pantagathi: *Quem cum diſertus homo L. Antiſtius accuſaret, iſtud ei non dixit fundum Spoletinum populum non eſſe factum*. Vel, *cum* ... *L. Antiſtius accuſaret item Spoletinus, non dixit fundum*, &c. *Abram*.

los de suo jure, non de nostro, fundos fieri solere; sed, cum lege Apuleja coloniæ non essent deductæ, qua lege Saturninus C. Mario tulerat, ut in singulas colonias ternos cives Romanos facere posset, negabat hoc beneficium, re ipsa sublata, valere debere.

Nihil habet similitudinis ista accusatio: sed tamen tanta auctoritas in C. Mario fuit, ut non per L. Crassum, affinem suum, hominem incredibili eloquentia, sed paucis ipse verbis causam illam gravitate sua defenderit & probarit. Quis enim esset, Judices, qui imperatoribus nostris in bello, in acie, in exercitu, delectum virtutis, qui sociis, qui fœderatis in defendenda republica nostra spem præmiorum eripi vellet? Quod si vultus C. Marii, si vox, si ille imperatorius ardor oculorum, si recentes triumphi, si præsens valuit aspectus; valeat auctoritas, valeant res gestæ, valeat memoria, valeat fortissimi & clarissimi viri nomen æternum. Sit hoc discrimen inter gratiosos cives atque fortes, ut illi vivi fruantur opibus suis, horum etiam mortuorum (si quisquam hujus imperii defensor mori potest) vivat auctoritas immortalis.

XXII. Quid (*a*)? Cn. Pompejus, pater, rebus Italico bello maximis gestis, P. Cæsium, equitem Romanum, virum bonum, qui vivit Ravennæ, fœderato ex populo, nonne civitate donavit? quid? cohortes duas universas Camertium? quid? Heracliensium legionem, P. Crassus, vir amplissimus, ex ea civitate, quacum prope singulare fœdus Pyrrhi temporibus, C. Fabricio consule, ictum putatur? quid? Massiliensem Aristonem Sylla? quid? quoniam de Gaditanis agimus, idem heros novem Gaditanos? quid? vir sanctissimus, & summa religione

ANALYSIS.

(a) *Quid?*) Cætera exempla prosequitur Cn. Pompeji patris, P. Crassi, L. Syllæ, Q. Metelii Pii, M. Crassi.

gione ac modeſtia Q. Metellus Pius Q. Fabium Saguntinum? quid? hic, qui adeſt, a quo hæc, quæ ego nunc percurro, ſubtiliſſime ſunt omnia perpolita, M. Craſſus, non Aletrinenſem fœderatum civitate donavit; homo tum gravitate & prudentia præſtans, tum vel nimium parcus in largienda civitate?

Hic tu (*a*) Cn. Pompeji beneficium, vel potius judicium & factum infirmare conaris, qui fecit, quod C. Marium feciſſe audierat, fecit, quod P. Craſſum, quod L. Syllam, quod Q. Metellum, quod denique domeſticum auctorem, patrem ſuum, facere viderat? Neque vero in uno Cornelio id fecit: nam & Gaditanum Haſdrubalem ex bello illo Africano, & Mamertinos obvios (1), & quoſdam Uticenſes, & Saguntinos fabros civitate donavit. Etenim (*b*) cum cæteris præmiis digni ſunt, qui ſuo labore & periculo noſtram rempublicam defendunt, tum certe digniſſimi ſunt, qui civitate ea donentur, pro qua pericula ac tela ſubierunt. Atque utinam, qui ubique ſunt propugnatores hujus imperii, poſſent in hanc civitatem venire, & contra oppugnatores reipublicæ de civitate exterminari! Neque enim ille ſummus poeta noſter Annibalis illam magis cohortationem, quam com-

(1) *Mamertinos obvios*) Vox, *obvios*, hic procul dubio locum non habet. Buchananus emendat, *Ovios*. Oviorum enim familia in primis clara erat apud Campanos, ut ex T. Livii lib. IX. & ex hiſtoria belli Punici ſecundi facile intelligi poteſt. *Lamb.*

ANALYSIS.

(a) *Hic tu*) *Complexio*, id in Pompejo non eſſe reprehendendum, quod in aliis probemus; præſertim cum idem Pompejus non tantum Cornelio, ſed & quibuſdam aliis ex fœderatis civitatem largitus fuerit.

(b) *Etenim*) Hoc ipſum jure, & merito fieri ita probat *a Congruo*:

Dignus eſt Civitate, qui de ipſa benemeretur, indignus, qui male meretur;

Ergo jure Civitas datur bene de ipſa meritis.

Primam partem confirmat teſtimonio Hannibalis apud Ennium, & Carthaginienſium auctoritate.

communem imperatorum, voluit esse, *Hostem qui feriet*, *erit*, inquit, *mihi Carthaginiensis*, *Quisquis erit*, *cujatis* (1): etsi (2) id habent hoc leve, & semper habuerunt. Itaque & cives * undique fortes viros adsciverunt, & hominum ignobilium virtutem persæpe nobilitatis inertiæ prætulerunt.

XXIII. Habetis (*a*) imperatorum summorum, & sapientissimorum hominum, clarissimorum virorum, interpretationem juris ac fœderum: dabo etiam judicum, qui huic quæstioni præfuerunt: dabo universi populi Romani: dabo sanctissimum etiam judicium senatus. Judices (*b*), cum præ se ferrent, palamque loquerentur, quid essent lege Papia de M. Crasso, Mamertinis repetentibus judicaturi, Mamertini, publice suscepta causa, destiterunt. Multi in civitatem recepti ex liberis fœderatisque populis sunt liberati **: nemo unquam est de civitate accusatus, quod aut populus fundus factus non esset, aut quod fœdere civitatis mutandæ jus impediretur. Audebo etiam hoc contendere, nunquam esse condemnatum, quem constaret ab imperatore nostro civitate donatum.

Co-

* Græv. *itaque & sibi undique*. ** In Vulg. deest *sunt liberati*.

(1) *Cujatis*) Pro, cujas, ut primatis, optimatis, Arpinatis. Priscianus, lib. IV. *Manutius*.

(2) *Etsi*) Manut. & Lamb. *fiet*. Deinde, pro *hoc* habent *omnes*. Itaque sic legunt: *Cujatis fiet*, *id habent omnes leve*. Commodus hinc sensus eruitur: omnes leve esse putant, ex ignobili loco ortum duxisse, modo sit virtus in eo, qui ex ignobili loco ortum duxit. Sed in lectione, quam ex Victorio arripuerunt Gruterus & Grævius, quamque imprudentes sumus amplexi, nihil sani est. Retineas tamen si velis, *etsi*: sed *hoc* pro *omnes* in erratorum numero collocabimus. *Olivetus*.

ANALYSIS.

(a) *Habetis*) Ultimo sic argumentatur a consuetudine:
Id non est reprobandum, *quod Judices*, *Populus*, *& Senatus fieri posse semper voluerunt*;
Sed omnes semper voluerunt, *fœderatos posse fieri Cives Romanos*;
Ergo nunc idem non est a vobis reprobandum.
(b) *Judices*) Prima pars de Judicibus.

Cognoſcite (*a*) nunc populi Romani judicium multis rebus interpoſitum, atque in maximis cauſis re ipſa atque uſu comprobatum. Cum Latinis (*b*) omnibus fœdus ictum, Sp. Caſſio, Poſthumio Cominio conſulibus, quis ignorat? quod quidem nuper in columna ænea meminimus poſt Roſtra inciſum & perſcriptum fuiſſe. Quomodo (*c*) igitur L. Coſſinius Tiburs, pater hujus equitis Romani, optimi atque ornatiſſimi viri, damnato T. Cælio, quomodo ex eadem civitate T. Coponius, civis item ſumma virtute & dignitate, (nepotes T. & C. Coponios noſtis) damnato C. Maſſone, civis Romanus eſt factus? An lingua (*d*) & ingenio patefieri aditus ad civitatem potuit, manu & virtute non potuit? anne de nobis (1) trahere ſpolia fœderatis licebit, de hoſtibus non licebit? an, quod adipiſci poterunt dicendo, id eis aſſequi pugnando non licebit? an accuſatori majores noſtri majora præmia, quam bellatori eſſe voluerunt?

XXIV. Quod ſi acerbiſſima lege Servilia principes viri, ac graviſſimi & ſapientiſſimi cives hanc Latinis, id eſt fœderatis, viam ad civitatem populi juſſu patere paſſi ſunt, neque in his eſt hoc reprehenſum Licinia & Mucia lege, cum præſertim genus

(1) *De nobis*) De Senatoribus Romanis. Si quempiam eorum Latinus homo condemnaſſet, civitatem aſſequebatur lege Servilia. *Ferratius*.

ANALYSIS.

(a) *Cognoſcite*) Secunda pars de populo, quæ talis eſt *a Comparatione minorum*:

Majora meretur præmia manus, & virtus, quam lingua, & ingenium;

Sed Lex Servilia dedit Civitatem illis ex Sociis Latinis, qui Senatorem Romanum judicio damnaſſent, neque neceſſe erat, ut populi fundi fierent;

Ergo idem negari non debet egregie pro Rep. pugnatibus fœderatis.

(b) *Cum Latinis*) Oſtendit in primis Latinos populos eſſe fœderatos.

(c) *Quomodo*) *Aſſumptio*.

(d) *An lingua*) *Propoſitio*, quam ingenioſiſſime pertractat.

genus ipsum accusationis & nomen, ejusmodi præmium, quod nemo assequi possit, nisi ex senatoris calamitate, neque senatori, neque bono cuiquam nimis jucundum esse posset, dubitandum fuit, quin, quo in genere judicum præmia rata essent, in eodem judicia imperatorum valerent? Num fundos igitur factos populos Latinos arbitramur aut Servilia lege, aut cæteris, quibus Latinis hominibus erat propositum aliqua ex re præmium civitatis?

Cognoscite nunc (a) judicium senatus, quod semper est judicio populi comprobatum. Sacra Cereris (1), Judices, summa majores nostri religione confici cæremoniaque voluerunt, quæ cum essent assumpta de Græcia, & per Græcas semper curata sunt sacerdotes, & Græca omnia nominata: sed cum illam, quæ Græcum illud sacrum monstraret & faceret, ex Græcia deligerent, tamen sacra pro civibus civem facere voluerunt, ut deos immortales scientia peregrina & externa, mente domestica & civili precaretur*. Has sacerdotes video fere aut Neapolitanas, aut Velienses fuisse, fœderatarum sine dubio civitatum. Mitto vetera, proxima dico: ante civitatem Veliensibus datam, de senatus sententia C. Valerium Flaccum, prætorem urbanum, nominatim ad populum de Calliphana

* Vulg. *precarentur*.

(1) *Sacra Cereris*) Horum sacrorum originem ad Evandrum refert Halicarnasseus lib. 1. *Constituerunt & Cereris templum, & sacrificia ipsi more Græco jejuniaque celebrarunt, in quibus nihil præsens tempus mutavit*. His festis duo videntur fuisse celebrata, Orci nuptiæ, & inventio Proserpinæ. In Orci nuptiis vino abstinebant, in sacrificio Cereris ob inventionem Proserpinæ favos lacte & vino diluebant, ut notat Servius ad librum I. Georg. vers. 343. *Abram*.

ANALYSIS.

(a) *Cognoscite nunc*) Tertia pars de Senatu, qui decreverat, ut ferretur ad populum de civitate danda cuidam Calliphanæ Veliensi; neque proinde aut populus Veliensis fundus factus est, aut fœdus cum Veliensibus violatum.

phana Veliense, ut ea civis Romana esset, tulisse. Num igitur aut fundos factos Velienses, aut sacerdotem illam civem Romanam factam non esse, aut fœdus & a senatu & a populo Romano violatum arbitrabimur?

PERORATIO.

XXV. Intelligo (a), Judices, in causa aperta minimeque dubia, multo & plura, & a pluribus peritissimis esse dicta, quam res postularet. Sed id factum est, non ut vobis rem tam perspicuam dicendo probaremus, verum ut omnium malevolorum, iniquorum, invidorum animos frangeremus: quos ut accusator incenderet, ut aliqui sermones hominum alienis bonis mœrentium etiam ad vestras aures permanarent, & in judicio ipso redundarent, idcirco illa in omni parte orationis suæ* arte adspergi videbatis: tum pecuniam (b) L. Cornelii, quæ neque invidiosa est, & quantacumque est, ejusmodi est, ut conservata magis, quam correpta**, esse videatur: tum luxuriam, quæ non crimine aliquo libidinis, sed communi maledicto notabatur: tum Tusculanum, quod Q. Metelli fuisse meminerat, & L. Crassi: Crassum emisse de libertino homine, Soterico Marcio: ad Metellum pervenisse de Venonii Vindicii bonis non tenebat (1); simul

* Al. *orationis summa arte*.
** Vulg. *corrupta*.
(1) *Non tenebat*) Dicit quidem fuisse illam villam Crassi & Metelli principum virorum; non autem meminit, possessam illam fuisse ante Crassum a libertino homine, &c. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *Intelligo*) Duæ sunt *Perorationis* partes, quarum prima a Cornelio invidiam avertit, altera Judices eidem conciliat.
(b) *Tum pecuniam*) Exprobraverat autem Accusator Cornelio nimias divitias, luxum, villam Tusculanam, Tribum Crustuminam, & adoptionem Theophanis.

fimul illud nefciebat, prædiorum nullam effe gentem; emptionibus ea folere fæpe ad alienos homines, fæpe ad infimos, non legibus, tanquam tutelas, pervenire.

Objectum eft etiam, quod in tribum Cruftuminam (1) pervenerit: quod hic affecutus eft legis de ambitu præmio, minus invidiofo, quam qui legum præmiis prætoriam fententiam (2), & prætextam togam (3) confequuntur. Et adoptio Theophanis agitata eft (4), per quam Cornelius nihil eft, præterquam propinquorum fuorum (5) hereditates, affecutus.

XXVI. Quanquam (a) iftorum animos, qui ipfi Cornelio invident, non eft difficillimum mitigare. More hominum invident, in conviviis rodunt, in circulis vellicant: non illo inimico, fed hoc maledico dente carpunt. Qui amicis L. Cornelii aut inimici funt, aut invident, hi funt huic multo vehementius pertimefcendi. Nam huic quidem ipfi quis eft unquam inventus inimicus? aut quis

(1) *Cruftuminam*) Aliæ tribus aliis honoratiores fuerunt, & ex una in aliam honoris & præmii, aut etiam pœnæ dedecorifque caufa tranfibant. *Abram*.

(2) *Prætoriam fententiam*) Ut prætorio loco fententiam diceret in fenatu, fi prætorium fenatorem, accufatum & damnatum eo loco dejeciffet. *Manut*.

(3) *Prætextam togam*) Magiftratum eum, quem fuffragiis populi adeptus effet is, qui poftea damnatus effet. *Idem*.

(4) *Adoptio Theophanis agitata eft*) Ut ex opibus invidia concitaretur. Hic Theophanes Mytilenæus fuit libertus Pompeji Magni, apud quem gratia plurimum valuit. Adoptavit Balbum, heredemque fecit. Ideoque Cornelius Balbus Theophanes appellatus eft, auctore Capitolino in Balbino. *Idem*.

(5) *Propinquorum fuorum*) Subobfcura fententia: fed hoc dici puto, Balbum, quæ ex ea adoptione ad eum pervenerant, ea, cum ipfe non egeret, propinquis fuis diftribuiffe: ut non fuam, fed propinquorum fuorum hereditates affecutus effe videretur. *Manut*.

ANALYSIS.

(a) *Quanquam*) Laudat Cornelii moderationem; & bene merendi de omnibus voluntatem; commemorat etiam, quæ fibi exulanti officia præftiterat.

quis jure esse potuit? quem bonum non coluit? cujus fortunæ dignitatique non concessit? Versatus in intima familiaritate hominis potentissimi (1), in maximis nostris malis atque discordiis neminem unquam alterius rationis ac partis non re, non verbo, non vultu denique offendit. Fuit hoc sive meum, sive reipublicæ fatum, ut in me unum omnis illa inclinatio communium temporum incumberet. Non modo non exultavit in ruinis vestris, nostrisque discordiis (2) Cornelius, sed omni officio, lacrymis, opera, consolatione, omnes, me absente, meos sublevavit. Quorum ego testimonio ac precibus munus hoc meritum huic, &, ut a principio dixi, justam & debitam gratiam refero: speroque, Judices, ut eos, qui principes fuerunt conservandæ salutis, aut dignitatis meæ, diligitis, & caros habetis; sic, quæ ab hoc pro facultate hujus *, pro loco facta sunt, & grata esse vobis & probata. Non igitur (*a*) a suis, quos nullos habet, sed a suorum, qui & multi, & potentes sunt, urgetur inimicis: quos quidem hesterno die Cn. Pompejus copiosa oratione & gravi secum, si vellent, contendere jubebat: ab hoc impari ** certamine, atque injusta contentione avocabat.

XXVII. Et erat æqua lex, & nobis, Judices, atque omnibus, qui nostris familiaritatibus implicantur, vehementer utilis, ut nostras inimicitias ipsi inter nos geramus, amicis nostrorum inimicorum temperemus. Ac si mea auctoritas satis apud illos in hac re ponderis haberet, cum me præsertim re-

* Vulg. *ejus*. ** Vulg. *improbo*.

(1) *Hominis potentissimi*) C. Cæsaris. *Idem*.

(2) *In ruinis vestris, nostrisque discordiis*) Lego, *in ruinis nostris, vestrisque discordiis*. Lambinus.

ANALYSIS.

(*a*) *Non igitur*) Innuit esse quosdam, qui Cæsaris inimici cum sint, Balbum oppugnabant, quippe Cæsaris familiarem; eos hortatur in primis, ut desinant contendere cum Cæsare, deinde ut cum ipso potius, quam cum illius amicis confligant.

rum varietate, atque usu ipso jam perdoctum viderent, etiam ab illis eos majoribus discordiis avocarem. Id enim contendere mihi videtur e republica *, cum id defendas, quod esse optimum sentias; & id fortium virorum, & magnorum hominum semper putavi: neque huic unquam labori, officio, muneri defui. Sed contentio tamdiu sapiens est, quamdiu aut proficit aliquid, aut, si non proficit, non obest civitati.

Voluimus quædam (1), contendimus, experti sumus: obtenta non sunt. Dolorem alii, nos (2) luctum mœroremque suscepimus. Cur ea, quæ mutare non possumus, convellere malumus, quam tueri? C. Cæsarem senatus & genere supplicationum amplissimo ornavit, & numero dierum novo. Idem in angustiis ærarii victorem exercitum stipendio affecit, imperatori decem legatos decrevit, lege Sempronia succedendum non censuit. Harum ego sententiarum & princeps, & auctor fui: neque me dissensioni meæ pristinæ putavi potius assentiri, quam præsentibus reipublicæ temporibus & concordiæ convenire **. Non idem aliis videtur. Sunt fortasse in sententia firmiores. Reprehendo neminem, sed assentior non omnibus: neque esse inconstantis puto, sententiam aliquam, tanquam aliquod navigium atque cursum, ex reipublicæ tempestate moderari.

Sed si (*a*) qui sunt, quibus infinitum sit odium, in quos semel susceptum sit, quos video esse

* Alii *Ita enim contendere de republica cum id defendas, quod esse optimum sentias, & fortium virorum* &c.

** Græv. *inservire*.

(1) *Voluimus quædam*) Tacite significat optimatum, & popularium civium dissensionem. Popularium autem Principem Cæsarem designat. *Manut.*

(2) *Nos*) Ego, qui ex illa dissensione solus exilii calamitatem pertuli. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Sed si*) In secunda parte *Misericordiam* movet, quod Cæsaris familiaritas noceat Cornelio, cum prodesse potius deberet; lib. 2. c. 8. t. 89.

ſe nonnullos, cum ducibus ipſis, non cum comitatu affectatoribusque confligant. Illam enim fortaſſe pertinaciam nonnulli, virtutem alii putabunt: hanc vero iniquitatem omnes cum aliqua crudelitate conjunctam. Sed ſi certorum hominum mentes nulla ratione placare, Judices, poſſumus, veſtros quidem animos certe confidimus, non oratione noſtra, ſed humanitate veſtra eſſe placatos.

XXVIII. Quid enim eſt, cur non potius ad ſummam laudem huic, quam ad minimam fraudem, Cæſaris familiaritas valere debeat? Cognovit adoleſcens: placuit (1) homini prudentiſſimo: in ſumma amicorum copia cum familiariſſimis ejus eſt adæquatus in prætura, in conſulatu præfectum fabrum detulit (2): conſilium hominis probavit, fidem eſt complexus, officia obſervantiamque dilexit. Fuit hic multorum illi laborum ſocius aliquando: eſt fortaſſe nunc nonnullorum particeps commodorum. Quæ quidem ſi huic obſuerint apud vos, non intelligo, quod bonum cuiquam ſit apud tales viros profuturum.

Sed quoniam C. Cæſar abeſt longiſſime, atque in iis eſt nunc locis, quæ regione orbem terrarum, rebus illius geſtis imperium populi Romani definiunt; nolite, per deos immortales! Judices, hunc illi acerbum nuntium velle perferri *, ut ſuum præfectum fabrum, ut hominem ſibi cariſſimum & familiariſſimum, non ob ipſius aliquod delictum, ſed ob ſuam familiaritatem veſtris oppreſſum ſen-

* Vulg. *deferri*.

(1) *Placuit*) Hoc ſenſu: Cæſar corroborata jam ætate Cornelium probavit, quem cognoverat adoleſcens; itaque ſibi Præfectum fabrum eum eſſe juſſit tum in Prætura, tum deinde in Conſulatu. *Ferrat.*

(2) *Præfectum fabrum detulit*) Malim omnino, *præfecturam fabrum*: etſi ſcio deferri ſolitos in beneficiis ad ærarium eos, qui bene de rep. in provincia meriti eſſent, ut præfectos, tribunos militum, & contubernales, ut in Ep. ad Fam. lib. v. Ep. 20. *Manut. Deferri ad ærarium*, quid beneficii ſit, quæ commendatio, vide pro Archia, cap. 5. & Gronov. *Seſtert.* III. 17.

tentiis audiat. Miseremini (*a*) ejus, qui non de suo peccato, sed de hujus summi & clarissimi viri facto, non de aliquo crimine, sed periculo suo, de publico jure disceptat; quod jus si Cn. Pompejus ignoravit, si M. Crassus, si Q. Metellus, si Cn. Pompejus pater, si L. Sylla, si L. Crassus, si C. Marius, si senatus, si populus Romanus, si qui de re simili judicarunt, si fœderati populi, si socii, si illi antiqui Latini: videte, ne utilius vobis, & honestius sit illis ducibus errare, quam hoc magistro erudiri. Sed si de certo, de perspicuo, de utili, de probato, de judicato vobis jure esse constituendum videtis, nolite committere, ut in re tam inveterata quidquam novi sentiatis. Simul & illa, Judices, omnia ante oculos vestros proponite: primum esse omnes etiam post mortem reos, clarissimos illos viros, qui fœderatos civitate donarunt; deinde senatum, qui persæpe hoc judicavit, populum, qui jussit, judices, qui approbarunt. Tum etiam illud cogitatote, sic vivere ac vixisse Cornelium, ut, cum omnium peccatorum quæstiones sint, non de vitiorum suorum pœna, sed de virtutis præmio in judicium vocetur. Accedat etiam illud, ut statuatis hoc judicio, utrum posthac amicitias clarorum virorum calamitati hominibus, an ornamento esse malitis. Postremo illud, Judices, fixum in animis vestris tenetote, vos in hac causa non de maleficio L. Cornelii, sed de beneficio Cn. Pompeji judicaturos.

ANALYSIS.

(a) *Miseremini*) Brevis *Epilogus* totius orationis.

IN

IN
L. CALPURNIUM PISONEM.
ORATIO XXXVII.

ARGUMENTUM.

ARGUMENTUM *hujus Orationis breve admodum est. Nam cum revocati essent ex provinciis Piso & Gabinius sententia Ciceronis, quam dixerat de Provinciis consularibus, Lentulo & Philippo* Coss. *reversus in civitatem Piso de insectatione Ciceronis in senatu conquestus est, & in eum invectus, fiducia maxime Cæsaris generi, qui tum Gallias obtinebat. Pisoni Cicero respondit hac oratione.*

Hæc oratio dicta est Cn. Pompejo Magno II. M. Crasso II. Coss. *ante paucos dies quam Cn. Pompejus ludos faceret, quibus theatrum a se factum dedicavit. Hoc intelligi ex ipsius Ciceronis verbis potest, quæ in hac oratione posuit. Dixit enim sic:* Instant post hominum memoriam apparatissimi magnificentissimique ludi. *Fenestella quidem posuit hanc inter eas orationes, quas dixit Cicero L. Domitio, Appio Claudio* Coss. *ultimam. Sed ut ego ab eo dissentiam, facit primum, quod Piso reversus est ex provincia Pompejo & Crasso* Coss. *Gabinius Domitio & Appio; hanc autem orationem dictam ante Gabinii reditum, ex ipsa manifestum est: deinde quod magis naturale est, ut in ipso recenti reditu invectus sit in Ciceronem, responderitque insectationi ejus, qua revocatus erat ex provincia, prius quam post anni intervallum. Apparet autem Ciceronem respondisse Pisoni in senatu. Cum dicat in ipsa oratione Cicero, instare magnificentissimos apparatissimosque ludos, non video*

quo modo hoc magis Domitio & Appio Coss. dictum sit, quibus consulibus nulli notabiliores ludi fuerunt, quam Pompejo & Crasso: quo anno Pompejus exquisitissimis magnificentissimisque omnis generis ludis theatrum dedicavit. ASCONIUS.

Tametsi hæc oratio sic inscribitur, In L. Pisonem: *tamen non puto vos ignorare, hunc Pisonem ex ea familia esse, quæ Frugi appellata sit: & ideo dicit aspernari eum moribus nomen.* IDEM.

ORATIONIS SYNOPSIS.

ORatio est in genere *Demonstrativo*; vitam enim Pisonis & scelera insectatur, ac deinde concludit minitando judicium.

1. Exponit quam diversa ratione ipse, & Piso assecuti fuerint Magistratus: *Jam ne vides;* suumque cum Pisonis Consulatu comparat: *Nam quid ego*; ubi enumerat flagitia admissa a P. Clodio, tacente Pisone Consule: *Cujus fuit initium*; & ejus dictum de Ciceronis Consulatu redarguit: *Idem illo fere biduo*. Consulari causæ probat debitum fuisse consulare præsidium: *At quærebat etiam;* se autem non ex timore cessisse, quippe fortem hominem: *Ac tamen si consilium*; utrumque *ab Adjunctis*. Hinc non fuisse Pisonem Consulem *ab Effectis* ostendit: *Tu etiam mentionem;* & ejus pertinaciam in defendendo Clodio *ab Exemplo dissimili* Gabinii, & *ab Adjunctis* personæ Pompeji, insectatur: *At ne tum quidem*.

2. Pisonem increpat *ab Adjunctis* objicientem pro maledicto Reip. vulnera: *Tunc etiam*; & *a Comparatione minorum*: *Qui si calamitosissimus;* & utriusque discessum confert: *Atque, ut tuum*.

3. Absentiam suam cum Pisonis absentia comparat, & in primis narrat, quam benevoli in se omnes fuerint: *Me Kal. Jan.* Deinde quam turpiter

Piso

Piso obtinuerit, quam segniter administraverit provinciam: *Confer nunc, Epicure*. Describit Pisonis, & Gabinii miseram sortem *a Causis*, lacerata eorum fama: *An ego, si te*; alterius quod nullas miserit ad Senatum literas: *Horum alterum*; alterius, quod illius literæ repudiatæ sint: *Ab altero allatæ*. Probat etiam *ab Effectis*, utrumque in insaniam incidisse: *Illud etiam accidit*.

4. Suum cum Pisonis reditu comparat: *Sed quoniam fortunarum*. Illum vanam gloriam captantem ex contemptu triumphi refellit 1. *ab Antecedentibus*, quia provinciam concupiverat: *O scelus, o pestis*; 2. *a Comparatione minorum: Quod si te senatus*; 3. *ab Exemplis* summorum virorum: *Non est integrum Cn. Pompejo*.

5. Odium omnium in Pisonem exponit: *Age, senatus odit te*; ejus domestica scelera: *Nam, quod vobis*; & narrat quo modo ipse hæc noverit de Pisone: *Dicet aliquis*.

6. Multis rationibus contendit, sibi ob unum versum illam calamitatem non contigisse, ut objecerat Piso: *Qui modo res gestas*; Pompejo se iratum esse non debere, *a Causis*, quia deceptus noluit, & privatus non potuit: *Complecteris amplissimos viros*; sed neque Cæsari, tum Reip. causa, tum ipsius: *Hic tu hostis*.

7. Refert Pisonis scelera, ut ostendat legi de repetundis obnoxium, & in primis quæ crudeliter fecerat: *Notata a nobis sunt*; deinde quæ avare: *Quid avaritiæ*; tandem, quæ ante profectionem ex provincia admiserat: *Quid illa in Pontum profectio*.

8. In *Peroratione* concludit accusari posse de repetundis: *Quæ cum ita sint*; non esse flagitandam in Pisonem damnationem: *Equidem, ut paulo ante*; & jam omnes mortales de eo judicasse: *An ego expectem*, ubi mire amplificat omnium hominum in Pisonem justissimum odium.

CONTENTIO.

I. *** Jamne vides (*a*), bellua, jamne sentis, quæ sit hominum querela frontis tuæ? Nemo queritur, Syrum (1) nescio quem de grege novitiorum (2), factum esse consulem. Non enim nos color iste servilis, non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit, hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit. Pauci ista tua lutulenta vitia noveramus, pauci tarditatem ingenii, stuporem, debilitatemque linguæ. Nunquam erat audita vox in foro, nunquam periculum factum consilii, nullum non modo illustre, sed ne notum quidem factum aut militiæ, aut domi. Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum (3), quarum simile habes nihil, præter colorem.

Is mihi (*b*) etiam gloriabitur, se omnes magistra-

*** *Deest principium*. Vide Fragmenta.

(1) *Syrum*) Hoc est, servum. Eodem sensu dixit in Orat. post reditum in senatu: *Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres*.

(2) *Novitiorum*) Novitius venalitius dicitur, qui recens alicunde advenerit. Qualis a Juvenali Sat. I. describitur, vers. 96. *Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis*. Abram.

(3) *Fumosarum imaginum*) Ob antiquitatem generis. *Manutius*.

ANALYSIS.

(a) *Jamne vides*) Cum *Exordio* multa alia desunt, maxime quæ ad ejus maternum genus spectabant, & animi vitia frontis integumento occultata; hoc autem loco concludit, eo deceptos errore homines tum reliquos Magistratus, tum etiam Consulatum Pisoni demandasse.

(b) *Is mihi*) Et alia multa de se gloriose Piso, & illud maxime commemoraverat, se omnes Magistratus sine repulsa assecutum; quod ita refellit Cicero *a Comparatione*:

Is talia de se jure potest prædicare, cujus nulli fuere majores;

Sed

gistratus sine repulsa assecutum? Mihi ista licet de me vera cum gloria prædicare. Omnes enim honores populus Romanus mihi ipsi, homini novo *, detulit. Nam, tu cum quæstor es factus, etiam qui te nunquam viderant, tamen illum honorem nomini mandabant tuo. Ædilis es factus: Piso est a populo Romano factus, non iste Piso. Prætura item majoribus delata est tuis. Noti erant illi mortui; te vivum nondum noverat quisquam. Me cum quæstorem in primis, ædilem priorem, prætorem primum cunctis suffragiis populus Romanus faciebat, homini ille honorem, non generi, moribus, non majoribus meis, virtuti perspectæ, non auditæ nobilitati deferebat.

Nam quid ego (*a*) de consulatu loquar? parto vis, anne gesto? Miserum me! cum hac me nunc peste atque labe confero? Sed nihil comparandi causa loquar; ac tamen ea, quæ sunt longissime disjuncta, comprehendam. Tu consul es renuntiatus (nihil dicam gravius, quam quod omnes fatentur) impeditis reipublicæ temporibus, dissidentibus consulibus Cæsare & Bibulo, cum hoc non recusares, quin ii, a quibus dicebare consul, te luce dignum non putarent, nisi nequior, quam Gabinius, extitisses. Me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas non prius tabella, quam voce, priorem consulem declaravit.

II.

* Al. *non nomini*.

A N A L Y S I S.

Sed Pisonis majoribus detulit Magistratus populus, non Pisoni;
mihi vero ipsi, non meis majoribus;
Ergo mihi hæc de me licet prædicare, non Pisoni.

(a) *Nam quid ego*) Suum Consulatum comparat cum Pisonis Consulatu, & in primis quam diversa ratione uterque eum honorem consecutus sit, exponit *ab Adjunctis*:

Laudabile est, quieta Rep., & summo omnium consensu fieri Consulem;
Sed ego ita sum factus Consul, Piso Rep. perturbata, conspiratione improborum;
Ergo mihi laudabilis, Pisoni turpis fuit delatio Consulatus.

II. Sed omitto (*a*), ut sit factus uterque nostrum. Sit sane Fors domina campi. Magnificentius est dicere, quemadmodum gesserimus consulatum, quam quemadmodum ceperimus. Ego Kalendis (*b*) Jan. senatum & bonos omnes legis Agrariæ, maximarumque largitionum metu liberavi. Ego agrum Campanum, si dividi non oportuit, conservavi; si oportuit, melioribus auctoribus (1) reservavi. Ego in C. Rabirio, perduellionis reo, quadraginta annis ante me consulem (2) interpositam senatus auctoritatem sustinui contra invidiam, atque defendi. Ego adolescentes bonos (3) & fortes, sed usos ea conditione fortunæ, ut, si essent,

(1) *Melioribus auctoribus*) Quam quos Rullus Trib. plebis, lege sua decem viros creabat. Utitur autem hac distinctione: si dividi non oportet, si oportet: ne Cæsarem offendat, qui Consul partem agri Campani, sua lege diviserat. *Idem*.

(2) *Ego in C. Rabirio, perduellionis reo, quadraginta annis ante me consulem*) Possit aliquis credere, lapsum memoria Ciceronem, qui dicat, XL. annis ante se consulem factum esse S. C. adversus L. Apulejum Saturninum tribunum plebis: cum XXXVI. anni a C. Mario & L. Valerio Flacco consulibus numerentur. Sed hic non subtilis computatio annorum facta est, verum summatim tempus comprehensum est: & perinde accipiendum, ac si dixerit, *prope* XL. *annis*. Hæc enim consuetudo est ipsius Ciceronis: itaque idem in ea quoque, quam habuit in Catilinam in senatu, cum octavus decimus dies esset, posteaquam factum S. C. ut viderent consules ne quid respublica detrimenti caperet, dixit: *Vigesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim S. C. veruntamen inclusum in tabulis, tanquam gladium in vagina reconditum*. Ascon.

(3) *Adolescentes bonos*) Significat proscriptorum liberos. L. Sylla eos lege lata petendorum honorum potestate privarat. Cum nihilominus petere vellent, Cicero contra eos orationem habuit, cujus extat fragmentum. *Hotomanus*. Vide Fragm. Orat. *de Proscriptorum liberis*.

ANALYSIS.

(a) *Sed omitto*) Deinde res utriusque in Consulatu gestas confert, & arguit *ab Effectis*:

Ille est vere Consul, qui pacem, Senatus auctoritatem, & libertatem tuetur;
Sed hæc omnia ego tutatus sum, Piso evertit;
Ego igitur Consul, non Piso.

(b) *Ego Kal.*) *Assumptionis* primam partem de se ipso probat *ab enumeratione* rerum omnium, quas summa cum laude gesserat in suo Consulatu.

essent magistratus adepti, reipublicæ statum convulsuri viderentur, meis inimicitiis, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione privavi. Ego Antonium collegam, cupidum provinciæ, multa in republica molientem, patientia atque obsequio meo mitigavi. Ego provinciam Galliam (1), senatus auctoritate, exercitu & pecunia instructam & ornatam, quam cum Antonio communicavi *, quod ita existimabam tempora reipublicæ ferre, in concione deposui, reclamante populo Romano. Ego L. Catilinam, cædem senatus, interitum urbis, non obscure, sed palam molientem, egredi ex urbe jussi, ut, a quo legibus non poteramus, mœnibus tuti esse possemus. Ego tela extremo mense consulatus mei intenta jugulis civitatis, de conjuratorum nefariis manibus extorsi. Ego faces jam accensas ad hujus urbis incendium comprehendi, protuli, extinxi.

III. Me Q. Catulus (*a*), princeps hujus ordinis, & auctor publici consilii, frequentissimo senatu, parentem patriæ nominavit. Mihi hic vir clarissimus, qui propter te sedet, L. Gellius, his audientibus, civicam coronam deberi a republica dixit. Mihi togato senatus, non ut multis bene gestæ, sed ut nemini, conservatæ reipublicæ **, singulari genere supplicationis deorum immortalium templa

* Hotom. *commutavi*. ** Lamb. addit *testimonium dedit*, *& singulari*.

(1) *Ego Provinciam Galliam*) Consules solebant provincias sortiri, vel inter se comparare, id est, extra sortem convenire inter se, quam quisque provinciam in annum sequentem obtineret. Cicero cum Antonium Macedoniæ cupidum videret, eam ultro ipsi sine sorte concessit, ut Collegam hoc obsequio mitigatum ad reipublicæ partes adduceret. Ac ne Galliam quidem, quam in illa provinciarum comparatione obtinuerat, retinuit, sed eam deinde in concione deposuit, quod id putaret reipublicæ rationibus expedire. *Abram.*

ANALYSIS.

(a) *Me Q. Catulus*) Præterea *a testimonio* Catuli, Gellii, & universi populi.

pla patefecit. Ego cum in concione (1), abiens magistratu, dicere a tribuno plebis prohiberer, quæ constitueram, cumque is mihi tantummodo ut jurarem permitteret, sine ulla dubitatione juravi, rempublicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam. Mihi populus Romanus universus illa in concione non unius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatemque donavit, cum meum jusjurandum tale atque tantum, juratus ipse, una voce & consensu approbavit. Quo quidem tempore is meus domum fuit e foro reditus, ut nemo, nisi qui mecum esset, civium esse in numero videretur. Atque ita est a me consulatus peractus, ut nihil sine consilio senatus, nihil non approbante populo Romano egerim; ut semper in Rostris curiam, in senatu populum defenderim; ut multitudinem cum principibus, equestrem ordinem cum senatu conjunxerim. Exposui (*a*) breviter consulatum meum.

IV. Aude nunc, o furia, de tuo dicere: cujus fuit initium ludi Compitalitii (2), tum primum facti post L. Metellum & Q. Marcium consules, contra auctoritatem hujus ordinis: quos Q. Metellus

(1) *Ego, cum in concione*) Diximus jam antea, a Q. Metello Nepote tribuno pl. Ciceronem consulatu abeuntem prohibitum esse concionari de rebus, quas in eo magistratu gessit. *Asconius*.

(2) *Cujus fuit initium ludi Compitalitii*) Dicit de ludis Compitaliciis, quos Q. Metellus fieri vetuit. *Asconius*. Compitalia erant festa Diis viarum præsidibus sacra, in compitis celebrari solita a mortuorum affinibus.

ANALYSIS.

(*a*) *Exposui*) Alteram *Assumptionis* partem pertractat commemorando scelera Pisonis; quorum primum illud de Compitalitio die amplificat *a Comparatione minorum*:

Multo magis auctoritatem Senatus tueri debet Consul, quam privatus;
Sed Piso Consul ludos Compitalitios fieri voluit contra Senatus auctoritatem, quos Q. Metellus privatus fieri vetuerat;
Ergo maximum in ea re fuit scelus Pisonis.

lus (facio injuriam fortissimo viro mortuo, qui illum, cujus paucos pares hæc civitas tulit, cum hac importuna bellua conferam) sed ille designatus consul, cum quidam tribunus plebis suo auxilio magistros ludos (1) contra senatusconsultum facere jussisset, privatus fieri vetuit: atque id, quod nondum potestate poterat, obtinuit auctoritate. Tu, cum in Kalendas Januarias Compitalitiorum dies incidisset, Sex. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuisset, ludos facere (2), & prætextatum volitare passus es, hominem impurum, atque non modo facie, sed etiam oculo tuo dignissimum.

Ergo his (*a*) fundamentis positis consulatus tui, triduo post, inspectante & tacente te, a P. Clodio, fatali portento prodigioque reipublicæ, lex Ælia & Fu-

(1) *Magistros ludos*) Vulg. *magnos ludos*, inepte. Non de ludis magnis, sed compitalitiis loquitur Cicero, quos magistri vicorum facere solebant ante collegia sublata. Pisonem igitur accusat Cicero, quod Consul eos primum post sublata collegia contra S. C. fieri permisisset. *Pighius*. Al. *magistros vicorum ludos*.

(2) *Ludos facere*) L. Cæcilio, Q. Marcio Coss. quos & ipse Cicero supra memoravit, S. C. collegia sublata sunt, quæ adversus rempubl. videbantur esse. Solebant autem magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum faciebant Compitalitios prætextati, qui ludi sublatis collegiis discussi sunt. Post novem deinde annos, quam sublata erant, P. Clodius tribunus pl. lege lata restituit collegia. Invidiam ergo & crimen restitutorum confert in Pisonem, quod, cum consul esset, passus sit antequam lex ferretur, facere prætextatum ludos Sex. Clodium. Is fuit familiarissimus Clodii, & operarum Clodianarum dux: quo auctore postea illato ab iis corpore Clodii, curia cum eo incensa est. Quos ludos tunc quoque fieri prohibere tentavit L. Mummius trib. pl. Ante biennium autem, quam restituerentur collegia, Q. Metellus Celer consul designatus magistros ludorum ludos Compitalitios facere prohibuerat, ut Cicero tradit, quamvis auctore tribuno pl. fierent, cujus tribuni nomen adhuc non inveni. *Ascon*.

ANALYSIS.

(a) *Ergo his*) Prosequitur cætera, abrogatam a Clodio legem Æliam, Fusiam, & Censoriam severitatem sublatam; Piso enim erat in culpa, quippe cum Consul esset, pati non debebat, fieri hæc a Clodio.

Fusia (1) eversa est, propugnacula murique tranquillitatis atque otii: collegia, non ea solum, quæ senatus sustulerat, restituta sunt, sed innumerabilia quædam nova, ex omni fæce urbis, ac servitio constituta. Ab eodem homine, in stupris inauditis nefariisque versato, vetus illa magistra pudoris & modestiæ, severitas censoria sublata est: cum tu interim, bustum reipublicæ, qui te consulem tum Romæ dicis fuisse, verbo nunquam significaris sententiam tuam tantis in naufragiis civitatis.

V. Nondum, quæ feceris, sed quæ fieri passus sis, dico. Neque vero multum interest, præsertim in consule, utrum ipse perniciosis legibus, improbis concionibus rempublicam vexet, an alios vexare patiatur. An potest ulla esse excusatio non dicam male sentienti, sed sedenti, cunctanti, dormienti in maximo reipublicæ motu consuli? Centum prope (a) annos legem Æliam & Fusiam tenueramus, quadringentos judicium notionemque* cen-

* Lamb. *notationemque*. Al. *rationemque*.

(1) *Lex Ælia & Fusia*) Diximus, L. Pisone, & A. Gabinio Coss. P. Clodium tribunum pl. quatuor leges perniciosas tulisse, Annonariam, de qua Cicero hoc loco mentionem non facit, (fuit enim summe popularis) ut frumentum populo, quod antea semis æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur. Alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cælo servaret: propter quam rogationem ait legem Fusiam & Æliam, propugnacula & muros tranquillitatis atque otii, eversam esse: obnuntiatio enim, qua perniciosis legibus resistebatur, quam Ælia lex confirmaverat, erat sublata. Tertiam de collegiis restituendis, novisque instituendis, quæ ait ex servitiorum fæce constituta. Quartam, ne quem censores in senatu legendo præterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, & utriusque censoris sententia damnatus esset. Hac ergo ejus lege censuram, quæ magistra pudoris & modestiæ est, sublatam ait. *Asconius*.

ANALYSIS.

(a) *Centum prope*) Deinde utitur amplificatione *ab Adjunctis*, quæ talis est:

Turpe est scelus ea delere, quæ per tot annos nemo impius evertit;
Sed legem Æliam, & severitatem Censoriam nemo impius per tot annos evertit;
Ergo summum scelus Pisonis, qui ea deleri passus est.

censoriam: quas leges ausus est non nemo improbus, potuit quidem nemo, convellere: quam potestatem minuere, quo minus de moribus nostris quinto quoque anno judicaretur, nemo tam effuse petulans conatus est.

Hæc sunt (*a*), o carnifex! in gremio sepulta consulatus tui. Persequere connexos his funeribus dies. Pro Aurelio tribunali, ne connivente quidem te, quod ipsum esset scelus, sed etiam hilarioribus oculis, quam solitus eras, intuente, delectus servorum habebatur ab eo, qui nihil sibi unquam nec facere, nec pati turpe duxit (1): arma in templo Castoris, (o proditor templorum omnium!) vidente te, constituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit, te consule, arx civium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, castellum forensis latrocinii, bustum legum omnium ac religionum. Erat non solum domus mea, sed totum Palatium senatu, equitibus Romanis, civitate omni, Italia cuncta refertum, cum tu non modo ad eum Ciceronem (mitto enim domestica, quæ negari possunt, hæc commemoro, quæ sunt palam) non modo, inquam, ad eum, cui primam (2) comitiis tuis dederas tabulam prærogativæ, quem in senatu sententiam rogabas (3) te-

(1) *Ab eo, qui nihil sibi unquam nec facere, nec pati turpe duxit*) Profecto intelligitur, P. Clodium significari. *Idem*.

(2) *Primam*) Ut ego primus comitiis tuis consularibus in prima centuria primæ classis suffragium ferrem. In quo multum benevolentiæ erga te meæ, multum fidei tribuere visus est. *Manutius*.

(3) *Rogabas*) Consul. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Hæc sunt*) Tertio se desertum a Pisone memorat, cum oppugnaretur a Clodio; quod mire amplificat *ab Adjunctis* Clodii, cui favebat; Ciceronis, quem deserebat; Causæ proditionis, ut provinciam haberet, & ebrietatem simul exprobrat; Responsi, quod a Clodio productus dederat contra Ciceronem.

tertium, nunquam aſpiraſti (1), ſed omnibus conſiliis, quæ ad me opprimendum parabantur, non interfuiſti ſolum, verum etiam crudeliſſime præfuiſti.

VI. Mihi vero ipſi coram genero meo, propinquo tuo, quæ dicere auſus es? egere, foris eſſe Gabinium (2), ſine provincia ſtare non poſſe, ſpem habere a tribuno plebis, ſi tua conſilia cum illo conjunxiſſes, a ſenatu quidem deſperaſſe: hujus te cupiditati obſequi, ſicuti ego feciſſem in collega meo: nihil eſſe, quod præſidium conſulum implorarem: ſibi quemque conſulere oportere. Atque hæc dicere vix audeo. Vereor, ne qui ſit, qui iſtius inſignem nequitiam, frontis involutam integumentis, nondum cernat: dicam tamen. Ipſe certe agnoſcet, & cum aliquo dolore flagitiorum ſuorum recordabitur.

Meminiſtine, cœnum, cum ad te quinta fere hora cum C. Piſone veniſſem, neſcio quo e gurguſtio te prodire, involuto capite, ſoleatum? & cum iſto ore fœtido teterrimam nobis popinam inhalaſſes, excuſatione te uti valetudinis, quod diceres, vinolentis te quibuſdam medicaminibus ſolere curari? quam nos cauſam cum accepiſſemus, (quid enim facere poteramus?) pauliſper ſtetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo, unde tu nos, cum improbiſſime reſpondendo, tum turpiſſime eructando, ejeciſti. Idem illo fere biduo productus in concionem ab eo, cui ſic æquatum præbebas conſulatum tuum (3), cum eſſet interroga-

(1) *Nunquam aſpiraſti*) Nunquam accedere conatus, ut amico iniquiſſime vexato opem ferres. *Idem*.

(2) *Foris eſſe Gabinium*) Debitor, qui latitat, neque ſui conveniendi copiam facit, foris eſſe dicitur. *Lambinus*. Manutius conjicit, *ægre conſiſtere Gabinium*.

(3) *Cui ſic æquatum præbebas conſulatum tuum*) Utrum *æquatum* dixit, quod conſulare imperium tribuniciæ poteſtati æquaret, id eſt, majus & gravius eſſe non ſineret, qua in re imminuti magiſtratus tenebatur: an potius quod ſuum magiſtratum ei tanquam viam planam & æquatam ad omnia ſua conſilia perficienda præbeat? Quod magis puto. *Hotomanus*. Hic ego poſſum multa ſuſpicari; quid probem tamen, plane nihil habeo. *Manutius*.

gatus, quid sentires de consulatu meo, gravis auctor, Calatinus credo aliquis, aut Africanus, aut Maximus, & non Cæsoninus (1) semi-Placentinus (2) Calventius, respondes, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio, *Crudelitatem tibi non placere* (3).

VII. Hic te ille homo dignissimus tuis laudibus collaudavit. Crudelitatis (*a*) tu, furcifer, senatum consul in concione condemnas? non enim me, qui senatui parui. Nam relatio illa salutaris & diligens fuerat consulis, animadversio quidem & judicium senatus. Quæ cum reprehendis, ostendis, qualis tu, si ita forte accidisset, fueris illo tempore consul futurus. Stipendio (*b*) mehercule & frumento Catilinam esse putasses juvandum. Quid enim interfuit inter Catilinam, & eum, cui tu senatus auctoritatem, salutem civitatis, totam rempublicam provinciæ præmio vendidisti? Quæ enim (*c*) L. Catilinam conantem consul prohibui,

(1) *Cæsoninus*) Nisi me fallunt Asconii verba, Calventius patris Pisonis socer fuit, id est L. Pisonis, contra quem hæc oratio est, maternus avus. Cæsoninus autem cognomen est patris Pisonis, quod testimonio quoque lapidum Capitolinorum, qui anno U. C. DCV. Calpurniæ genti cognomen hoc addunt, intelligitur.

(2) *Semi-Placentinus*) Propter maternum avum; qui trans Alpes in Italiam profectus, Placentiæ consedit. Calpurnius autem paterni generis est; Calventius materni. *Idem*.

(3) *Crudelitatem tibi non placere*) Crudelitatis notam inurebat Ciceroni: cujus consulis jussu, auctore tamen senatu, quinque cives Romani, conjurationis principes, in carcere essent interfecti. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Crudelitatis*) Responsum illud Pisonis redarguit, tum quia Senatum videbatur reprehendere auctorem sumendi supplicii de Conjuratis, tum quia ipse significaverat, quam male esset in Remp. animatus; unde sic arguit *a Pari:*

Qui favit Clodio in perniciem Reip., favisset & Catilinæ, si potuisset;
Sed Piso favit Clodio, cum Remp. everteret;
Ergo & Catilinæ favisset, si tunc fuisset Consul.

(b) *Stipendio*) *Propositionis* approbatio a similitudine morum utriusque.

(c) *Quæ enim*) *Assumptio*; & comparando facta Clodii cum Catilinæ consiliis ipsam etiam illustrat *Propositionem*.

bui, ea P. Clodium facientem consules adjuverunt. Voluit ille senatum interficere, vos sustulistis: leges incendere, vos abrogastis: interire patriam (1), vos adjuvistis. Quid est vobis consulibus gestum sine armis? Incendere illa conjuratorum manus voluit urbem, vos ejus domum, quem propter urbs incensa non est. Ac ne illi quidem, si habuissent vestri similem consulem, de urbis incendio cogitassent. Non enim se tectis privare voluerunt, sed his stantibus nullum domicilium sceleri suo fore putaverunt. Cædem illi civium, vos servitutem expetistis. Hic vos etiam crudeliores. Huic enim populo ita fuerat ante vos consules libertas insita, ut emori potius, quam servire, præstaret.

Illud vero geminum consiliis Catilinæ, & Lentuli, quod me domo mea expulistis, Cn. Pompejum domum suam compulistis. Neque enim, me stante & manente in urbis vigilia, neque resistente Cn. Pompejo, omnium gentium victore, unquam se illi rempublicam delere posse duxerunt. A me quidem etiam pœnas expetistis, quibus conjuratorum manes mortuorum expiaretis: omne odium, inclusum nefariis sensibus impiorum, in me profudistis. Quorum ego furori nisi cessissem, in Catilinæ busto, vobis ducibus, mactatus essem. Quod autem majus indicium expectatis, nihil inter vos & Catilinam interfuisse, quam quod eandem illam manum ex intermortuis Catilinæ reliquiis concitastis? quod omnes undique perditos collegistis? quod in me carcerem effudistis? quod conjuratos armastis? quod eorum ferro ac furori * meum corpus, atque omnium bonorum vitam objicere voluistis? Sed jam redeo ad præclaram illam concionem tuam.

VIII.

* In vulg. deest *ac furori*.

(1) *Interire patriam*) Legendum putant quidam, *interimere patriam*. Quibus propemodum assentior. *Lamb.*

VIII. Tu es ille (a), cui crudelitas displicet? cui, cum senatus luctum ac dolorem suum vestis mutatione declarandum censuisset, cum videres mœrere rempublicam amplissimi ordinis luctu, o noster misericors! quid facis? quod nulla in barbaria quisquam tyrannus. Omitto enim illud, consulem edicere, ut senatus senatusconsulto ne obtemperet: quo fœdius nec fieri, nec cogitari quidquam potest. Ad misericordiam redeo ejus, cui nimis videtur senatus in conservanda patria fuisse crudelis.

Edicere est ausus cum illo suo pari, quem tamen omnibus vitiis superare cupiebat, ut senatus, contra quam ipse censuisset, ad vestitum rediret' Quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos quos luctu afficeret, lugere non sineret? Mœrorem relinquis, mœroris aufers insignia: eripis lacrimas non consolando, sed minando. Quod si vestem non publico consilio Patres Conscripti, sed privato officio, aut misericordia mutavissent, tamen id iis non licere per interdicta crudelitatis tuæ, potestatis erat non ferendæ. Cum vero id senatus frequens censuisset, ordines reliqui jam ante fecissent; tu ex tenebricosa popina consul extractus, cum illa saltatrice (1) tonsa (2), senatum populi Romani oc-

(1) *Cum illa saltatrice*) Cum Gabinio collega, qui & saltandi artem præ se fert, & post meum discessum domo & cantu & cymbalis personante nudus in convivio saltavit. Saltatricem vocat genere fœminino, ut ejus effœminatos mores & impudicitiam carpat, quemadmodum de provinciis Consularibus eum Semiramidem nominavit. Sic Torquatus Hortensium ignominiæ causa gesticulariam nominavit. Vid. Gellium, lib. 1. cap. 5. Macrob. Saturn. III. 14. *Abram.*

(2) *Tonsa*) Quia breviore coma, quam cæteri uteretur, lasciviæ causa. *Manut.*

A N A L Y S I S.

(a) *Tu es ille*) Alia ratione *ab Adjunctis* vituperat illud Pisonis responsum:

Illi non debet displicere crudelitas, qui omnium est crudelissimus;
Sed Piso omnium crudelissimus est;
Ergo ei non debet displicere aliorum crudelitas.

casum, atque interitum reipublicæ lugere vetuisti*.

IX. At quærebat (*a*) etiam paulo ante de me, quid suo mihi opus fuisset auxilio; cur non meis inimicis meis copiis restitissem. Quasi vero non modo ego, qui multis sæpe auxilio fuissem, sed quisquam tam inops fuerit unquam, qui isto non modo propugnatore tutiorem se, sed advocato (1), aut adstipulatore paratiorem fore putaret. Ego istius pecudis, ac putidæ carnis (2) consilio scilicet, aut præsidio niti volebam? ab hoc ejecto cadavere quidquam mihi aut opis, aut ornamenti expetebam**? Consulem ego tum requirebam, consulem, inquam, non illum qudem, quem in hoc animali invenire non possem, qui ta tam reipublicæ causam gravitate & consilio suo tueretur, sed qui, tanquam truncus atque stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus. Cum enim esset omnis causa illa mea consularis & senatoria (3), auxilio mihi opus fuerat & consulis, & senatus: quorum alterum etiam ad perniciem meam erat a vobis consulibus conversum, alterum reipublicæ penitus ereptum. Ac tamen (*b*), si consilium

* Vulg. *Senatum reip. occasum atque interitum lugere vetuisti.*
** Vulg. *expectabam.*

(1) *Advocato*) Neque orando tueri aliquem Piso potest, neque juvare præsentia, aut testimonio suo, in judicio. *Ferratius.*

(2) *Istius pecudis ac putidæ carnis*) Gravi tum animi tum corporis vitiorum exprobratione Pisonem insectans, a stoliditate pecudem, a valetudine & forma putidam carnem appellat. *Abram.* Vulg. *putidæ canis .... uti volebam?*

(3) *Consularis, & senatoria*) Mihi enim crimini dabatur, quod consul feceram, ex auctoritate senatus. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *At quærebat*) Hoc est, quod supra dixit: *sibi quemque consulere oporte e*; respondet Cicero, se a Pisone non imploraffe auxilium, quod nullum esse poterat, sed a Pisone Consule; idque sibi debitum fuisse probat *ab Adjunctis:*

Causa Consularis, & Senatoria a Consule, & a Senatu defendi debet;
Sed causa mea erat Consularis, & Senatoria;
Ergo a Consule maxime, & a Senatu mihi opem ferri oportebat.

(b) *Ac tamen*) Secundo profitetur, se non timore inimicorum

lium exquiris meum, neque ego cessissem, & me ipsa suo complexu patria tenuisset, si mihi cum illo bustuario gladiatore (1), & tecum, & cum collega tuo decertandum fuisset.

Alia enim (*a*) causa præstantissimi viri, Q. Metelli, fuit: quem ego civem, meo judicio, cum deorum immortalium laude conjungo: qui C. illi Mario, fortissimo viro, & consuli, & sextum consuli, & ejus invictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum esse duxit. Quod mihi igitur certamen esset hujusmodi? cum C. Mario (*b*) scilicet, aut cum aliquo pari, an cum altero barbaro Epicureo (2), cum altero, Catilinæ laternario (3)? quos neque hercule ego, neque supercilium tuum, neque collegæ tui cymbala ac crotala

(1) *Bustuario gladiatore*) P. Clodio. *Bustum*, locus dicebatur, ubi mortuorum corpora comburerentur. Hinc *bustuarius gladiator*, qui solitus esset homines interimere; quasi per quem multi cremarentur. *Manut.*

(2) *Barbaro Epicureo*) Ita Faernus. Ego, *Epicuro*, malo, præsertim cum ita habeant Memm. codices: & ratione quoque hæc lectio confirmetur. Nam barbarum Epicurum dixit, propter Epicurum Atheniensem, Gargettium. *Barbarum* autem, id est, Romanum, seu Latinum. Sic enim sæpe Plautus. Vel dic *barbarum*, id est, semi-Placentinum, & braccatæ cognationis. Postremo infra eodem nomine appellat, ibi: *confer nunc Epicure noster*. Appellat scilicet Epicurum Pisonem, tanquam voluptatis laudatorem: barbarum, utpote semi-Placentinum, ut distinguat ab illo Gargettio, & Attico Epicuro. *Lamb.* Alii *barbato* legunt, & sic interpretatur Ferratius: Quamvis Epicuream vitam duceret, barbam tamen alebat, ut populum deciperet simulatione gravitatis.

(3) *Catilinæ laternario*) Gabinio, comite nocturno Catilinæ ad stupra eunti. *Hot.* Sic etiam Lambinus.

ANALYSIS.

rum cessisse, sed amore Patriæ; quod pariter ostendit *ab Adjunctis* personarum:

Vir fortis non timet perditorum hominum tela;
Sed ego vir fortis, Clodius, Piso, & Gabinius perditissimi homines;
Ergo cessi non timore illorum, sed amore Patriæ.

(*a*) *Alia enim*) *Propositionis* approbatio *a Dissimili*; nam ideo cessit Q. Metellus Numidicus, quia sibi res erat cum fortissimis viris, non cessisset, si cum sceleratis decertandum fuisset.

(*b*) *Cum C. Mario*) *Assumptionis* utraque pars.

tala (1) fugi : neque tam fui timidus, ut, qui in maximis turbinibus ac fluctibus reipublicæ navem gubernassem, salvamque in portu collocassem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem. Alios ego (*a*) vidi ventos, alias prospexi animo procellas, aliis impendentibus tempestatibus non cessi, sed his unum me pro omnium salute obtuli. Itaque discessu tum meo omnes illi nefarii gladii de manibus crudelissimis exciderunt : cum quidem (*b*) tu, o vecors & amens, cum omnes boni abditi inclusique mœrerent, templa gemerent, tecta ipsa urbis lugerent, complexus es illud funestum animal ex nefariis stupris, ex civili cruore, ex omnium scelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum, atque eodem in templo (2), eodem & loci vestigio & temporis, arbitria non mei solum, sed patriæ funeris abstulisti (3).

X. Quid ego illorum dierum epulas, quid lætitiam & gratulationem tuam, quid cum tuis sordidissimis gregibus intemperantissimas perpotationes prædicem? Quis te illis diebus sobrium, quis agentem aliquid, quod esset libero dignum, qui denique in publico vidit? cum collegæ tui domus cantu & cymbalis personaret, cumque ipse nudus in convivio saltaret : in quo ne tum quidem, cum illum

(1) *Cymbala ac crotala*) Quorum ad concentum saltaret. Cymbala vulgo nota : de crotalis, obscœni carminis poeta, *Crispum sub crotalo docta movere latus*. Manut. Vide Scaliger. ad Copam.

(2) *Eodem in templo*) Ubi Clodius de me rogationem ferebat. *Idem*.

(3) *Arbitria non mei solum, sed patriæ funeris abstulisti*) Præmia mei funeris, provinciam scilicet Macedoniam : quam, prodito Cicerone, accepit, lege Clodia, tanquam præmium. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Alios ego*) *Complexio* ; sensus enim est : Vidi, cum eram Consul, ventos, & procellas his multo majores, quibus tamen non cessi.

(b) *Cum quidem*) Tertio Pisoni, & Gabinio exprobrat in communi omnium luctu importunam lætitiam ; si enim ferre sibi auxilium nolebant, ne Clodio quidem adesse illos oportebat, tantaque insolentia impium de Patria triumphum canere.

ſum ſuum ſaltatorium verſaret orbem (1), fortunæ rotam pertimeſcebat. Hic autem, non tam concinnus helluo, nec tam muſicus, jacebat in ſuo* Græcorum fœtore atque vino. Quod quidem iſtius, in illis reipublicæ luctibus, quaſi aliquod Lapitharum, aut Centaurorum (2) convivium ferebatur: in quo nemo poteſt dicere, utrum iſte plus biberit, an vomuerit, an effuderit.

Tu etiam (a) mentionem facies conſulatus tui? aut te fuiſſe Romæ conſulem dicere audebis? Quid? (b) tu in lictoribus, in toga & prætexta eſſe conſulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio (3), te conſule, eſſe voluiſti. Hujus tu Clodiani canis inſignibus** conſulatum decla-

* Al. *ſuorum*. ** Lamb. *his tu*, *Clodiana canis*, *inſignibus*.

(1) *Cum illum ſuum ſaltatorium verſaret orbem*, *&c.*) Choream Homerus, Iliad. XVIII. 599. cum rota comparat, quam experitur figulus, an ſit bene ad motum expedita. Id facit autem verſando nunc dextrorſum, nunc ſiniſtrorſum. Ita qui choreis indulgent, *ſimul implicitis manibus*, in orbem compoſiti, *alios*, *aliosque reflexus inter ſe repetunt*, ut deſcribit Actius Sannazarius, *Eclog. VI.* 60. Illam ſaltantium coronam vocat *ſaltatorium orbem* Cicero. Ut enim pugna gladiatoria ea eſt, quam gladiatores committunt, ſic *orbis ſaltatorius*, quem conficiunt ſaltatores. Verſabat *orbem ſaltatorium* Gabinius; quoniam ducebat choream, uti princeps & choragus. Jam rota, globus, ſphæra, ſaxum rotundum, pila, ejus generis alia, Fortunæ ſimulacro adjuncta, illius deſignant inſtabilitatem. At hanc non melius adumbrat curulis rota, quam figularis. Si rotæ curuli Fortuna inſidet, per vices aſſurgit & deprimitur; ſi figulari, nunc vultum obvertit, nunc tergum. Satis hæc eſſe arbitror explicandæ hujus loci ſententiæ. Velim tam facile mihi ſit, frigidum, quem continet, jocum excuſare. Vide Dialogum *de Oratoribus*, ſive *de cauſis corruptæ eloquentiæ*, cap. 18. & 23. *Olivetus*.

(2) *Lapitharum*, *aut Centaurorum*) Quod cum cæde, & contentione factum, fabulæ narrant. *Manut.*

(3) *In Sex. Clodio*) Cum eum magiſtrum ludorum Compitalibus eſſe voluiſti. *Idem*. Vide ſupra, cap. 4.

ANALYSIS.

(a) *Tu etiam*) Oblata occaſione, probat iterum Piſonem non fuiſſe Romæ Conſulem, argumento ducto *ab Effectis*.

Non eſt Conſul, qui non utitur Senatu, & qui ſe tyrannice gerit;
Sed Piſo nullum habuit Senatum, & ſe in omnibus tyrannice geſſit;
Non fuit igitur Piſo Conſul.

(b) *Quid?*) *Propoſitionis* approbatio a falſa, quam rejicit, & vera *Definitione* Conſulis, quam admittit.

rari putas? Animo consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere consulatus omni officio tuendo (1), maximeque, id quod vis nominis præscribit, reipublicæ consulendo. Ego consulem (*a*) esse putem, qui senatum esse in republica non putavit? & sine eo consilio (2) consulem numerem, sine quo Romæ ne reges quidem esse potuerunt? Etenim illa (*b*) jam omitto: cum servorum delectus haberetur in foro, arma in templum Castoris luce & palam comportarentur; id autem templum, sublato aditu, revulsis gradibus, a conjuratorum reliquiis atque a Catilinæ prævaricatore (3) quondam, tum ultore, armis teneretur; cum equites Romani relegarentur, viri boni lapidibus e foro pellerentur, senatui non solum juvare rempublicam, sed ne lugere quidem liceret; cum civis is, quem hic ordo, assentiente Italia cunctisque gentibus, conservatorem patriæ judicarat, nullo judicio, nulla lege, nullo more, servitio atque armis pelleretur, non dicam auxilio vestro, quod vere licet dicere, sed certe silentio; tum Romæ (*c*) fuisse consules quisquam exi-

(1) *Omni officio tuendo* &c.) Hæc verba nunc primum Ciceroni accedunt, eruta e Pal. sec. nec longe aliter codex Turingicus. *Grut.*

(2) *Sine eo consilio*) Sine senatu: quod summum consilium vocabatur. *Idem.*

(3) *Prævaricatore*) Clodius de repetundis Catilinam accusaverat redeuntem ex Africa, a quo deinde pecuniam accepit, ut turpissime prævaricaretur. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *Ego Consulem*) Prima pars *Propositionis* alia ratione approbata *a Comparatione majorum*; si enim Reges non potuerunt esse sine Senatu, multo minus Consules.

(b) *Etenim illa*) *Assumptionis* secunda pars; nam prima ex supra dictis manifesta est.

(c) *Tum Romæ*) *Complexio*; fuit ergo Tyrannus. Ad quam illustrandam ostendit, defuisse Pisoni animum Consulatus capacem, & ab ipsa Capua, quæ Ciceronem maxime coleret, fuisse talem Consulem repudiatum.

existimabit? Qui latrones igitur, si quidem vos consules? qui prædones, qui hostes, qui proditores, qui tyranni nominabuntur?

XI. Magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna majestas consulis: non capiunt angustiæ pectoris tui, non recipit levitas ista, non egestas animi; non infirmitas ingenii sustinet, non insolentia rerum secundarum tantam personam, tam gravem, tam severam. Seplasia mehercle, ut dici audiebam, te, ut primum aspexit, Campanum consulem repudiavit (1). Audierat Decios, Magios, & de Taurea illo Jubellio aliquid acceperat: in quibus si moderatio illa, quæ in nostris solet esse consulibus, non fuit, at fuit pompa, fuit species, fuit incessus, saltem Seplasia dignus & Capua.

Gabinium denique si vidissent duumvirum vestri illi unguentarii, citius agnovissent. Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes cerussatæque buccæ, dignæ Capua, sed illa vetere. Nam hæc quidem, quæ nunc est, splendidissimorum hominum, fortissimorum virorum, optimorum civium, mihique amicissimorum multitudine redundat: quorum Capuæ te prætextatum nemo aspexit, qui non gemeret desiderio mei, cujus consilio cum universam rempublicam, tum illam ipsam urbem meminerant esse servatam. Me inaurata statua donarant, me patronum unum adsciverant, a me se habere vitam, fortunas, liberos arbitrabantur; me & præsentem contra latrocinium tuum suis decretis legatisque defenderunt, & absentem,

(1) *Seplasia mehercule, ut dici audiebam, te ut primum aspexit, campanum consulem repudiavit*) C. Cæsar cum in suo consulatu coloniam Capuam deduxisset, duumviros ei L. Pisonem socerum & Cn. Pompejum generum præfecit. Invidiose igitur *Campanum consulem* dixit pro *Duumvirum*. Seplasia autem vicus fuit Capuæ celeberrimus, in quo unguentarii cæterique hujusmodi habitabant. Ideo autem repudiatum fuisse dicit a Seplasia Pisonem, vel quod Decii Magii & Taureæ Jubellii pompam non adæquaret, vel quod unguentariis tamquam sordidus & impexus videretur esse infestior. *Abram*.

tem, principe Cn. Pompejo referente (1), & de corpore reipublicæ tuorum ſcelerum tela revellente, revocarunt.

An tu eras (*a*) conſul, cum in Palatio mea domus ardebat, non caſu aliquo, ſed ignibus injectis, inſtigante te? Ecquod in hac urbe majus unquam incendium fuit, cui non conſul ſubvenerit? At tu illo ipſo tempore apud ſocrum tuam prope a meis ædibus, cujus domum ad meam exhauriendam pateſeceras, ſedebas (2), non extinctor, ſed auctor incendii, & ardentes faces furiis Clodianis pene ipſe conſul miniſtrabas.

XII. An vero reliquo tempore conſulem te quiſquam duxit? quiſquam tibi paruit? quiſquam in curiam venienti aſſurrexit? quiſquam conſulenti reſpondendum putavit? Numerandus eſt ille annus denique in republica, cum obmutuiſſet ſenatus, judicia conticuiſſent, mœrerent boni, vis latrocinii veſtri tota urbe volitaret, neque civis unus ex civitate, ſed ipſa civitas tuo, & Gabinii ſceleri ſurorique ceſſiſſet? At ne tum (*b*) quidem emerſiſti,

(1) *Principe Cn. Pompejo referente*) Vide poſt Redit. in ſen. cap. 11.

(2) *Ecquod in hac urbe majus unquam incendium fuit, cui non Conſul ſubvenerit? At tu illo ipſo tempore apud ſocrum tuam prope a meis ædibus, cujus domum ad meam exhauriendam pateſeceras, ſedebas*) Poſt profectionem ex urbe Ciceronis, bona ejus P. Clodius publicavit. Poſtea direpta ſunt omnia, quæ aut in domo, aut in villis fuerunt, & ex eis ad ipſos conſules lata complura. Domus direpta primum, deinde inflammata, ac diruta eſt. Socrus Piſonis quæ fuerit invenire non potui, videlicet quod auctores rerum non perinde in domibus ac familiis fœminarum, niſi illuſtrium, ac virorum nomina tradiderunt. *Aſconius*.

ANALYSIS.

(a) *An tu eras*) Proſequitur *Aſſumptionis* ſecundam partem cum *Complexione*.

(b) *At ne tum*) Exprobrat demum Piſoni pertinaciam in defendendo Clodio etiam contra Pompejum, Ciceronem reſtituere volentem; cum tamen alia fuerit cauſa inimicitiæ inter Clodium, & Pompejum, ut narrat Plutarchus; ſic igitur *ab Adjunctis*:
Turpe eſt ſummi Viri periculum negligi a Conſule;
Sed Piſo Conſul Cn. Pompeji ſummi viri periculum neglexit;
Ergo Conſul non eſt habendus.

sti, lutulente Cæsonine, ex miserrimis naturæ tuæ sordibus, cum experrecta tandem virtus clarissimi viri (1) celeriter & verum amicum, & optime meritum civem, & suum pristinum morem requisivit; neque est ille vir passus in ea republica, quam ipse decorarat atque auxerat, diutius vestrorum scelerum pestem morari: cum tamen (*a*) ille, qualiscunque est, qui est ab uno te improbitate victus, Gabinius, collegit ipse se vix, sed collegit tamen, & contra suum Clodium, primum simulate, deinde non libenter, ad extremum tamen pro Cn. Pompejo vere vehementerque pugnavit. Quo quidem in spectaculo mira populi Romani æquitas erat. Uter eorum perisset, tanquam lanista (2), in ejusmodi pari lucrum fieri putabat: immortalem vero quæstum, si uterque cecidisset.

Sed ille tamen agebat aliquid; tuebatur auctoritatem summi viri. Erat ipse sceleratus, erat gladiator; cum scelerato tamen, & cum pari gladiatore pugnabat. Tu scilicet (*b*), homo religiosus & sanctus, fœdus, quod meo sanguine in pactione provinciarum iceras, frangere noluisti. Caverat enim sibi ille sororius adulter (3), ut, si tibi provinciam, si exercitum, si pecuniam ereptam ex reipublicæ visceribus dedisset, omnium suorum scelerum socium te adjutoremque præberes. Itaque in

(1) *Virtus clarissimi viri*) Profecto Cn. Pompejum significari intelligitur. *Idem*.

(2) *Tanquam lanista*) Populum lanistam vocat: erat autem lanista, qui gladiatorum paria instituebat, & in certamen mittebat, accepta ab iis, qui gladiatores dabant, pecunia. *Ferrat.*

(3) *Sororius adulter*) Clodius, qui cum sororibus rem habuisse dicebatur. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Cum tamen*) *Propositionem* confirmat *a Dissimili*, nam Gabinius licet homo sceleratus, arma tamen pro Pompejo sumpsit.

(b) *Tu scilicet*) *Assumptio*, qua exponitur, ut a Clodio Pompejus fuerit armis petitus; eamque amplificat *a Causis*, cum ideo Piso auxilium Pompejo non tulerit, quia pecunia, & provincia fuerat a Clodio corruptus.

in illo tumultu (1) fracti fasces, ictus ipse: quotidie tela, lapides, fugæ: deprehensus (2) denique cum ferro ad senatum is, quem ad Cn. Pompejum interimendum collocatum fuisse constabat.

XIII. Et quis * audivit non modo actionem aliquam, aut relationem (3), sed vocem omnino, aut querelam tuam? Consulem (a) tum te fuisse putas, cujus in imperio, qui rempublicam, senatus auctoritatem servarat, idemque in Italia (4), qui omnes omnium gentium partes tribus triumphis devinxerat, is se in publico tuto statuit esse non posse? An tum (b) eratis consules, cum,

* Vulg. *Ecquis*.

(1) *In illo tumultu*) In pugna quam cum Gabinio Clodiani commiserant: ictus est enim ipse consul, fractique ejus fasces. *Ferrat.*

(2) *Deprehensus*) Clodii libertus Damio. Asconius pro Milone. *Manut.*

(3) *Et quis audivit non modo actionem aliquam, aut relationem*) Ecquis vidit te resistentem non dicam potestate consulari, sed vel privato consilio? Actio enim & relatio videtur esse consularis, vox & querela privati officii, ut relatio sit consultatio Senatus, actio ipsius senatusconsulti conclusio. *Abram.*

(4) *Idemque in Italia*) Locus sine dubio corruptus est, quamvis omnia pene exemplaria consentiant. Lambinus legendum putat, *itemque in Italia*. Magis placet Manutii correctio, *is neque in Italia*, ut sensus sit: *Cujus* Pisonis *in Imperio*, sive Consulatu, *qui rempublicam Senatus auctoritate servarat* (ipse Cicero, qui ex senatusconsulto Cethego, Lentulo, & aliis conjuratis in carcere jugulatis, rempublicam ab interitu vindicarat.) *Is neque in Italia*, (idem ipse Cicero ne in Italia quidem statuit tuto se posse consistere, ideoque putavit exeundum esse & cedendum furoribus Clodianis.) *Qui omnes omnium gentium partes tribus triumphis devinxerat*. Et Pompejus Magnus, qui Domitio in Africa, Sertorio in Europa, Mithridate in Asia superatis, de tribus terrarum partibus triumpharat, easque sub unam populi Romani redactas ditionem inter se devinxerat & colligarat, *is se in publico statuit esse non posse*. Idem ipse Pompejus metu Clodii, qui ipsius vitæ insidiabatur, caruit publico, nec prodivit in forum, privatis se parietibus defendens. Legit Janus Gulielmius adstipulante Grutero: *Qui remp. Senatus auctoritate servarat, fidemque in Italia: qui omnes*, &c. quasi publicam mensariorum fidem in Italia Cicero servarit oppressa conjuratione: quæ fides labefactabatur a conjuratis, qui spe novarum tabularum patriæ bellum inferebant. *Abram.*

ANALYSIS.

(a) *Consulem*) *Complexio*.

(b) *An tum*) Reliquum tempus eorum Consulatus insectatur,

tum, quacunque de re verbum facere cœperatis, aut referre ad senatum, cunctus ordo reclamabat, ostendebatque, nihil esse vos acturos, nisi prius de me retulissetis? cum vos, quanquam fœdere obstricti (1) tenebamini, tamen cupere vos diceretis, sed lege impediri?

Quæ lex (*a*) privatis hominibus esse lex non videbatur, inusta per servos, incisa per vim, imposita per latrocinium, sublato senatu, pulsis e foro bonis omnibus, capta republica contra omnes leges, nullo scripta more; hanc qui se metuere dicerent, consules, non dicam animi hominum, sed fasti ulli ferre possunt? Nam, si illam (*b*) legem non putabatis, quæ erat contra omnes leges, indemnati civis atque integri capitis, bonorumque tribunitia proscriptio, hac tamen obstricti pactione tenebamini: quis vos non modo consules, sed liberos fuisse putet, quorum mens fuerit oppressa præmio, lingua adstricta mercede? Sin illam vos soli legem putabatis, quisquam vos consules tunc fuisse, aut nunc esse consulares putet, qui ejus civitatis, in qua in principum numero vultis esse, non leges, non instituta, non mores, non jura noritis? An, cum (*c*) pro-

(1) *Fœdere obstricti*) Fœderis quod meo sanguine in pactione provinciarum iceratis, religione devincti. *Idem*.

ANALYSIS.

tur, quo, instante Senatu, ut de Cicerone restituendo referretur, ipsi negaverant hoc fieri posse, quod lex Clodia id fieri prohiberet; tali utitur *Dilemmate*:

Aut vos nulla quidem lege, sed pactione obstricti tenebamini, aut revera illam esse legem putabatis;
Si primum, scelerati estis; si secundum, inscii, & stolidi;
Ergo neque tunc fuistis Consules, neque nunc Consulares.

(a) *Quæ lex*) Secundam partem probat *a minori ad majus*; si enim privati homines eam legem esse non putabant, multo minus Consules eam putare legem debebant, latam contra omnes leges; quod infra etiam repetitur.

(b) *Nam, si illam*) Prima pars amplificata *a Caussis*; turpe enim erat, mentem Consulis præmio, & mercede corrumpi.

(c) *An, cum*) Consulatu absoluto, reliqua etiam persequitur; Pisonis profectionem in provinciam, absentiam, & reditum. Quoad primum de profectione.

proficiſcebamini paludati in provincias vel emptas, vel ereptas, conſules vos quiſquam putavit? Itaque, credo, ſi minus frequentia ſua veſtrum egreſſum ornando atque celebrando, at ominibus ſaltem bonis, ut conſules, non triſtiſſimis, ut hoſtes, aut proditores proſequebantur.

XIV. Tune etiam (*a*), immaniſſimum ac fœdiſſimum monſtrum, auſus es meum diſceſſum illum, teſtem ſceleris & crudelitatis tuæ, maledicti & contumeliæ loco ponere? Quo quidem (*b*) tempore cepi, Patres Conſcripti, fructum immortalem veſtri in me & amoris & judicii, qui non admurmuratione, ſed voce & clamore, abjecti hominis & ſemivivi furorem petulantiamque fregiſtis. Tu luctum (*c*) ſenatus, tu deſiderium equeſtris ordinis, tu ſqualorem Italiæ, tu curiæ taciturnitatem annuam, tu ſilentium perpetuum judiciorum ac fori, tu cætera illa in maledicti loco pones, quæ meus diſceſſus reipublicæ vulnera inflixit? Qui ſi (*d*) calamitoſiſſimus fuiſſet, tamen miſericordia dignior, quam contumelia, & cum gloria potius eſſe conjunctus, quam cum probro putaretur: atque ille, dolor meus duntaxat, veſtrum quidem ſcelus ac dedecus haberetur. Cum vero (forſitan

ANALYSIS.

(a) *Tune etiam*) Piſonem redarguit ſibi diſceſſum ſuum objicientem, *ab Adjunctis:*

Turpe eſt alicui pro maledicto objicere id, quod Reip. vulnera inflixit;

Sed meus diſceſſus multa, magnaque Reip. vulnera inflixit;

Ergo turpe eſt, mihi a Piſone meum diſceſſum objici.

(b) *Quo quidem*) *Propoſitionem* confirmat auctoritate univerſi Senatus, qui talia dicenti Piſoni reclamaverat.

(c) *Tu luctum*) Nunc exponit, quæ vulnera per ſuum diſceſſum inflicta ſint Reip. ad confirmandam *Aſſumptionem*.

(d) *Qui ſi*) Secundo ſuum diſceſſum contumeliæ loco ſibi ponendum non eſſe, ſic oſtendit *a Comparatione minorum*:

Si calamitoſiſſimus fuiſſet meus diſceſſus, tamen mihi gloriæ potius eſſet, quam contumeliæ;

Sed fuit mihi potius perbonorificus, ob collata a vobis in me beneficia;

Ergo nullo modo contumeliæ loco poni debet.

ſitan hoc, quod dicturus ſum, mirabile auditu eſſe videatur, ſed certe id dicam, quod ſentio) cum tantis a vobis, Patres Conſcripti, beneficiis affectus ſim, tantis honoribus, non modo illam calamitatem eſſe non duco, ſed ſi quid mihi poteſt a republica eſſe ſejunctum, quod vix poteſt, privatim ad meum nomen augendum, optandam duco mihi fuiſſe illam expetendamque fortunam.

Atque ut (*a*) tuum lætiſſimum diem cum triſtiſſimo meo conferam, utrum tandem bono viro & ſapienti optabilius putas, ſic exire a patria, ut omnes ſui cives ſalutem, incolumitatem, reditum precentur, quod mihi accidit; an, quod tibi proficiſcenti evenit, ut omnes execrarentur, male precarentur, unam tibi illam viam & perpetuam eſſe vellent? Mihi, medius fidius, in tanto omnium mortalium odio, juſto præſertim & debito, quævis fuga potius, quam ulla provincia, eſſet optatior.

XV. Sed perge (*b*) porro. Nam, ſi illud meum turbulentiſſimum tempus profectionis, tuo tranquilliſſimo præſtat, quid conferam reliqua, quæ in te dedecoris plena fuerunt, in me dignitatis? Me Kalendis Jan. qui dies poſt obitum occaſumque noſtrum reipublicæ primus illuxit, frequentiſſimus ſenatus concurſu Italiæ, referente clariſſimo atque fortiſſimo viro, P. Lentulo, conſentiente populo Romano, atque una voce revocavit. Me idem ſenatus exteris nationibus, me legatis magiſtratibuſque noſtris, auctoritate ſua, conſularibus literis, non, ut tu, Inſuber *, dicere auſus es, orbatum patria, ſed ut ſenatus illo ipſo tempore appel-

* Vulg. *nuper*.

A N A L Y S I S.

(a) *Atque, ut*) Tertio Piſonis diſceſſum cum ſuo confert, & alterum ad gloriam maxime optabilem, alterum propter commune omnium odium, turpiſſimum fuiſſe contendit.

(b) *Sed perge*) Abſentiam utriuſque comparat; in primis autem de ſe commemorat, quam honorifice Senatus, quam amice principes Civitatis, quam ſtudioſe Italia cuncta egerint, ut reſtitueretur.

pellavit, civem conservatorem * reipublicæ commendavit. Ad meam unius salutem senatus auxilium omnium civium cuncta ex Italia, qui rempublicam salvam esse vellent, consulis voce & literis implorandum putavit. Mei capitis servandi causa Romam uno tempore, quasi signo dato, Italia tota convenit. De mea salute P. Lentuli, præstantissimi viri atque optimi consulis, Cn. Pompeji, clarissimi atque invictissimi civis, cæterorumque principum, celeberrimæ & gravissimæ conciones fuerunt. De me senatus ita decrevit, Cn. Pompejo auctore, & ejus sententiæ principe, ut, si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur: iisque verbis ea de me senatus auctoritas declarata est, ut nemini sit triumphus honorificentius, quam mihi salus restitutioque perscripta. De me, cum omnes magistratus promulgassent, præter unum prætorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, præterque duos de lapide emptos (1) tribunos plebis (2), legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus consul de collegæ Q. Metelli sententia, quem mecum eadem respublica, quæ in tribunatu ejus disjunxerat, in consulatu, virtute optimi ac justissimi viri sapientiaque conjunxit.

Quæ lex quemadmodum accepta sit, quid me attinet dicere? Ex vobis audio, nemini civi ullam, quo minus adesset, satis justam excusationem esse visam, nullis comitiis unquam multitudinem hominum tantam, neque splendidiorem fuisse: hoc certe video, quod indicant tabulæ publicæ, vos ro-

* Vulg. *servatoremque*.

(1) *De lapide emptos*) Pecunia corruptos a Clodio. Morem notavit emendi servos de lapide. *Manut.* Vide Turneb. Adversf. X. 3.

(2) *Fratrem inimici mei, præterque duos de lapide emptos tribunos pl.*) P. Clodii App. Claudius, sicut jam sæpe significavimus, fuit frater. Duos tribunos, de quibus ipsis sæpe jam diximus, quos de lapide emptos ait, quia mercede id faciebant, Sex. Attilium Serranum, & Q. Numerium significat. *Asconius*.

rogatores, vos distributores *, vos custodes fuisse tabularum; &, quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis, vel ætatis excusatione, vel honoris, id in salute mea, nullo rogante, vos vestra sponte fecistis.

XVI. Confer nunc (*a*), Epicure noster, ex hara producte, non ex schola, confer, si audes, absentiam tuam cum mea. Obtinuisti provinciam consularem finibus iis, quos lex cupiditatis tuæ, non quos lex generi tui pepigerat. Nam lege Cæsaris justissima atque optima, populi liberi plane & vere erant liberi: lege autem ea, quam nemo legem, præter te & collegam tuum, putavit, omnis erat tibi Achaja, Thessalia, Athenæ, cuncta Græcia addicta. Habebas exercitum tantum, quantum tibi non senatus aut populus Romanus dederat, sed quantum tua libido conscripserat. Ærarium exhauseras.

Quas res gessisti in imperio, exercitu, provincia consulari? Quas res gesserit quæro? qui ut venit, statim...... Nondum (1) commemoro rapinas, nondum exactas pecunias, non captas, non imperatas, non neces sociorum, non cædem hospitum, non perfidiam, non immanitatem, non scelera prædico: mox, si videbitur, ut cum fure, ut cum sacrile-

* Vulg. *diribitores*.

(1) *Statim.... Nondum*) Orationem abrumpit sensu nondum absoluto. Elegans plane figura, qua fit, ut ex tempore effusa, non domo allata fuisse videatur oratio. *Abramus*. Plura Grævius collegit exempla. Vide in Verrem V. 26. Agrar. I. 4. Pro Murena, 14. Vult autem Hieronymus Lagomarsinus hic lacunam esse, ac prope mathematica ratione demonstrare aggreditur. Vide illius *ad Jacobum Facciolatum* epistolam, *qua quid in M. T. Ciceronis contra L. Pisonem oratione interciderit, demonstratur*. Prodiit Venetiis, anno 1734. *Olivetus*.

ANALYSIS.

(a) *Confer nunc*) Deinde narrat, quam inique Piso provinciam obtinuerit, quam segniter rem militarem tractaverit, per comparationem aliorum Proconsulum, quam de se ipse demisse judicaverit, nullas mittendo ad Senatum literas, cum mitteret ipse Gabinius.

crilego, ut cum sicario disputabo; nunc meam spoliatam fortunam conferam cum florente fortuna imperatoris. Quis unquam provinciam cum exercitu obtinuit, qui nullas ad senatum literas miserit? tantam vero provinciam cum tanto exercitu, Macedoniam præsertim, quæ tantis barbarorum gentibus attingitur, ut semper Macedonicis imperatoribus iidem fines provinciæ fuerint, qui gladiorum atque pilorum; ex qua aliquot prætorio imperio, consulari quidem nemo rediit, qui incolumis (1) fuerit, qui non triumpharit. Est hoc novum. Multo illud magis: appellatus est hic vulturius illius provinciæ (si diis placet (2)) imperator.

XVII. Ne tum quidem, Paule noster (3), tabulas Romam cum laurea (4) mittere audebas? Misi,

(1) *Incolumis*) Qui rem prospere gesserit, inquit Manutius. Non arridet. Hæc enim dicit, ut Macedoniam segetem esse triumphorum ostendat, adeo ut qui eam administrarit provinciam, ei sit aut triumphandum, aut judicium subeundum, ut his verbis C. Antonium excipere videatur, qui non triumphavit ille quidem, sed judicum sententia damnatus est. *Incolumis* igitur idem est atque indemnatus. *Abram.* Incolumis nihil aliud hic est, quam dignitate illæsa imperator. Omnes, inquit, Proconsules, qui ex Macedonia salva & integra existimatione redierunt, triumpharunt. Pro Plancio: *Qui ne equestrem quidem splendorem incolumem a calamitate judicii retinere potuit.* Si quis non incolumis rediret, poterat quidem accusari, & damnari, sed non poterat dici indemnatus. *Grævius.*

(2) *Si Diis placet*) His verbis antiqui, rei de qua loquebantur, indignitatem exprimebant. Livius libro 38. in oratione Manlii: *Ex decem legatis, si Diis placet, quod concilium dispensandæ, cohonestandæque victoriæ, Imperatoribus majores dederunt nostri, adversarios habeo.* Libro IV. in oratione Canuleji: *Quin etiam, si Diis placet, nefas esse ajunt consulem plebejum fieri.* Abram.

(3) *Paule noster*) Confido vos intelligere, L. Paulum hunc significari, qui fuit pater naturalis Africani posterioris, quique de Macedonia, atque ultimo ejus de rege triumphavit. Macedoniam autem Piso, in quem hæc oratio est, obtinuit: propter quod Paulum eum appellat, irridens eum, quod ibi se non prospere gessit. *Ascon.*

(4) *Tabulas.... cum laurea*) Literas lauro mittebant involutas ad indicium victoriæ, ut ex sexcentis locis compertum est. Hanc porro lauream in gremio Jovis Capitolini collocabant. Vide Plinium lib. XV. Historiæ naturalis cap. 30. & Plinium in anegyrico cap. 8. *Idem.*

Misi, inquit. Quis unquam recitavit? quis, ut recitarentur, postulavit? Nihil enim mea refert, utrum tu, conscientia oppressus scelerum tuorum, nihil unquam ausus sis scribere ad eum ordinem, quem despexeras, quem afflixeras, quem deleveras, an amici tui tabulas abdiderint, iidemque silentio suo temeritatem atque audaciam tuam condemnarint. Atque haud scio, an malim, te videri nullo pudore fuisse in literis mittendis, an amicos tuos plus habuisse (1) & pudoris & consilii, quam aut te videri pudentiorem (2) fuisse, quam soles, aut tuum factum non esse condemnatum judicio amicorum.

Quod si non tuis nefariis in hunc ordinem contumeliis in perpetuum tibi curiam præclusisses, quid tandem erat actum aut gestum in illa * provincia, de quo ad senatum cum gratulatione aliqua scribi abs te oporteret? vexatio Macedoniæ? an oppidorum turpis amissio? an sociorum direptio? an agrorum depopulatio? an munitio Thessalonicæ? an obsessio militaris viæ (3)? an exercitus nostri interitus, ferro, fame, frigore, pestilentia? Tu vero, qui ad senatum nihil scripseris, ut in urbe ne-

* Vulg. *in tua*.

(1) *Et amicos tuos plus habuisse*) Qui hunc locum attente legit, sic esse legendum, vel invitis libris omnibus, quemadmodum edidimus, judicabit: non, ut est in libris vulg. & aliis, *an amicos tuos*, &c. *Lamb.* Ego τὸ *an* delendum censeo, quod natum est ex principio voculæ sequentis *amicos*. Græv.

(2) *Pudentiorem*) In literis non mittendis. Duas partes habet hæc sententia, priorem de missis a Pisone literis ad senatum, sed abditis consilio amicorum; posteriorem, de non missis, nec abditis. Prior habet Pisonis impudentiam amicorum silentio condemnatam: posterior Pisonis conscientiam notat, qui cum sciret a se consule senatus auctoritatem prorsus esse contemptam, scribere ad eum de re gesta, & supplicationis honorem postulare merito non auderet: quod ejus factum amici non condemnarunt, nullis ab eo ad senatum literis acceptis. *Utrum*, inquit, *malim nescio*. Si literas misisti, impudentiam ostendisti; si non misisti, male te de senatu meritum esse confiteris. *Manutius*.

(3) *An munitio Thessalonicæ? An obsessio militaris viæ*) De utraque re vide Orat. de Prov. Consl.

quior inventus es, quam Gabinius, sic in provincia paulo tamen, quam ille, demissior. Nam ille gurges atque helluo, natus abdomini suo, non laudi atque gloriæ, cum equites Romanos in provincia, cum publicanos, nobiscum & voluntate & dignitate conjunctos, omnes fortunis, multos fama vitaque privasset, cum egisset aliud nihil in illo exercitu, nisi ut urbes depopularetur, agros vastaret, exhauriret domos, ausus est (quid enim ille non auderet? *) a senatu supplicationem per literas postulare.

XVIII. O dii immortales! tune etiam (*a*), atque adeo vos, geminæ voragines scopulique reipublicæ, vos meam fortunam deprimitis? vestram extollitis? cum de me ea senatusconsulta absente facta sint, eæ conciones habitæ, is motus fuerit municipiorum & coloniarum omnium, ea decreta publicanorum, ea collegiorum, ea denique generum ordinumque omnium, quæ ego non modo optare nunquam auderem, sed cogitare non possem? vos autem sempiternas fœdissimæ turpitudinis notas subieritis?

An ego (*b*), si te & Gabinium cruci suffixos viderem, majore afficerer lætitia ex corporis vestri laceratione, quam afficior ex infamia? Nullum est (*c*) supplicium putandum, quo affici casu aliquo etiam

* Vulg. *audeat*.

ANALYSIS.

(a) *Tune etiam*) Adeoque concludit, suam absentiam cum gloria fuisse conjunctam; Pisonis, & Gabinii fœdam omnino, atque turpem.

(b) *An ego*) Sequitur egregia amplificatio, qua miserrimam sortem Pisonis, & Gabinii exaggerat *a Causis*, quæ sic se habet:
Majus supplicium est laceratio famæ, quam corporis;
Sed Pisonis, quod nullas ad Senatum literas miserit, Gabinii, quod ejus literæ repudiatæ sint, fama lacerata est;
Ergo maximo omnium supplicio affecti sunt.

(c) *Nullum est*) Prima approbatio *Propositionis a Causis*, quia laceratio corporis provenit a fortuna, & accidere potest etiam.

etiam boni viri fortesque possunt. Atque hoc (*a*) quidem etiam isti tui dicunt voluptarii Græci; quos utinam ita audires, ut erant audiendi! nunquam te in tot flagitia ingurgitasses. Verum audis in præsepibus, audis in stupris, audis in cibo & vino. Sed dicunt isti ipsi, qui mala dolore, bona voluptate definiunt, sapientem, etiam si in Phalaridis tauro (1) inclusus succensis ignibus torreatur, dicturum tamen, suave illud esse, seseque ne tantulum quidem commoveri. Tantam virtutis esse vim voluerunt, ut non posset unquam esse vir bonus non beatus. Quæ est igitur pœna? quod supplicium? Id, mea sententia, quod accidere nemini potest, nisi nocenti, suscepta fraus, impedita & oppressa mens conscientia *, bonorum omnium odium, nota justi senatus; amissio dignitatis.

XIX. Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginienses, resectis palpebris, illigatum in machina, vigilando necaverunt, supplicio videtur affectus; nec C. Marius, quem Italia servata ab illo, demersum in Minturnensium paludibus, Africa devicta ab eodem, expulsum & naufragum vidit. Fortunæ enim ista tela sunt, non culpæ: supplicium autem est pœna peccati. Neque vero ego (*b*), si unquam vobis mala precarer, quod sæpe feci, in

* Vulg. *impedita & oppressa mens, bonorum odium, nota inusta a senatu, amissio dignitatis.*

(1) *In Phalaridis tauro*) Vide Tusc. II. cap. 7.

ANALYSIS.

etiam viris bonis; quæ infra etiam confirmatur exemplis M. Reguli, & C. Marii.

(a) *Atque hoc*) Secunda approbatio *a testimonio* Philosophorum; ubi adverte Epicureos non corporis, sed animi voluptate, quæque ex virtute provenit, felicitatem metiri solitos. Hic tamen Cicero de Stoicis loqui videtur.

(b) *Neque vero ego*) Tertia approbatio *per Prolepsin*, qua ostendit Poetas mortem, & cruciatum precari, ut vulgus, non ut sapientes moveant; quod præterea confirmat exemplo M. Marcelli, qui nepos illius Syracusani, cum bis triumphasset, in mari apud Africam periit.

in quo dii immortales meas preces audiverunt, morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer. Thyestea (1) ista execratio est, poetæ vulgi animos, non sapientum moventis:

Ut tu naufragio expulsus, uspiam saxis fixus asperis,
Evisceratus latere penderes, ut ait ille (2),
saxa spargens tabo,
Sanie, sanguine atro.

Non ferrem omnino moleste, si ita accidisset: sed id tamen esset humanum. M. Marcellus (3), qui ter consul fuit, summa virtute, pietate, gloria militari, periit in mari: qui tamen ob virtutem gloriæ laude * vivit. In fortuna quadam est illa mors, non in pœna putanda.

Quæ est igitur (*a*) pœna? quod supplicium? quæ saxa? quæ cruces? Ecce **, duo duces in provinciis populi Romani habere exercitus, appellari imperatores: horum alterum sic fuisse infirmatum conscientia scelerum & fraudum suarum, ut ex ea pro-

* Vulg. *gloria & laude*. ** Vulg. *esse*.

(1) *Thyestea*) Thyestis contra Atreum fratrem. *Manut.*

(2) *Ut ait ille*) Ennius qui Thyestem tragœdiam scripsit. *Idem*.

(3) *M. Marcellus*) Fortasse quæratis, quem dicat Marcellum. Fuit autem nepos M. Marcelli ejus, qui bello Punico secundo Syracusas vicit, & quinque consulatus adeptus est. Hic autem Marcellus, de quo Cicero dicit, naufragio ad ipsam Africam periit; paulo ante cœptum bellum Punicum tertium. Idem, cum statuas sibi ac patri, itemque avo poneret in monumentis avi sui ad Honoris & Virtutis ædem, subscripsit, *III. Marcelli novies Coss.* Fuerat autem avus quinquies, pater semel, ipse ter. Itaque neque mentitus, & apud imperitiores patris sui splendorem auxit. *Asconius*.

ANALYSIS.

(a) *Quæ est igitur*) *Assumptio*; & quoad Pisonem arguit *a Pari*:

Turpissimum est ex ea Provincia nullas ad Senatum literas mittere, ex qua cæteri honores, & triumphos reportarunt;
Sed reliqui ex Macedonia honores, & triumphos reportarunt;
Ergo Pisoni turpissimum est ex eadem nullas ad Senatum misisse literas.

provincia, quæ fuerit ex omnibus una maxime triumphalis, nullas sit ad senatum literas mittere ausus. Ex qua provincia modo vir omni dignitate ornatissimus, L. Torquatus, magnis rebus gestis, me referente, absens (1) imperator sit appellatus, unde his paucis annis Cn. Dolabellæ, C. Curionis, M. Luculli justissimos triumphos vidimus, ex ea, te imperatore, nuntius ad senatum allatus est nullus.

Ab altero (*a*) allatæ literæ, recitatæ, relatum ad senatum. Dii immortales! idne ego optarem, ut inimicus meus ea, qua nemo unquam, ignominia notaretur? ut senatus is, qui in eam jam benignitatis consuetudinem venit, ut eos, qui bene rempublicam gesserint, novis honoribus afficiat, & numero dierum, & genere verborum; hujus unius literis nuntiantibus non crederet, postulantibus denegaret?

XX. His ego (*b*) rebus pascor, his delector, his perfruor: quod de vobis hic ordo opinatur non secus, ac de teterrimis hostibus, quod vos equites Romani, quod cæteri ordines, quod cuncta civitas odit, quod nemo bonus, nemo denique civis est, qui modo se civem esse meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur, recordatione denique ipsa consulatus vestri perhorrescat. Hæc ego semper de vobis expetivi, hæc opta-

H 4

(1) *Absens*) Merito quærit Manutius, cur *absens* sit imperator appellatus? Non sane hæc referri possunt ad confirmationem senatus, qui, acceptis laureatis literis Imperatoris nomen & dignitatem Torquato ab exercitu victore impositum confirmarit. Sed quis Imperator unquam fuit, qui non hoc modo absens fuerit appellatus Imperator? Igitur, quamvis reclamantibus libris, censeo cum Manutio legendum *ab senatu*. Nimirum senatus cognita cæde & strage hostium ex Torquati literis, in responsione ipsum salutarit imperatorem; quamvis hoc nomen ei a suo exercitu non fuerit datum. *Grævius*.

ANALYSIS.

(a) *Ab altero*) Quoad Gabinium sic argumentatur *ab Adjunctis*:
Turpissima est illa ignominia, quæ nemini antea accidit;
Sed nemini ante Gabinium denegata est a Senatu supplicatio;
Ergo denegata supplicatio maximæ est ignominiæ Gabinio.

(b) *His ego*) *Complexio* Syllogismi cum expositione supplicii, quo Pisonis, & Gabinii fama fœde lacerata est.

optavi, hæc precatus sum. Plura etiam (*a*) acciderunt, quam vellem. Nam, ut amitteretis exercitum, nunquam mehercule optavi. Illud etiam accidit præter optatum meum, sed valde ex voluntate. Mihi enim non venerat in mentem furorem & insaniam optare vobis, in quam incidistis. Atqui fuit optandum: me tamen fugerat, deorum immortalium has esse in impios & consceleratos pœnas certissimas constitutas. Nolite enim putare, Patres Conscripti, ut in scena videtis, homines consceleratos impulsu deorum terreri Furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. Hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces.

Ego te (*b*) non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste (1), aut Athamante (2) dementiorem putem, qui sis ausus primum facere (nam id est caput) deinde paulo ante,

(1) *Oreste*) Clytemnestra Agamemnonem e Trojæ excidio redeuntem adulterii cum Ægistho perpetrati conscia occiderat. Eam patris ulciscendi causa filius Orestes interemit; matris interemptæ umbram identidem ob ora se filii obtrusisse, & parricidam serpentibus & tædis ardentibus vexasse fabulantur. Æneid. IV. 471. *Abram.*

(2) *Athamante*) Æoli filio, Thebarum rege, in eum furorem Junonis ira compulso, ut filios occideret. Exstat apud Ovidium fabula. Met. lib. IV. *Man.*

ANALYSIS.

(a) *Plura etiam*) Aliis etiam pœnis eos affectos fuisse ostendit, tum quod exercitus amiserint, ut videre est Orat. de Provinciis; tum quod in insaniam inciderint. Præmittit autem flagitia, & scelera esse illas furias, quibus Poetæ commenti sunt impiorum mentes agitari; hinc Pisonem, & Gabinium Diis annuentibus, suisque actos sceleribus, in furorem delapsos fuisse probat *ab Effectis*.

(b) *Ego te*) De Pisone quidem tali ratione:

Insanus est, qui privato consilio dimittit exercitum, idque audet palam fateri;

Sed Piso privato consilio dimisit exercitum, idque palam confitetur;

Ergo est insanus.

Propositionem confirmat, quia id facere non poterat sine S. C., aut lege populi; amplificat autem *a Comparatione minorum*; longe enim major provinciæ cura habenda est, quam privatæ familiæ.

te, Torquato, gravissimo & sanctissimo viro, premente, confiteri, te provinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum transportasses, sine ullo milite reliquisse? Mitto de amissa maxima parte exercitus: sit hoc infelicitatis tuæ. Dimittendi vero exercitus quam potes afferre causam? quam potestatem habuisti? quam legem? quod senatusconsultum? quod jus? quod exemplum? Quid est aliud furere, non * cognoscere homines, non cognoscere leges, non senatum, non civitatem? Cruentare (1) corpus suum? major hæc est vitæ, famæ, salutis suæ vulneratio. Si familiam tuam dimisisses, quod ad neminem, nisi ad ipsum te, pertineret, amici te tui constringendum putarent. Præsidium tu populi Romani, custodiam provinciæ, injussu populi senatusque dimisisses, si tuæ mentis compos fuisses?

XXI. Ecce tibi (*a*) alter, effusa jam (*b*) maxima præda, quam ex fortunis publicanorum, ex agris urbibusque sociorum exhauserat, cum partim ejus prædæ profundæ libidines devorassent, partim nova quædam & inaudita luxuries, partim etiam in illis locis, ubi omnia diripuit (2), emptiones, par-

* Vulg. *nisi non*.

(1) *Cruentare*) Putas furere esse, cruentare suum corpus? Major est furor, in suam famam & salutem, quam in suum corpus sævire. *Hotom*.

(2) *In illis locis, ubi omnia diripuit*) Puto deesse negationem, ut sit, *ubi non omnia diripuit*, alioqui quorsum vox *emptiones* pertineret? *Hotom*. Hic locus obscurus est. Enumerat rationes, quibus præda illa fuerit dissipata. Prima ratio est libido. 2. luxuries 3. emptiones, quia licet omnia diriperet, tamen ut latrocinia sua tegeret, sæpe statuas, columnas, tabulas &c. immani pretio comparabat. *Abram*. MS. *ubi omnes diripuit*.

ANALYSIS.

(a) *Ecce tibi*) Sic deinde in Gabinium insurgit:
Insanus est, qui rem agit contra omnia divina, & humana jura;
Sed Gabinius pecunia corruptus expeditionem in Ægyptum suscepit contra omnia jura divina, & humana;
Ergo omnino insanus putandus est.

(b) *Effusa jam*) *Assumptio*; & rem auget a dissipata maxima pecunia, quam per scelus ex provincia vastissima collegerat.

partim permutationes ad hunc Tusculanum montem (1) extruendum, cum jam egeret *, cum illa ejus immensa & intolerabilis ædificatio constitisset (2); se ipsum (3), fasces suos, exercitum populi Romani, numen interdictumque deorum immortalium (4), responsa sacerdotum, auctoritatem senatus, jussa populi, nomen ac dignitatem imperii, regi Ægyptio vendidit. Cum fines provinciæ tantos haberet, quantos voluerat, quantos optaverat, quantos mei capitis pretio emerat, his se tenere non potuit: exercitum eduxit ex Syria. Qui licuit (*a*) extra provinciam? Tribuit ** se mercenarium comitem regi Alexandrino. Quid hoc turpius? In Ægyptum venit, signa contulit cum Alexandrinis. Quando hoc bellum, aut hic ordo, aut populus susceperat? Cepit Alexandriam. Quid aliud expectamus a furore ejus, nisi ut ad senatum tantis de rebus gestis literas mittat?

Hic si mentis esset suæ, nisi pœnas patriæ diisque immortalibus eas, quæ gravissimæ sunt, furore

* In Vulg. deest *cum jam egeret*, & mox pro *immensa* leg. *intermissa*. ** Vulg. *præbuit*.

(1) *Tusculanum montem*) Non est contemnendus omnium fere librorum veterum consensus. Habent enim, *Ad hunc Tusculanum in monte montem exstruendum*. Quo major in Gabinium quæritur invidia, qui in editiore colle, quem vocat montem, suam villam quasi alterum montem exstruxisset. *Manutius*.

(2) *Ædificatio constitisset*) Id est hæsisset, nec propter nimios sumptus potuisset absolvi. *Abram.*

(3) *Se ipsum*) Historia narrat, Ptolemæum, Ægypti regem, pulsum a suis civibus propter scelera, restitutum a Gabinio Syriæ proconsule, auctoribus Cæsare & Pompejo, mercede decem millium talentorum: ut in orat. pro Postumo, & apud Suetonium. *Manut.*

(4) *Numen interdictumque Deorum immortalium*) Quia Sibyllæ versus Ægypti regem cum exercitu restitui vetabant. Lucanus, Dio. *Idem*.

A N A L Y S I S.

(*a*) *Qui licuit*) Ejusdem approbatio: nam illud erat contra leges, & contra religionem, quæ si non impediisset, ea provincia Lentulo Spintheri debebatur.

re atque insania penderet, ausus esset (mitto exire de provincia) educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum injussu populi ac senatus accedere? quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia majestatis, Julia de pecuniis repetundis, planissime vetant: sed hæc omitto. Ille si non acerrime fureret, auderet, quam provinciam P. Lentulus amicissimus huic ordini, cum & auctoritate senatus, & sorte haberet, interposita religione (1), sine ulla dubitatione deposuisset, eam sibi * asciscere, cum etiam si religio non impediret, mos majorum tamen, & exempla, & gravissimæ legum pœnæ vetarent?

XXII. Sed, quoniam (a) fortunarum contentionem facere cœpimus, de reditu Gabinii omittamus: quem etsi sibi ipse præcidit (2), ego tamen os ut videam hominis (3), expecto. Tuum, si placet, reditum cum meo conferamus. Ac meus quidem is fuit, ut a Brundusio usque Romam agmen perpetuum totius Italiæ viderem. Neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque præfectura, aut colonia, ex qua non publice ad me venerint gratulatum. Quid dicam adventus meos? quid effusiones hominum ex oppidis? quid concursum ex agris patrum familias cum conjugibus ac liberis? quid eos dies, qui quasi deorum immortalium festi ac sollemnes, sunt adventu meo redituque celebrati?

Unus

* Vulg. *sibi tum*.

(1) *Interposita religione*) Vide epist. ad Lentulum, *Fam.* I. 1.

(2) *Sibi ipse præcidit*) Effecit ipse suis sceleribus, ne redire possit. *Manut.* Veritus pœnas legum majestatis & de pecuniis repetundis. *Hotomanus*.

(3) *Os ut videam hominis*) Impudentiam ejus, qui redire audeat. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Sed, quoniam*) Suum etiam reditum cum Pisonis reditu confert, & de se narrat, quanto cum honore redierit, Pisonem ostendit clam Urbem ingressum, obvio nemine.

Unus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redii, cum senatum egressum vidi, populumque Romanum universum, cum mihi ipsa Roma prope convulsa sedibus suis, ad complectendum conservatorem suum procedere * visa est. Quæ me ita accepit, ut non modo omnium generum, ætatum, ordinum omnes viri ac mulieres, omnis fortunæ ac loci, sed etiam mœnia ipsa viderentur, & tecta urbis, ac templa lætari. Me consequentibus diebus (1) in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, pontifices, consules, patres conscripti collocaverunt, mihique, quod ante me nemini, pecunia publica ædificandam domum censuerunt.

Habes reditum meum. Confer nunc vicissim tuum, quandoquidem, amisso exercitu, nihil incolume domum, præter os illud pristinum tuum, retulisti: qui primum, qua veneris cum laureatis tuis lictoribus, quis scit? quos tum Meandros, dum omnes

* Vulg. *progredi*.

(1) *Me consequentibus diebus*) Hæc Cicero oratorio more, non historico, videtur posuisse. Nam multis ætatibus ante Ciceronem nulli id contigisse verum est. Nemini vero unquam antea, videamus, ne parum caute dicamus. Antiquis enim temporibus, pluribus idem contigit. Valerio Maximo, ut Antias tradidit, inter alios honores domus quoque publice ædificata est in Palatio: cujus exitus, quo magis insignis esset, in publicum versus declinaretur, hoc est, extra privatum aperiretur. Varronem autem tradere, M. Valerio, quia sæpius vicerat, ædes in Palatio tributas, L. Higinius dicit in libro priore de viris claris: P. Valerio Volesi filio Publicolæ ædes publicas sub Velia, ubi nunc ædes Victoriæ est, populum ex lege, quam ipse tulerat, concessisse. Tradunt & Antiochi regis filio obsidi domum publice ædificatam, inter quos Atticus in annalibus, quæ postea dicitur Lucilii poetæ fuisse. Varro quoque in lib. III. de vita populi Romani, quo loco refert, quam gratus fuerit erga bene meritos, dicit, Mutini, quod in Sicilia cum equitatu suo transierat ad nos, civitatem Romæ datam, ædesque, & pecuniam ex ærario. Videamus tamen, num ideo Cicero dicat sibi, quod antea nulli, domum pecunia publica ex ærario ædificatam, quia illis aut locus publice datus sit, aut domus quæ non fuerat eorum, neque propter illos publico sumptu ædificata: Ciceroni domus, quæ fuerat ipsius, & diruta atque incensa erat & consecrata, publico sumptu ædificata sit: quod novum & huic primo, & adhuc etiam soli contigit. *Ascon.*

omnes solitudines persequeris, quæ diverticula flexionesque quæsisti? quod te municipium vidit? quis amicus invitavit? quis hospes adspexit? nonne tibi nox erat pro die? non solitudo pro frequentia? caupona pro oppido? non ut redire ex Macedonia nobilis imperator, sed ut mortuus infamis referri videretur? Romam vero ipsam fœdavit adventus tuus.

XXIII. O familiæ non dicam Calpurniæ, sed Calventiæ, neque hujus urbis, sed Placentini municipii, neque paterni generis, sed braccatæ (1) cognationis dedecus! quemadmodum venisti? quis tibi, non dicam horum, aut civium cæterorum, sed tuorum legatorum obviam venit? Mecum enim L. Flaccus, vir tua legatione indignissimus, atque iis consiliis, quibus mecum in consulatu meo conjunctus fuit ad conservandam rempublicam, dignior, mecum fuit tum, cum te quidam non longe a porta cum lictoribus errantem visum esse narrabat. Scio item virum fortem in primis, belli ac rei militaris peritum, familiarem meum, Q. Marcium, quorum tu legatorum prælio imperator appellatus eras (2), cum non longe abfuisses (3), adventu isto tuo domi fuisse otiosum.

Sed quid ego enumero, qui tibi obviam non venerint? qui * dico venisse pene neminem, ne de officiosissima quidem natione candidatorum, cum vulgo essent & illo ipso, & multis ante diebus admoniti & rogati. Togulæ lictoribus ad portam præsto

* Vulg. *cui*.

(1) *Braccatæ*) Sic dicta est Gallia, quod braccis uteretur, quas nos *Brayes* appellamus, Germani *Brach*, vel *Broch*. Gallorum autem nomine Germanos plerumque veteres comprehendebant. *Hotom*.

(2) *Quorum tu legatorum prælio Imperator appellatus eras*) In Vaticano codice scriptum est. *Quorum tu legatorum opera in prælio Imperator appellatus eras*. Fulv. Ursinus.

(3) *Cum non longe abfuisses*) Immisi negativam fide Pall. editionumque vett. neotericæ abjecerant. Grut. *Abfuisses* a loco nimirum prælii, *Grævius*.

sto fuerunt: quibus illi acceptis, sagula rejecerunt, & catervam imperatori suo novam præbuerunt. Sic iste, tanto * exercitu, tanta provincia, triennio post Macedonicus imperator in urbem se intulit, ut nullius negotiatoris obscurissimi reditus unquam fuerit desertior. In quo me tamen, qui esset paratus ad se defendendum, reprehendit. Cum ego eum Cœlimontana porta introisse dixissem, sponsione me, ni Esquilina introisset, homo promptissimus lacessivit: quasi vero id aut ego scire debuerim, aut vestrum quispiam audierit, aut ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modo ne triumphali (1); quæ porta Macedonicis semper proconsulibus ante te patuit. Tu inventus es, qui consulari imperio præditus ex Macedonia non triumphares.

XXIV. At audistis (*a*), Patres Conscripti, philosophi vocem. Negavit, se triumphi cupidum unquam fuisse. O scelus, o pestis, o labes! cum extinguebas (*b*) senatum, vendebas auctoritatem hujus ordinis, addicebas tribuno plebis consulatum tuum, rempublicam evertebas, prodebas caput & salutem meam una ** mercede provinciæ, si triumphum (*c*) non cupiebas, cujus tandem rei te cupiditate arsisse defendes? Sæpe enim (*d*) vidi, qui & mihi, & cæteris cupidiores provinciæ viderentur, triumphi nomine tegere atque velare cupiditatem suam. Hoc

* Vulg. *a tanto*. ** In vulg. deest. *una*.

(1) *Triumphali*) Jocatur in ambiguo. Nam triumphalis porta Romæ erat, qua proconsules Macedonici triumphantes introibant, unde nomen: & eam, qua introivit Piso, ideo negat esse triumphalem, quia consulari præditus imperio ex Macedonia non triumphavit. *Manut.*

A N A L Y S I S.

(a) *At audistis*) Pisonem vanam gloriam captantem ex triumphi contemptu refellit in primis *ab Antecedentibus*:

Qui provinciæ cupidus est, triumphum appetit;
Piso fuit provinciæ cupidissimus;
Ergo triumphum appetebat.

(b) *Cum extinguebas*) *Assumptionis* approbatio; ut enim provinciam obtineret, tot in Remp. scelera admisit.

(c) *Si triumphum*) *Complexio*.

(d) *Sæpe enim*) *Propositio* approbata *ab Exemplis*.

Hoc modo D. Silanus consul in hoc ordine, hoc meus etiam collega dicebat. Neque enim quisquam potest exercitum cupere aperteque petere, ut non prætexat cupiditatem triumphi.

Quod si te (*a*) senatus, populusque Romanus aut non appetentem, aut etiam recusantem bellum suscipere, exercitum ducere coegisset, tamen erat angusti animi atque demissi, justi triumphi honorem atque dignitatem contemnere. Nam, ut (*b*) levitatis est inanem aucupari rumorem, & omnes umbras etiam falsæ gloriæ consectari, sic levis est animi lucem splendoremque fugientis, justam gloriam, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare. Cum vero (*c*) non modo non postulante atque cogente, sed invito atque oppresso senatu, non modo nullo populi Romani studio, sed nullo ferente suffragium libero, provincia tibi ista manupretium fuerit non eversæ per te*, sed* perditæ civitatis; cumque omnium tuorum scelerum hæc pactio extiterit, ut, si tu totam rempublicam nefariis latronibus tradidisses, Macedonia tibi ob eam rem, quibus tu finibus velles, redderetur **; cum exhauriebas ærarium, cum orbabas Italiam juventute, cum mare vastissimum hieme transibas; si triumphum contemnebas, quæ te, prædo amentissime, nisi prædæ ac rapinarum cupiditas tam cæca rapiebat?

Non

* Vulg. *fuerit eversa per te, & perdita*.
** Vulg. *traderetur*.

ANALYSIS.

(a) *Quod si te*) Deinde ita arguit *a Comparatione minorum*:
Si invitus bellum gerendum suscepisses, honorem triumphi recusare non deberes;
Sed belli gerendi, & provinciæ cupidissimus fuisti;
Ergo appetebas triumphum, aut prædam, & rapinas, quod turpe esset.
(b) *Nam, ut*) *Propositionis* approbatio *a diversis*.
(c) *Cum vero*) *Assumptio* amplificata *ab Adjunctis*, cui *Complexio* subjicitur.

Non est integrum (*a*) Cn. Pompejo, consilio jam uti tuo. Erravit enim: non gustarat istam tuam philosophiam. Ter jam homo stultus triumphavit. Crasse, pudet me tui. Quid est, quod confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris a senatu? P. Servili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non hunc audistis tam doctum hominem, tam eruditum, prius quam in istum errorem induceremini? C. ipsi Pontino (1), necessario meo, jam non est integrum: religionibus enim susceptis (2) impeditur. O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! o amentem Paulum! rusticum Marium! nullius consilii patres istorum amborum consulum, qui triumpharunt (3)!

XXV. Sed quoniam præterita mutare non possumus, quid cessat hic homullus, ex argilla & luto fictus Epicureus, dare hæc præclara præcepta sapientiæ clarissimo & summo imperatori, genero suo (4)? Fertur ille vir, mihi crede, gloria: flagrat, ardet cupiditate justi & magni triumphi: non didicit eadem ista, quæ tu. Mitte ad eum libellum. Sed jam *, si ipse coram congredi poteris, meditare, quibus verbis incensam illius cupidita-

* Vulg. *&* *si jam ipse*.

(1) *Pontino*) Qui prætor Cicerone Cos. *Catilin.* III. 2. vulg. *Pontinio*.

(2) *Religionibus enim susceptis*) Vel quod toto illo tempore, ut auctor est Dio, remansisset extra pomœrium, vel quod Senatum jam in ædem Bellonæ convocarat, vel fortasse quod juraverat, se sine triumpho in urbem non esse rediturum, vel quod jam preces quasdam & vota conceperat. *Abram*.

(3) *Qui triumpharunt*) Diximus, hanc orationem esse dictam Cn. Pompejo Magno II. M. Crasso II. Coss. Pompeji pater bello Italico de Picentibus, M. Crassi pater P. Crassus ante bellum Italicum de Hispanis triumphavit. *Asconius*.

(4) *Genero suo*) C. Cæsari, qui tunc in Galliam bellum gerebat. *Manutius*.

ANALYSIS.

(a) *Non est integrum*) Tertio redarguit Pisonem exemplo summorum virorum, qui triumphum concupierant, etiam aliquando non debitum; ipsum autem inducit per *Prosopopœjam* alloquentem Cæsarem Generum, ejusque animum gloriæ cupidum comprimentem ex doctrina Epicuri; quæ ad irrisionem dicuntur.

ditatem comprimas atque restinguas. Valebis apud hominem volitantem gloriæ cupiditate vir moderatus & constans, apud indoctum eruditus, apud generum socer. Dices enim, ut es homo facetus, ad persuadendum (1) concinnus, perfectus, politus e schola: Quid est, Cæsar, quod te supplicationes toties decretæ, tot dierum, tantopere delectent? in quibus homines errore ducuntur: quas dii negligunt, qui (ut noster ille divinus dixit Epicurus) neque propitii cuiquam esse solent, neque irati. Non facies fidem scilicet, cum hæc disputabis. Tibi enim & esse, & fuisse videbis (2) iratos.

Vertes te ad alteram scholam: differes de triumpho. Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis, & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? Inania sunt ista, mihi crede, delectamenta pene puerorum, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle. Quibus ex rebus nihil est, quod solidum tenere, nihil quod referre ad voluptatem corporis possis. Quin tu me vides, qui, ex qua provincia T. Flamininus, L. Paulus, Q. Metellus, T. Didius, innumerabiles alii, levi cupiditate commoti, triumpharunt, ex ea sic redii, ut ad portam Esquilinam, Macedonicam lauream conculcarim, ipse cum hominibus quindecim male vestitis ad portam Cœlimontanam sitiens pervenerim: quo in loco mihi libertus, præclaro imperatori, domum ex hac die biduo ante conduxerat: quæ vacua si non fuisset, in campo Martio mihi tabernaculum collocassem. Nummus interea mihi,

(1) *Ut es homo facetus, ad persuadendum*) *Factus* legit Ant. Augustinus, pro *facetus*. Et recte, ut mihi quidem videtur: nam facetiæ non obtinent primas partes in persuadendo; ut eas ante omnia præponere debuerit. *Ursinus*.

(2) *Videbis*) Lambiniana editio, *videbit*. Sensu optimo Non persuadebis Cæsari, Deos non irasci; quos tibi & esse, & fuisse videbit iratos. *Olivetus*.

Cæsar, neglectis vehiculis triumphalibus, (1) domi manet, & manebit. Rationes ad ærarium retuli (2) continuo, sicut tua lex jubebat: neque alia ulla in re legi tuæ parui. Quas rationes si cognoris, intelliges, nemini plus quam mihi, literas profuisse. Ita enim sunt perscriptæ scite, & literate, ut scriba, ad ærarium qui eas retulit, perscriptis rationibus, secum ipse, caput sinistra manu perfricans, commurmuratus sit, *Ratio quidem* (3) *hercle apparet, argentum* οἴχεται (4). Hac tu oratione non dubito, quin illum jam adscendentem in currum possis revocare.

XXVI. O tenebræ, o lutum, o sordes, o paterni generis oblite, materni vix memor! ita nescio quid istuc fractum, humile, demissum, sordidum, inferius etiam est, quam ut Mediolanensi (5) præcone, avo tuo, dignum esse videatur. L. Crassus, homo sapientissimus nostræ civitatis, spiculis prope scrutatus est Alpes, ut, ubi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quæreret. Eadem cupiditate vir summo ingenio præditus, C. Cotta, nullo certo hoste, flagravit. Eorum neuter triumphavit, quod alteri illum honorem collega (6), alteri mors ademit. Irrisa est abs te paulo ante

(1) *Vehiculis triumphalibus*) Alii legunt *ferculis triumphalibus*, quod malim. Ferculorum enim nomine continentur non vehicula solum, sed etiam simulachra oppidorum, spolia hostium, & quæcumque in triumphali pompa deferuntur. *Abram.*

(2) *Rationes ad ærarium retuli*) statim atque in urbem me recepi, administratæ provinciæ & acceptæ & publico pecuniæ reddidi rationem *Abram.* vulg. *rationes ad ærarium continuo, sicut tua lex jubebat, detuli.*

(3) *Ratio quidem, &c.*) Hic Plauti versus est, e Trinummo, II. 4. 17.

(4) Οἴχεται) Periit, abiit, evanuit.

(5) *Mediolanensi*) Ejus avus Placentiæ quidem civis, at Mediolani præco fuerat. *Ferratius.*

(6) *C. Cotta, nullo certo hoste, flagravit. Eorum neuter triumphavit, quod alteri illum honorem collega*) Credo vos quærere, & quis hic Cotta, & quis ille collega Crassi fuerit. Fuit autem C. Cotta orator ille compar P. Sulpicii, qui est in dialogis Ciceronis de Oratore scriptis, qui, cum decretus illi esset trium-

ante M. Pisonis cupiditas triumphandi, a qua te longe dixisti abhorrere: qui, etiam si minus magnum bellum gesserat, ut abs te dictum est, tamen istum honorem contemendum non putavit. Tu eruditior, quam Piso (1), prudentior, quam Cotta, abundantior consilio, ingenio, sapientia, quam Crassus, ea contemnis, quæ illi idiotæ, ut tu appellas, præclara duxerunt.

Quod si reprehendis, quod cupidi laureæ fuerint, cum bella aut parva, aut nulla gessissent; tu, tantis nationibns subactis, tantis rebus gestis, minime fructum laborum tuorum, præmia periculorum, virtutis insignia contemnere debuisti. Neque vero (a) contempsisti, licet sis Themista (2) sapientior, sed os tuum ferreum senatus convicio verbe-

 rari

triumphus, mortuus est ante diem triumphi, cum cicatrix vulneris ejus, quod ante plures annos in prælio acceperat, rescissa esset repente. Crasso autem collega fuit Q. Scævola pontifex: qui cum animadverteret, Crasso, propter summam ejus in rep. potentiam ac dignitatem, senatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitavit reipubl. magis qnam collegæ habere rationem: ac, ne fieret S. C. intercessit. Sed idem provinciam, cujus cupiditate plerique etiam boni viri delinquebant, deposuerat, ne sumptui esset ærario. *Asconius*.

(1) *Quam Piso*) Quis hic M. Piso fuerit, credo vos ignorare. Fuit, autem, ut puto jam nos dixisse, Pupius Piso eisdem temporibus, quibus Cicero, sed tanto ætate major, ut adolescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quod in eo, & antiquæ vitæ similitudo, & multæ erant literæ. Orator quoque melior, quam frequentior, habitus est. Biennio tamen serius, quam Cicero, consul fuit. Triumphavit pro consule de Hispanis, Q. Hortensio, Q. Metello Cretico Coss. ante Ciceronis consulatum. *Idem*.

(2 *Themista*) Themista mulier fuit, Epicuri ætate, Philosophiæ Epicureæ dedita, Leontis, seu Leontei cujusdam uxor, ad quam scripsit non semel Epicurus: ut refert Laertius. Est autem jocus Ciceronis in Pisonem amarus, eum cum muliere Epicurea comparantis, & ejus sapientiam sapientiæ muliebri anteponentis. *Lambinus*. Turnebus legit, *licet tu in isto sapientior*, quod minus placet, tum quod longius a vulgata lectione discedat, tum quod sensus accomodatus huic loco vix elici posse videatur. Lipsius legit, *licet Themi sis sapientior*. Abram.

ANALYSIS.

(a) *Neque vero*) Concludit igitur, Pisonem triumphum a Senatu non petere, conscientia scelerum suorum deterritum.

rari noluisti. Jam vides (*a*), quandoquidem * ita mihimet fui inimicus, ut me tecum compararem, & digressum meum, & absentiam, & reditum ita longe tuo præstitisse, ut mihi illa omnia immortalem gloriam dederint, tibi sempiternam turpitudinem inflixerint. Nunc etiam in hac quotidiana, assidua urbanaque vita splendorem tuum, gratiam, celebritatem domesticam, operam forensem, consilium, auxilium, auctoritatem, sententiam senatoriam, nobis, aut, ut verius dicam, cuiquam es infirmissimo ac desperatissimo ** antelaturus?

XXVII. Age (*b*), senatus odit te, quod eum tu facere jure concedis, afflictorem & perditorem *** non modo dignitatis & auctoritatis, sed omnino ordinis ac nominis sui: videre equites Romani non possunt, quo ex ordine vir præstantissimus & ornatissimus, L. Ælius est, te consule, relegatus: plebs Romana perditum cupit, in cujus tu infamiam ea, quæ per latrones & per servos de me egeras, contulisti: Italia cuncta execratur, cujus idem tu superbissime decreta & preces repudiasti.

Fac hujus odii tanti ac tam universi periculum, si audes. Instant post hominum memoriam apparatissimi magnificentissimique ludi (1), quales non modo nunquam fuerunt, sed ne quomodo fieri quidem posthac possint, possum ullo pacto suspicari. Da te populo, committe ludis. Sibilum metuis? ubi sunt vestræ scholæ? Ne acclametur? ne id qui-

* Vulg. *quoniam quidem*. ** Al. *infimo ac despicatissimo*. *** Al. *proditorem*, Al. *prædatorem*.

(1) *Ludi*) Cn. Pompeji ludos significat, quibus theatrum a se factum dedicavit, quibus ludis elephantorum pugnam primus omnium dedit in circo. *Asconius*.

ANALYSIS.

(a) *Jam vides*) Inde vero ad privatam illius vitam examinandam transitum facit.

(b) *Age*) Primo exponit, quantum sit omnium ordinum in Pisonem odium; id autem confirmat *a Causis* odii, eumque propterea non affuturum ludis, quos apparatissimos daturus erat Pompejus, de quibus vide Ep. 1. l. 7. ad Famil.

quidem est curare philosophi. Manus tibi ne afferantur times. Dolor enim est malum, ut disputas; existimatio, dedecus, infamia, turpitudo, verba sunt atque ineptiæ. Sed de hoc non dubito: non audebit accedere ad ludos. Convivium publicum non dignitatis gratia inibit (1) (nisi forte, ut cum P. Clodio, hoc est, cum amoribus suis, cœnet) sed plane animi sui causa.

Ludos nobis idiotis relinquet. Solet enim in disputationibus suis, oculorum & aurium delectationi abdominis voluptates anteferre. Nam, quod (*a*) vobis iste tantummodo improbus, crudelis, olim furunculus, nunc vero etiam rapax, quod sordidus, quod contumax, quod superbus, quod fallax, quod perfidiosus, quod impudens, quod audax esse videatur, nihil scitote esse luxuriosius, nihil libidinosius, nihil posterius, * nihil nequius. Luxuriam autem in isto nolite hanc (2) cogitare. Est enim quædam, quanquam omnis est vitiosa atque turpis, tamen ingenuo ac libero dignior. Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum, (laudabo inimicum) ne magnopere quidem quidquam, præter libidines, sumptuosum. Toreuma nullum, maximi calices, & hi, ne contemnere suos videatur, Placentini (3); extructa mensa, non conchyliis, aut piscibus, sed multa carne subrancida. Servi sordidati ministrant, nonnulli etiam senes: idem coquus, idem atriensis; pistor domi nullus, nulla cella; panis, & vi-

* Vulg. *protervius*.

(1) *Convivium publicum non dignitatis gratia inibit*) Quod Cn. Pompejus ad dedicationem sui theatri publice exhibebit, non inibit, ad honorandum Cn. Pompejum exhibitorem convivii. Dignitatis autem causa dicitur iniri convivium, quia Senatores epulabantur ab aliis ordinibus separati. *Abram*.

(2) *Hanc*) Ut vulgo homines luxuriosi esse solent, cum lautitia quadam, atque elegantia. *Ferratius*.

(3) *Placentini*) Ex vili nimirum materia. Fuerat autem avus ejus Placentinus. Vide supra. *Idem*.

ANALYSIS.

(*a*) *Nam, quod*) Secundo cætera illius vitia commemorat, & animum præcipue in victu quotidiano sordidissimum exprobrat.

num a propola atque de cupa (1). Græci stipati, quini in lectulis (2), sæpe plures; ipse solus. Bibitur usque eo, dum de solio ministretur (3). Ubi galli cantum audivit, avum suum (4) revixisse putat, mensam tolli jubet.

XXVIII. Dicet aliquis (*a*), Unde tibi hæc nota sunt? Non mehercule contumeliæ causa describam quemquam, præsertim ingeniosum hominem, atque eruditum, cui generi esse ego iratus, ne si cupiam quidem, possum. Est quidam Græcus (5), qui cum isto vivit, homo, vere ut dicam, (sic enim cognovi) humanus (6), sed tamdiu, quamdiu cum aliis (7) est, aut ipse secum. Is cum istum

(1) *A propola atque de cupa*) Propola est qui res emit, ut rursus cum aliquo quæstu statim vendat: cupa autem erat vas vinarium magnum, quo utebantur in vendendo vino caupones. *Ferratius*.

(2) *Quini in lectulis*) Cum tres, ut summum quatuor solerent esse.

(3) *Bibitur usque eo, dum de solio ministretur*) Grævius hoc loco *solium* putat esse lectum, vel sellam, ubi hospes Piso sederit solus, ut sit hic sensus: Bibitur, quamdiu hospes convivis propinat. Sed neque commodus est hic sensus, neque verba eum patiuntur. Si *solium* est a Ciceronis manu, putem esse *dolium*. Nam *solium* etiam in balneis est vasis genus, quod & *labrum* dicitur. Sed mihi placet Augustini emendatio, qui legebat, *de dolio*. Bibitur tamdiu, donec vinum defusum & vetustum non suppetat amplius, sed etiam vinum recens, *doliare*, ministretur. *Ernest.*

(4) *Avum suum*) Qui Gallus fuerat. Jocatur in ambigua vocabuli significatione. *Manutius*.

(5) *Est quidam Græcus*) Philodemum significat, qui fuit Epicureus illa ætate nobilissimus, cujus & poemata sunt lasciva. *Asconius*.

(6) *Humanus*) Politiore literatura, & liberalibus studiis eruditus, Paulo post: *In hominum eruditissimorum & humanissimorum cœtu loquor*. Vide Gellium, lib. XIII. Noct. Attic. cap. 16. *Abram.*

(7) *Quamdiu cum aliis*) Quam cum Pisone: in ejus enim consuetudine ita se gerere cogitur, ut sui ipsius eruditionisque suæ oblitus esse videatur. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Dicet aliquis*) *Prolepsi* tertio occurrit, quasi hæc Cicero fingeret; narrat igitur, ut Græcus quidam, Philodemus nomine, Philosophus, & poeta in amicitiam Pisonis irrepserit; quem cum lau-

ſtum adoleſcentem jam tum cum hac diis irata (1) fronte vidiſſet, non fugit * ejus amicitiam, cum eſſet præſertim appetitus: dedit ſe in conſuetudinem, ſic ut prorſus una viveret, nec fere ab iſto unquam diſcederet. Non apud indoctos, ſed, ut ego arbitror, in hominum eruditiſſimorum & humaniſſimorum cœtu loquor. Audiſtis profecto dici, philoſophos Epicureos omnes res, quæ ſunt homini expetendæ, voluptate metiri. Recte, an ſecus, nihil ad nos, aut, ſi ad nos, nihil ad hoc tempus. Sed tamen lubricum (2) genus orationis, adoleſcenti non acriter intelligenti ſæpe præceps. Itaque admiſſarius (3) iſte, ſimulatque audivit, a philoſopho voluptatem tantopere laudari, nihil expiſcatus eſt: ſic ſuos ſenſus voluptarios omnes incitavit, ſic ad illius hanc orationem adhiniit, ut non magiſtrum virtutis, ſed auctorem libidinis a ſe illum inventum arbitraretur. Græcus primo diſtinguere, atque dividere illa, quemadmodum dicerentur: iſte claudus (4)

 (quo-

* Vulg. *faſtidivit*.

(1) *Jam tum cum diis irata*) Vel in adoleſcentia fronte & ſupercilio ita ſeverus erat Piſo, non modo, ut hominibus, ſed ut Diis ipſis iratus eſſe videretur. *Manut.* al. *diſtracta*.

(2) *Lubricum*) Lubricum ſua ſponte, quia voluptas duplex: animi, ex virtute; corporis, ex vitio; ſed adoleſcenti, propter ætatem incauto, non modo lubricum, verum etiam ſæpe præceps: quia neutram voluptatem Epicurei philoſophi nominabant. *Man.*

(3) *Admiſſarius*) Tanquam equus, qui rationis expers, unam corporis voluptatem novit. Ideo tanquam de equo, ſequitur, *adhinniit*. Idem.

(4) *Claudus*) Proverbium in eos, qui, quæ a magiſtro audierunt, tenent, ſed neque recte intelligunt, neque eo recte uti poſſunt. Nam claudus in pilæ ludo, nihil poteſt niſi pilam ſibi traditam retinere, non ea ex regulis ludi uti, propterea quod currere celeriter non poteſt. *Erneſtus*. Al. *iſte* (*claudos quemadmodum ajunt pilam*) *retinere quod acceperat*, *teſtificari* &c.

ANALYSIS.

laudat, & excuſat, oſtendit ſibi eſſe amicum, & ab eodem ſe illa omnia ſcire potuiſſe; qui præterea Piſonis amici vitam impudicis verſibus expreſſerat, ut legere omnes poſſint.

(quomodo ajunt) pilam retinere : quod acceperat, testificari, tabulas obsignare velle, Epicurum disertum decernere (1); & tamen dictum opinor, se nullum bonum intelligere posse, demptis corporis voluptatibus. Quid multa? Græcus facilis & valde venustus, nimis pugnax contra senatorem populi Romani esse noluit.

XXXI. Est autem hic, de quo loquor, non philosophia solum, sed etiam literis *, quod fere cæteros epicureos negligere dicunt, perpolitus. Poema porro facit ita festivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius. In quo reprehendat eum licet, si qui volet **, modo leviter, non ut improbum, non ut audacem, non ut impurum, sed ut Græculum, ut assentatorem, ut poetam. Devenit, aut potius incidit in istum eodem deceptus supercilio Græcus atque advena, quo tam sapiens & tanta civitas. Revocare se non poterat familiaritate implicatus: &

* Vulg. *sed etiam ceteris studiis*. ** Vulg. *vult*.

(1) *Epicurum disertum decernere*) Eodem modo dixit, ut Prætores dicuntur decernere ingenuum, servum, aut filium. *Hotom.* Antiqua scriptura hoc loco mendosa est. Vident omnes, opinor, divinatore aliquo ad hunc locum emendandum & explicandum opus esse. *Lambinus*. Carere locus vitio mihi non videtur. Idem fortasse alii sentient: sed legatur, *Et tandem dictum opinor:* lapsu faclii, & usitato, propter similitudinem literarum, eluetur, puto, si qua labes, maculave insedit. Libri quidam veteres, *Est tamen dicit, ut opinor*, quod non satis placet. *Manut.* Vestigiis Faerni libri insistens lego: *Epicurum disertim dicere, & tamen dicit, ut opinor*. Verba Ciceronis verbis Pisoniis interjecta locum obscuraverunt. Ait Piso, Epicurum diserte dicere, extra voluptates corporis se nihil beatum reperire, & ei assentiens Cicero, *& tamen*, inquit, *hoc dicit Epicurus*, ut opinor. *Disertim* corruptum in *disertum*. Gulielmius. Sed cur rejicitur, quod non modo Faernus in suo, sed & Manutius in quatuor, *est tamen dicit, ut opinor?* Sic autem distinguendum: *est tamen. Dicit, ut opinor*. Est tamen, inquit Cicero, scilicet ita. Dicit Epicurus, *ut opinor*, volupatem esse summum bonum. *Grævius*. Parenthesi hoc includo (*& tamen dicit, ut opinor*) atque in hunc modum intelligi posse arbitror. Etiamsi affirmet Piso, & quovis pignore contendat, *Epicurum disertim decernere, se nullum bonum intelligere posse demptis corporis voluptatibus*, tamen opinor ita dixisse Epicurum. Salse, ni fallor, & argute. Significat enim, Pisonem non eum esse, cui possit fides haberi. *Anonymus*.

& simul inconstantiæ famam verebatur: rogatus, invitatus, coactus, ita multa ad istum de isto scripsit, ut omnes libidines, omnia stupra, omnia cœnarum conviviorumque genera, adulteria denique ejus delicatissimis versibus expresserit: in quibus, si quis velit, possit istius tanquam in speculo vitam intueri: ex quibus multa a multis lecta, & audita recitarem, nisi vererer, ne hoc ipsum genus orationis, quo nunc utor, ab hujus loci more abhorreret; & simul de ipso, qui scripsit, detrahi nolo. Qui si fuisset in discipulo comparando meliore fortuna, fortasse austerior & gravior esse potuisset: sed eum casus in hanc consuetudinem scribendi induxit, philosopho valde indignam: si quidem philosophia, ut fertur, virtutis continet, & officii, & bene vivendi disciplinam: quam qui profitetur, gravissimam mihi sustinere personam videtur.

Sed idem casus illum * ignarum quid profiteretur, cum se philosophum esse diceret, istius impurissimæ atque intemperantissimæ pecudis cœno & sordibus inquinavit: qui modo (*a*) cum res gestas consulatus mei collaudasset **; quæ quidem laudatio hominis turpissimi mihi ipsi erat pene turpis: *Non ulla tibi* (1), inquit, *invidia nocuit*, *sed versus tui*. Nimis magna (*b*) pœna,

* Lamb. *non ignarum*.

** Vulg. *qui modo res gestas consulatus mei cum laudasset*.

(1) *Non ulla tibi*) Dialogismo festivo & eleganti orationem illustrat. Piso, *Non ulla tibi invidia nocuit, sed versus tui*. Cicero: *Nimis magna pœna te Consule constituta est sive malo poetæ, sive libero:* Piso: *Scripsisti enim versus, Cedant arma togæ*. Cicero: *Quid tum?* Piso: *Hæc res tibi fluctus illos excitavit*. Cicero: *At hoc nusquam*, &c. *Abramus*.

ANALYSIS.

(a) *Qui modo*) Duo nunc Pisonis objecta diluit; primum est de quibusdam versibus, quos nocuisse Ciceroni dixerat, quod iis fuerit Pompejus offensus.

(b) *Nimis magna*) 1. Breviter respondet *a Congruo*, Poetæ aut nimiam libertatem, aut etiam improbitatem non esse exilio multandam; adeoque sibi non contigisse calamitatem illam tali de causa.

na, te consule, constituta est, sive malo poetæ, sive libero. Scripsisti enim, *Cedant arma togæ*. Quid tum? Hæc res tibi fluctus illos excitavit. At hoc (*a*) nusquam opinor scriptum fuisse in illo elogio (1), quod, te consule, in sepulcro reipublicæ incisum est, *Velitis, jubeatis, ut*, quod M. Cicero versum fecerit, sed, *quod vindicarit* (2).

XXX. Veruntamen (*b*), quoniam te non Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poetam armis persequare, scire cupio, quid tandem isto in versu reprehendas, *Cedant arma togæ*. Tuæ dicis, inquit, togæ summum imperatorem esse cessurum. Quid nunc te, asine, literas doceam? non opus est verbis, sed fustibus. Non dixi hanc togam, qua sum amictus, nec arma, scutum & gladium unius imperatoris; sed, quod pacis est insigne & otii toga, contra autem arma, tumultus atque belli, more poetarum locutus, hoc intelligi volui, bellum ac tumultum paci atque otio concessurum. Quære (*c*) ex familiari tuo, Græco illo poeta: probabit genus ipsum & agnoscet, neque te nihil sapere mirabitur.

At

(1) *In illo elogio*) In lege Clodia, quæ ipsa fuit sepulcrum Reip.

(2) *Quod vindicarit*) Hoc verbo usum esse Clodium in lege, mihi non fit verisimile, sed eum potius dixisse crediderim, *Quod cives Romanos indicta causa condemnarit*. Cicero, ad suam laudem, verbo mitiore usus est. *Manut*.

ANALYSIS.

(a) *At hoc*) 2. Negat id esse verum ex verbis ipsius legis, in qua non ea exilii causa expressa est.

(b) *Veruntamen*) 3. Pompejum non fuisse iis versibus offensum, ita probat *a Genere*:

Quod generice dicitur, neminem offendit;
Sed ego dixi arma togæ cedere, non arma Pompeji meæ togæ,
Ergo id non potuit Pompejum offendere.

(c) *Quære*) *Propositionis* approbatio.

At in illo altero (*a*), inquit, hæres, *Concedat laurea laudi* *. Immo mehercule, habeo tibi gratiam. Hærerem enim, nisi tu expedisses. Nam cum tu timidus ac tremens tuis ipse furacissimis manibus detractam e cruentis fascibus lauream ad portam Esquilinam abjecisti, indicasti non modo amplissimæ, sed etiam minimæ laudi lauream concessisse. Atque ista ratione (*b*) hoc tamen intelligi, scelerate, vis, Pompejum inimicum mihi isto versu esse factum: ut, si versus mihi nocuerit, ab eo, quem is versus offenderit, videatur mihi pernicies esse quæsita. Omitto, nihil istum versum pertinuisse ad illum; non fuisse meum, quem, quantum potuissem, multis sæpe orationibus scriptisque decorassem, hunc uno violare versu. Sed sit offensus: primo nonne compensabit cum uno versiculo tot mea volumina laudum suarum? Quod si est commotus, ad perniciemne non dicam amicissimi, non ita de sua laude meriti, non ita de republica, non consularis, non senatoris, non civis, non liberi; in hominis caput ille tam crudelis propter versum fuisset?

XXXI. Tu quid **, tu apud quos, tu de quo dicas, intelligis? Complecteris (*c*) amplissimos viros ad tuum, & Gabinii scelus, neque id occulte. Nam paulo ante dixisti, me cum iis confligere, quos des-

* Lamb. Grut. *linguæ*.
** Vulg. *Tu quidem*.

ANALYSIS.

(a) *At in illo altero*) Alteram versus partem tuetur *a Comparatione minorum*:

Laurea concedet magnæ potius laudi, quam parvæ;
Sed tu lauream abjecisti, ut minimam inde laudem consequereris;
Ergo multo magis amplissimæ laudi laurea concedet.

(b) *Atque ista ratione*) Concludit neque a se illo versu læsum fuisse Pompejum, neque, si læsus fuisset, tantam propter versum pœnam expetere potuisse.

(c) *Complecteris*) Alterum Pisonis objectum; Ciceronem non audere eos attingere, qui plus possent, quibus tamen longe inimicior esse deberet; duos autem maxime designabat, Pompejum, & Cæsarem, quorum opera exulaverat.

despicerem; non attingere eos, qui plus possent, quibus iratus esse deberem. Quorum (*a*) quidem (quis enim non intelligit, quos dicas?) quanquam non est una causa omnium, tamen est omnium mihi probata. Me Cn. Pompejus (*b*), multis obsistentibus ejus erga me studio atque amori, semper dilexit, semper sua conjunctione dignissimum judicavit, semper non modo incolumem, sed etiam amplissimum atque ornatissimum voluit esse. Vestræ fraudes, vestrum scelus, vestræ criminationes insidiarum mearum (1), illius periculorum, nefarie fictæ, simul eorum, qui familiaritatis licentia, suorum improbissimorum sermonum domicilium in auribus ejus impulsu vestro collocaverunt, vestræ cupiditates provinciarum effecerunt, ut ego excluderer (2), omnesque, qui me, qui illius gloriam, qui rempublicam salvam esse cupiebant, sermone atque aditu prohiberentur. Quibus rebus est perfectum, ut illi plane suo stare judicio non liceret, cum certi hominis non studium ejus a me alienassent, sed auxilium retardassent. Nonne ad te (*c*) L. Lentulus, qui tum erat prætor, non Q. Sanga, non L. Torquatus pater,

(1) *Insidiarum mearum*) Cum insidiari me Pompejo diceretis. *Idem*. Vide *pro Domo*, cap. II.

(2) *Excluderer*) Sermone ejus atque aditu prohiberet. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Quorum*) Quoad Pompejum ita respondet *a Causis*:

Illi non debeo esse iratus, qui a vobis deceptus noluit, & a vobis desertus non potuit mihi opem ferre;

Sed Pompejus a vobis deceptus noluit, a vobis desertus non potuit mihi opem ferre;

Ergo non Pompejo, sed vobis iratus esse debeo.

(b) *Me Cn. Pompejus*) *Assumptionis* primam partem confirmat a summa Pompeji benevolentia in Ciceronem; deinde exponit, qua ratione Piso, aliique Pompeji animum a Cicerone abalienaverint; orat. pro Domo sua.

(c) *Nonne ad te*) *Assumptionis* secunda pars; non enim poterat Pompejus privatus ullam opem ferre, nisi se Duces rei gerendæ Consules præbuissent.

pater, non M. Lucullus venit? qui omnes ad eum, multique mortales oratum in Albanum, obsecratumque venerant, ne meas fortunas desereret, cum reipublicæ salute conjunctas. Quos ille ad te, & ad tuum collegam remisit, ut causam publicam susciperetis, ut ad senatum referretis: se contra armatum tribunum plebis sine consilio publico decertare nolle: consulibus ex senatusconsulto rempublicam defendentibus, se arma sumpturum *. Ecquid infelix recordaris, quid responderis? in quo illi omnes quidem, sed Torquatus præter cæteros, furebat contumacia responsi tui; te non esse tam fortem, quam ipse Torquatus in consulatu fuisset, aut ego: nihil opus esse armis, nihil contentione: me posse iterum rempublicam servare, si cessissem: infinitam cædem fore, si restitissem: deinde ad extremum, neque se, neque generum (1), neque collegam suum, tribuno plebis defuturum. Hic tu (*a*), hostis ac proditor, aliis me inimiciorem, quam tibi, debere esse dicis?

XXXII. Ego C. Cæsarem (*b*) non eadem de republica sensisse, quæ me, scio: sed tamen, quod jam de eo, his audientibus, sæpe dixi, me ille sui totius consulatus, eorumque honorum, quos cum proximis communicavit, socium esse voluit, detulit, invitavit, rogavit. Non sum ego, propter nimiam fortasse constantiæ cupiditatem, adductus ad

* Vulg. *suscepturum*.
(1) *Generum*) C. Cæsarem.

ANALYSIS.

(a) *Hic tu*) Quoad Cæsarem, hoc utitur argumento *a majori ad minus*:
Si me odisset Cæsar, tamen Reip. causa non deberem esse illi inimicus;
Sed me nunquam Cæsar odit, & beneficiis etiam me affecit;
Ergo multo minus esse illi debeo inimicus.

(b) *Ego C. Cæsarem*) *Assumptio*; beneficia commemorat sibi collata a Cæsare Consule, & ejus etiam opera se restitutum fuisse affirmat. Cum Clodio autem consenserat, non odio in Ciceronem, sed suæmet salutis amore; orat. de Provinciis.

ad causam: non postulabam, ut ei carissimus essem, cujus ego ne beneficiis quidem sententiam meam tradidissem. Adducta res in certamen, te consule, putabatur, utrum, quæ superiore anno ille gessisset, manerent, an rescinderentur. Quid loquar plura? si tantum ille in me esse uno roboris & virtutis putavit, ut ea, quæ ipse gesserat, conciderent, si ego restitissem, cur ei non ignoscam, si anteposuit suam salutem meæ?

Sed præterita omitto. Me ut Cn. Pompejus omnibus suis studiis, laboribus, vitæ periculis complexus est, cum municipia pro me adiret, Italiæ fidem imploraret, P. Lentulo consuli, auctori salutis meæ, frequens assideret, senatui sententiam præstaret, in concionibus non modo se defensorem salutis meæ, sed etiam supplicem pro me profiteretur: hujus voluntatis eum, quem multum posse intelligebat, mihi non inimicum esse cognorat, socium sibi & adjutorem C. Cæsarem adjunxit. Jam vides, me tibi non inimicum, sed hostem, illis, quos describis, non modo non iratum, sed etiam amicum esse debere: quorum alter, id quod meminero semper, æque mihi fuit amicus, ac sibi: alter, id quod obliviscar aliquando, sibi amicior, quam mihi. Deinde hoc ita fit, ut viri fortes, etiamsi ferro inter se cominus decertarint, tamen illud contentionis odium simul cum ipsa pugna armisque ponant. Atqui * me ille odisse nunquam potuit, ne tum quidem, cum dissidebamus. Habet hoc virtus, (quam tu ne de facie quidem nosti) ut viros fortes species ejus & pulchritudo etiam in hoste posita delectet.

XXXIII. Equidem dicam (*a*) ex animo, Patres Conscripti, quod sentio, & quod vobis audienti-

* Vulg. *Atque*.

ANALYSIS.

(a) *Equidem dicam*) *Propositio*, quæ fusius tractatur orat. de Provinciis.

entibus sæpe jam dixi. Si mihi nunquam amicus C. Cæsar fuisset, sed semper iratus, si aspernaretur amicitiam meam, seseque mihi implacabilem inexpiabilemque (1) præberet, tamen ei, cum tantas res gessisset gereretque quotidie, non amicus esse non possem. Cujus ego * imperio non Alpium vallum contra adscensum transgressionemque Gallorum, non Rheni fossam, gurgitibus illis redundantem, Germanorum immanissimis gentibus objicio & oppono. Perfecit ille, ut, si montes resedissent, amnes exaruissent, non naturæ præsidio, sed victoria sua rebusque gestis Italiam munitam haberemus. Sed, cum me (a) expetat, diligat, omni laude dignum putet, tu me a tuis inimicitiis ad simultatem revocabis? Sic tuis sceleribus reipublicæ præterita fata ** refricabis? Quod quidem (b) tu, qui bene nosses conjunctionem meam & Cæsaris, eludebas (2), cum a me trementibus omnino labris, sed tamen, cur tibi nomen non deferrem, requirebas. Quanquam, quod ad me attinet:

Nun-

* Lamb. *imperium, non Alpium vallum, ascensui transgressionique*.
** Vulg. *facta*.
(1) *Implacabilem inexpiabilemque*) Unde in P. Manutii & Gruteri, & cæteras, qui Gruterianam sunt secuti, editiones, irrepsit *inexplicabilem*, quod revera in hoc loco explicari non potest, cum rectissime & MSS. & edd. Victor. Lambini, aliorumque, *inexpiabilem*? Grævius. Joan. Aug. Ernesti, *inexpiabilem* repudiantis, malentisque *inexplicabilem*, hæc animadversio est: *Hoc de hominibus dici, qui se placari non sinunt, non memini, nec credo*. Sed tamen in hac ipsa oratione cap. 7. dicit Cicero: A me quidem etiam pœnas expetistis, quibus conjuratorum manes mortuorum *expiaretis*. Quid est istud *expiaretis*? Certe *placaretis*. Si se manes expiari non sinant, erunt ergo, dicenturque *inexpiabiles*: neque adeo est incredibile hoc posse de iis dici, qui se placari non sinunt. *Olivetus*.
(2) *Eludebas*) Non serio me provocabas ad te accusandum; sciebas enim id me non facturum propter Cæsarem. *Ferratius*.

ANALYSIS.

(a) *Sed cum me*) *Complexio*.
(b) *Quod quidem*) Fatetur, se in gratiam Cæsaris nolle Pisonem illius Socerum accusare, id tamen facturos alios quamprimum.

Nunquam istam imminuam curam inficiando
tibi (1):

tamen est mihi considerandum, quantum illi, tantis reipublicæ negotiis tantoque bello impedito, ego homo amicissimus, sollicitudinis atque oneris imponam. Nec despero tamen, quanquam languet juventus, nec perinde, ac debebat *, in laudis & gloriæ cupiditate versatur, futuros aliquos, qui abjectum hoc cadaver consularibus spoliis nudare non nolint, præsertim tam afflicto, tam infirmo, tam enervato reo: qui te ita gesseris, ut timeres, ne indignus beneficio videreris, nisi ejus (2), a quo missus eras, simillimus extitisses.

XXXIV. An vero (*a*) tu parum putas investigatas esse a nobis labes imperii tui, stragesque provinciæ? quas quidem nos non vestigiis (3) odorantes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis, & cubilibus persecuti sumus. Notata a nobis sunt & prima illa scelera in adventu, cum accepta pecunia a Dyrrhachinis ob necem hospitis tui Platoris (4), ejus ipsius domum evertisti, cujus sanguinem addixeras, eumque, servis symphoniacis & aliis muneribus acceptis, timentem, multumque dubitantem confirmasti, & Thessalonicam fide tua venire jussisti: quem ne majorum quidem more supplicio affecisti, cum miser ille securibus hospitis sui cervices subjicere gestiret; sed ei

* Vulg. *perinde atque debeat*.

(1) *Nunquam istam imminuam curam inficiando tibi*) Prope notius est, quam ut indicandum sit, hunc versum esse L. Accii poetæ, & dici a Thyeste in Atreo. *Asc.*

(2) *Ejus*) P. Clodii.

(3) *Non vestigiis*) Allegoria: Non per conjecturas tua scelera novimus, sed ubi cubaveris, & vocatus fueris, scimus. *Ferr.*

(4) *Platoris*) De Harusp. Resp. 16.

ANALYSIS.

(a) *An vero*) Cum dixisset, fore ut quamprimum in judicium Piso vocetur, quo probabilius dictum ostendat, illius scelera exponit; in primis autem, quæ in provincia crudeliter admiserat.

ei medico, quem tecum eduxeras, imperasti, ut venas hominis incideret. Tum quidem tibi etiam accessio fuit ad necem Platoris Pleuratus ejus comes, quem necasti verberibus, summa senectute confectum. Idemque tu Rabocentum, Bessicæ gentis principem, cum te * trecentis talentis regi Cotto (1) vendidisses, securi percussisti, cum ille ad te legatus in castra venisset, & tibi magna præsidia & auxilia a Bessis peditum equitumque polliceretur: neque eum solum, sed etiam cæteros legatos, qui simul venerant, quorum omnium capita regi Cotto vendidisti. Denseletis (2), quæ natio semper obediens huic imperio, etiam in illa omnium barbarorum defectione Macedonica, C. Sentium ** prætorem tutata est, nefarium bellum & crudele intulisti; eisque cum fidelissimis sociis uti posses, hostibus uti acerrimis maluisti. Ita perpetuos defensores Macedoniæ, vexatores ac perditores effecisti. Vectigalia nostra perturbarunt, urbes ceperunt, vastarunt agros, socios nostros in servitutem abduxerunt, familias abripuerunt, pecus abegerunt; Thessalonicenses, cum oppido desperassent, munire arcem coegerunt.

XXXV. A te Jovis Urii *** fanum antiquissimum barbarorum sanctissimumque direptum est. Tua scelera dii immortales in nostros milites expiaverunt: qui cum uno genere morbi affligerentur, neque se recreare quisquam posset, qui semel incidisset, dubitabat nemo, quin violati hospites, legati necati, pacati atque socii nefario bello lacessiti, fana vexata, hanc tantam efficerent vastitatem. Cognoscis (a) ex particula parva, scelerum & crudelitatis tuæ genus universum.

* Vulg. *cum tu*. ** vulg. *C. Sextium*. *** vulg. *Velsuri*.

(1) *Cotto*) Bessorum regi. *Hotom.*

(2) *Denseletis*) Thraciæ populis.

ANALYSIS.

(a) *Cognoscis*) Deinde quanta propter avaritiam fecerit.

Quid avaritiæ, quæ criminibus infinitis implicata eſt, ſummam nunc explicem? Generatim ea, quæ maxime nota ſunt, dicam. Nonne ſeſtertium centies & octogies, quod, quaſi vaſarii nomine, (1) in venditione mei capitis adſcripſeras, ex ærario tibi attributum, Romæ in quæſtu reliquiſti? nonne cum CC. talenta tibi Apolloniatæ Romæ dediſſent, ne pecunias creditas ſolverent, ultro Fufidium, equitem Romanum, hominem ornatiſſimum, creditorem, debitoribus ſuis addixiſti? nonne, hiberna cum legato præfectoque tradidiſſes, evertiſti miſeras funditus civitates? quæ non ſolum bonis ſunt exhauſtæ, ſed etiam nefarias libidinum contumelias turpitudineſque ſubierunt. Qui modus tibi fuit frumenti æſtimandi? qui honorarii? ſi quidem poteſt vi & metu extortum, honorarium nominari. Quod cum peræque omnes, tum acerbiſſime Bœotii & Byzantii, Cherronenſes, Theſſalonica ſenſit. Unus tu dominus, unus æſtimator, unus venditor tota in provincia per triennium frumenti omnis fuiſti.

XXXVI. Quid ego rerum capitalium quæſtiones, reorum pactiones (2), redemptiones, acerbiſſimas damnationes, libidinoſiſſimas liberationes (3) proferam? Tantum locum aliquem cum mihi notum ſenſeris, tecum ipſe licebit, quot in eo genere, & quanta ſint crimina, recordere? Quid? illam armorum officinam ecquid recordaris, cum omni totius provinciæ pecore compulſo, pellium nomi-

(1) *Vaſarii nomine*) Apparet ſic appellari ſolita, quæ magiſtratibus provinciam ituris ad eorum uſus domeſticos ex ærario adtribuebantur. *Hotom.*

(2) *Reorum pactiones*) Quas videlicet cum reis inierat Piſo, & ab iis ſe mercede corrumpi permiſerat, *redemptiones*, quibus illi a Piſone incolumitatem ſuam redemerant. *Abram.*

(3) *Libidinoſiſſimas liberationes*) Quæ non fiunt ſecundum fas & æquum, ſed pro partium ſtudio, quia judex illi favet, & contra leges reum abſolvit. Sic aliis in locis apud noſtrum, *libidinoſi judices*, *teſtes*, *libidinoſæ ſententiæ*. Grævius.

mine (1), omnem quæstum illum domesticum paternumque renovasti? Videras enim grandis jam puer, bello Italico, repleri quæstu vestram domum, cum pater armis faciendis tuus præfuisset. Quid? vectigalem provinciam, singulis rebus, quæcunque venirent, certo portorio imposito, servis tuis publicanis a te factam esse meministi?

Quid? centuriatus palam venditos? quid? per tuum servulum ordines assignatos (2)? quid? stipendium militibus per omnes annos a civitatibus, mensis palam propositis (3), esse numeratum? Quid illa in Pontum (*a*) profectio (4), & conatus tuus? Quid debilitatio atque abjectio animi tui, Macedonia prætoria nuntiata (5), cum tu non solum, quod tibi succederetur, sed quod Gabinio non succederetur, exsanguis & mortuus concidisti? Quid quæstor ædilitius rejectus? præpositus legatorum tuorum optimus abs te quisque violatus?

K 2

(1) *Pellium nomine*) Prætextu pellium, ad loricas, clypeos, papiliones faciendos. Qua ratione tantum lucratus est, quantum pater fuerat ante lucratus. *Abram.*

(2) *Per tuum servulum ordines assignatos*) Ordines assignare fuit Tribuni millitum. Polybius, libro 6. Vide Lipsium cap. 1. lib. 2. de Militia. *Idem.*

(3) *Quid? stipendium, &c. mensis palam propositis*) Stipendium pendebatur ex ærario: Piso, ut illam pecuniam, quam ex ærario stipendii nomine capiebat, in suum usum converteret, jubebat a civitatibus stipendium numerari. Factum amplificat a duobus. 1. Quod non semel, sed per omnes annos id fecerit. 2. Quod palam, & mensis propositis in oculis totius provinciæ. *Abr.*

(4) *Quid illa in Pontum profectio*) Res obscura est, & nullis antiquitatis impressa vestigiis. Videtur Piso pecuniis Barbarorum inhians, in Pontum incursionem fecisse, & inde fuisse expulsum: unde & *conatus* potius, quam bellum illatum nominatur. *Idem.*

(5) *Macedonia prætoria nuntiata*) Cum tibi nuntiatum est, Macedoniam, quam proconsulari imperio tenebas, prætoriam esse factam: ut statim prætores anni illius in eam proficiscerentur. Eo pertinebat superior oratio de Provinciis Consularibus, patetque hoc ex loco de solo Pisone eam sententiam obtinuisse. *Hotom.*

ANALYSIS.

(a) *Quid illa in Pontum*) Tertio refert ea omnia, quæ facta fuerant paulo ante illius profectionem ex Macedonia. Quibus auditis, nemo est, qui Pisonem de repetundis accusari posse non fateatur.

latus (1)? tribuni militum non recepti (2)? M. Bæbius, vir fortis, interfectus jussu tuo?

Quid, quod tu toties, diffidens ac desperans rebus tuis, in sordibus, lamentis, luctuque jacuisti? quod populari illi sacerdoti (3) sexcentos ad bestias (4) amicos sociosque misisti? quid, quod, cum sustentare vix posses mœrorem tuum doloremque decessionis, Samothraciam te primum, post * inde Thasum cum tuis teneris saltatoribus, & cum Autobulo, Athamante, & Timocle, formosis fratribus, contulisti? Quid, quod, cum inde te reciipiens, in illa Euchadiæ, quæ fuit uxor Exegisti (5), jacuisti mœrens aliquot dies, atque inde obsoletus Thessalonicam, omnibus inscientibus, noctuque venisti? qui cum concursum plorantium, ac tempestatem querelarum ferre non posses, in oppidum devium Berœam profugisti; quo in oppido cum tibi spe falsa, quod Q. Ancharium non esse successurum putares, animos rumor inflasset; quo te modo ad tuam intemperantiam, scelerate innovasti?

XXXVII.

* In vulg. deest *post*.

(1) *Quid quæstor ædilitius rejectus? Præpositus legatorum tuorum optimus a te quisque violatus?*) Sic dedere, antiquos secuti codices, Gruterus, Grævius. Omnino facilioris est explicatus id, quod Lambinus proposuit, atque utinam in aliqua vetere membrana invenisset: *Quid quæstor ædilitius rejectus, præpositus homo turpissimus, legatorum tuorum optimus abs te quisque violatus?* Ediderant alii: *Quid prætor ædilitius rejectus, præpositus legatorum tuorum turpissimus, optimus abs te quisque violatus?* At accidit perincommode, quod *turpissimus* in nullo est veteri libro. Abesse debuerat quoque *præpositus*; libere flueret oratio, quæ ad hanc vocem adhærescit. *Anonymus*.

(2) *Tribuni militum non recepti*) Non admissi a te, qui a populo fuerant Tribuni militum constituti. Vide Lipsium, Dial. 9. lib. 2. *Abram*.

(3) *Quod populari illi sacerdoti*) Manifestum est, P. Clodium significari. *Asconius*.

(4) *Ad bestias*) Hoc est: Pro servis miserat socios, & amicos bestiis objiciendos in spectaculis. *Ferrat*.

(5) *Quæ fuit uxor Exegisti*) Turnebus Adversar. xxi, 15. emendat *in villa Leucadia, quæ fuit uxoris Ægisthi*. Gruterus.

XXXVII. Mitto aurum coronarium (1), quod te diutissime torsit, cum modo velles, modo nolles. Lex enim generi tui & decerni, & accipere vetabat, nisi decreto triumpho. In quo tu, accepta tamen & devorata pecunia, ut in Achæorum * centum talentis, evomere non poteras: vocabula tantum pecuniarum, & genera mutabas (2). Mitto diplomata (3) tota in provincia passim data: mitto numerum navium (4), summamque prædæ: mitto rationem exacti imperatique frumenti: mitto ereptam libertatem populis, ac singulis, qui erant affecti præmiis nominatim, quorum nihil est, quod non sit lege Julia, ne fieri liceat, sancitum ** diligenter.

Ætoliam, quæ procul a barbaris disjuncta gentibus in sinu pacis posita, medio fere Græciæ gremio continetur, (o pœna, o furia sociorum!) decedens, miseram perdidisti. Arsinoen, Stratum, Naupactum, ut modo tute indicasti, nobiles urbes atque plenas, fateris ab hostibus esse captas. Quibus autem hostibus? nempe iis, quos tu Ambraciæ sedens, primo tuo adventu ex oppidis Agrinarum (5), atque Dolopum demigrare, & a-

 ras

* Vulg. *pecunia Utinachorum, centum talenta evomere.*
** Vulg. *sanctum.*

(1) *Coronarium*) Ea de causa nonnulli provinciarum præsides se triumphaturos esse simulabant, ut ab amicis fœderatisque civitatibus aurum coronarium ipsis triumphi nomine mitteretur: quorum effrænatam cupiditatem ut coerceret Julius Cæsar in suo primo consulatu lege Julia de repetundis sanxit, ne quis aurum coronarium sibi triumphi nomine missum prius admitteret, quam decretus fuisset triumphus a Senatu. *Abram.*

(2) *Vocabula ..... mutabas*) Non dicebas, auri coronarii nomine accepta, sed aliis quibusdam nominibus, tua furta obtegentibus. *Man.*

(3) *Diplomata*) Literas patentes publico sigillo munitas. Nondum tamen liquet, quid hoc loco Tullius reprehendat, nisi si forte Pisonis avaritiam obiter notat, qui ea diplomata vendiderit, quæ gratis dare debuisset. *Abram.*

(4) *Navium*) Quas fœderatis civitatibus sine necessitate publica imperasti. *Idem.*

(5) *Agrinarum*) Turnebus, *Agrianum*. Vide Stephanum in Ἀγρίαι. al. *Agræorum*.

ras & focos relinquere coegisti. Hoc tu in exitu, praeclare imperator, cum tibi ad pristinas clades accessio fuisset Ætoliæ repentinus interitus, exercitum dimisisti (1); neque ullam pœnam, quæ tanto facinori deberetur, non maluisti subire, quam numerum tuorum militum reliquiasque cognoscere.

XXXVIII. Atque ut duorum Epicureorum similitudinem in re militari imperioque videatis, Albucius (2), cum in Sardinia triumphasset, Romæ damnatus est: hic, cum similem exitum spectaret, in Macedonia tropæa posuit; eaque, quæ bellicæ laudis victoriæque omnes gentes insignia & monumenta esse voluerunt, noster hic præposterus Imperator (3), amissorum oppidorum, cæsarum legionum, provinciæ præsidio & reliquis militibus orbatæ, ad sempiternum dedecus sui generis & nominis, funesta * indicia constituit: idemque, ut esset, quod in basi tropæorum incidi inscribique posset, Dyrrhachium ut venit, decedens obsessus est ab iis ipsis militibus, quos paulo ante Torquato respondit beneficii causa ab se esse dimissos. Quibus cum juratus affirmasset, se, quæ deberentur, postero die persoluturum, domum se abdidit: inde nocte intempesta, crepidatus, veste servili, navem conscendit, Brundisiumque vitavit, & ultimas Adriani maris oras petivit. Cum interim Dyrrhachii milites domum, in qua istum esse arbitrabantur, obsidere cœperunt, &, cum latere hominem putarent, ignes circumdederunt. Quo metu commoti Dyrrhachini, profugisse noctu crepidatum im-

* In vulg. deest *funesta*.

(1) *Dimisisti*) Solutis sacramento militibus: quod non licebat sine senatus auctoritate, vel populi jussu.

(2) *Albucius*) De Prov. Consul. cap. 7.

(3) *Præposterus Imperator*) Alii vocantur Imperatores, cum hostes ceciderunt: hic ordine præpostero dictus est Imperator, cæso ab hostibus ejus exercitu: adeoque statuam, quam sibi Dyrrhachii poni voluit, non habuit suæ bellicæ virtutis monumentum, sed suorum flagitiorum indicium. *Ferr.*

imperatorem indicaverunt. Illi autem statuam, istius persimilem (1), quam stare celeberrimo in loco voluerat, ne suavissimi hominis memoria moreretur, deturbant, affligunt, comminuunt, dissipant. Sic odium, quod in ipsum attulerant, id in ejus immaginem ac simulacrum profuderunt.

PERORATIO.

Quæ cum ita (a) sint, non dubito, quin, cum hæc, quæ excellunt, me nosse videas, non existimes, mediam illam partem & turbam flagitiorum tuorum mihi esse inauditam. Nihil est, quod me hortere (2), nihil est, quod invites. Admoneri me satis est. Admonebit autem nemo alius, nisi reipublicæ tempus: quod mihi quidem magis videtur, quam tu unquam arbitratus es, appropinquare.

XXXIX. Ecquid vides, ecquid sentis, lege judiciaria lata, quos posthac judices simus habituri? (3) Non æque legetur quisquis voluerit: nec, quisquis noluerit, non legetur. Nulli conjicientur in illum ordinem, nulli eximentur: non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad simulationem conjicietur *. Judices judicabunt ii, quos lex ipsa, non quos hominum libido delegerit. Quod cum ita sit, mihi crede, neminem invitus ** invitabis: res ipsa, &

* Vulg. *conniteatur*. ** al. *invitum*.

(1) *Istius persimilem*) Crepidatam; nam statuæ fieri cum crepidis fere solebant. *Ferratius*.

(2) *Quod me hortere*) Ut tibi nomen deferam. *Manut*.

(3) *Ecquid vides, ecquid sentis, lege judiciaria lata, quos posthac judices simus habituri?*) Legem judiciariam ante aliquot annos, quibus temporibus accusatus est Verres a Cicerone, tulit Aurelius Cotta prætor: quia communicata sunt judicia senatui, & equitibus Romanis, & tribunis ærariis. Rursus deinde Pompejus in consulatu secundo, quo hæc oratio dicta est, promulgavit, ut amplissimo ex censu, ex centuriis aliter quam antea, lecti judices, æque tamen ex illis tribus ordinibus, res judicarent. *Asconius*.

ANALYSIS.

(a) *Quæ cum ita*) Concludit, cum tanta sint Pisonis scelera, facile tum sibi, tum cuilibet fore illum accusare, ubi Reip. tempus id postulaverit; maxime quod lata jam sit Lex Pompeja de judicibus ex amplissimo censu deligendis.

& reipublicæ tempus aut me ipsum, quod nolim (1), aut alium quempiam, aut invitabit, aut dehortabitur (2).

Equidem (a), ut paulo ante dixi, non eadem supplicia esse in hominibus existimo, quæ fortasse plerique, damnationes, expulsiones, neces: denique nullam mihi pęnam videtur habere id, quod accidere innocenti, quod forti, quod sapienti, quod bono viro & civi potest. Damnatio ista, quæ in te flagitatur, obtigit P. Rutilio, quod specimen habuit hæc civitas innocentiæ: major mihi judicium & reipublicæ pęna illa visa est, quam Rutilii. L. Opimius (3) ejectus est e patria, is, qui prætor & consul maximis rempublicam periculis liberarat. Non in eo, cui facta est injuria, sed in iis, qui fecerunt, sceleris ac conscientiæ pęna permansit *. At contra bis Catilina absolutus: emissus etiam ille auctor tuus provinciæ, cum stuprum Bonæ deæ pulvinaribus intulisset. Quis fuit in tanta civitate, qui illum incesto liberatum, non eos, qui ita judicarunt, pari scelere adstrictos arbitraretur?

XL.

* Vulg. *remanet*.

(1) *Quod nolim*) Propter Cæsarem socerum tuum, mihi amicissimum. *Idem*.

(2) *Dehortabitur*) Fortasse reipublicæ tempora dissuadebunt. *Hotom.*

(3) *L. Opimius*) Notum est, Opimium in prætura Fregellas cepisse: quo pacto visus est cæteros quoque nominis Latini socios male animatos repressisse: eundemque in consulatu Fulvium Flaccum consularem, & C. Gracchum tribunitium oppressisse: ob quam invidiam postea judicio circumventus est, & in exilium actus. *Asconius*.

ANALYSIS.

(a) *Equidem*) Sequitur superiorum brevis *Epilogus*, probatque damnationem non esse requirendam in Pisonem, ita in primis *a Causis*:

Id in Pisonem flagitari non debet, quod & innocenti contingere potest, & a nocentibus evitari;

Sed damnatio etiam innocentibus contigit, eamque sæpe nocentes evitarunt;

Ergo damnatio non est flagitanda in Pisonem.

Assumptionis utramque partem confirmat *ab Exemplis*.

XL. An ego (a) expectem, dum de te quinque & septuaginta tabellæ diribeantur (1), de quo jampridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum, judicaverunt? Quis enim te aditu, quis ullo honore, quis denique communi salutatione dignum putet? Omnes memoriam consulatus tui, facta, mores, faciem denique, ac nomen a republica detestantur. Legati, qui una fuere, alienati: tribuni militum inimici: centuriones, & si qui ex tanto exercitu reliqui milites existunt, non dimissi abs te, sed dissipati, te oderunt, tibi pestem exoptant, te execrantur. Achaja exhausta, Thessalia vexata, laceratæ Athenæ, Dyrrhachium & Apollonia exinanita, Ambracia direpta, Parthini & Bullienses illusi, Epirus excisa: Locri, Phocii, Bęotii, exusti: Acarnania, Amphilochia, Perrhębia, Athamanumque gens vendita: Macedonia condonata barbaris, Ætolia amissa: Dolopes finitimique montani oppidis atque agris exterminati: cives Romani, qui in iis locis negotiantur, te unum, solum, suum depeculatorem, vexatorem, prædonem, hostem venisse senserunt.

Ad horum omnium judicia tot atque tanta domesticum judicium accessit sententiæ damnationis tuæ, occultus adventus, furtivum iter per Italiam, introitus in urbem desertus ab amicis, nullæ ad senatum e provincia literæ, nulla ex trinis æstivis gra-

(1) *Quinque & septuaginta tabellæ diribeantur*) Totidem igitur numero judices in hujusmodi causis constituebantur, senatores triginta, viginti quinque Equites, viginti Tribuni ærarii. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *An ego*) Sic deinde alia ratione idem pertractat:
De eo non sunt expectandæ Judicum sententiæ, de quo jam omnes mortales judicaverunt;
Sed omnes mortales jam condemnarunt Pisonem;
Ergo non est flagitandum, ut a Judicibus etiam condemnetur.
Vehementi nimirum amplificatione comprehendit ea omnia, quæ passim in tota Oratione tractantur de summo omnium odio in Pisonem.

gratulatio (1), nulla triumphi mentio: non modo quid gesseris, sed ne quibus in locis quidem fueris, dicere audes. Ex illo fonte & seminario triumphorum, cum arida folia laureæ retulisses, cum ea abjecta ad portam reliquisti, tum tu ipse de te *fecisse videri* (2), pronuntiavisti. Qui si nihil gesseras dignum honore, ubi exercitus? ubi sumptus? ubi imperium? ubi illa uberrima supplicationibus triumphisque provincia? Sin autem aliquid sperare volueras, si cogitaras id, quod imperatoris nomen, quod laureati fasces, quod illa tropæa, plena dedecoris & risus, te commentatum esse declarant; quis te miserior, quis te damnatior, qui neque scribere ad senatum, a te bene rempublicam esse gestam, neque præsens dicere ausus es?

XLI. An tu mihi, cui semper ita persuasum fuerit, non eventis, sed factis cujusque fortunam ponderari, dicere audes *, neque in tabellis paucorum judicum, sed in sententiis omnium civium, famam nostram fortunamque pendere? Te indemnatum videri putas, quem socii, quem fœderati, quem liberi populi, quem stipendiarii, quem negotiatores, quem publicani, quem universa civitas, quem legati, quem tribuni militares, quem reliqui milites, qui ferrum, qui famem, qui mortem effugerunt, omni cruciatu dignissimum putant? cui non apud senatum, non apud ullum ordinem, non apud equites Romanos, non in urbe, non in Italia, maximorum scelerum venia ulla ad ignoscendum dari possit? qui se ipsum oderit, qui metuat omnes, qui suam causam nemini committere audeat, qui seipsum condemnet?

Nun-

* In vulg. deest, *dicere audes*.

(1) *Nulla ex trinis æstivis gratulatio*) Supplicatio Diis decreta in gratiarum actionem: æstivorum autem meminit quod æstas sit accommodatior rebus gerendis. *Abr.*

(2) *Fecisse videri*) Id est, tum tu ipse de te capitalem sententiam pronuntiasti. Judicum formula, cum reum damnabant.

Nunquam ego ſanguinem expetivi tuum, nunquam illud extremum, quod poſſet eſſe improbis & probis commune, ſupplicium legis ac judicii, ſed abjectum, contemptum, deſpectum a cæteris, a te ipſo deſperatum & relictum, circumſpectantem omnia, quidquid increpuiſſet, pertimeſcentem, diffidentem tuis rebus, ſine voce, ſine libertate, ſine auctoritate, ſine ulla ſpecie conſulari, horrentem, trementem, adulantem omnes *, videre te volui. Vidi. Quare, ſi tibi evenerit, quod metuis, ne accidat, equidem non moleſte feram: ſin id tardius forte fiet, fruar tamen tua indignitate; nec minus libenter metuentem videbo, ne reus fias, quam reum: nec minus lætabor, cum te ſemper ſordidum, quam ſi pauliſper ſordidatum viderem (1).

* Vulg. *omnibus*.

(1) *Nec minus lætabor, cum te ſemper ſordidum, quam ſi pauliſper ſordidatum viderem*) *Sordidum* dixit, vilem & abjectum, & ſine ullo vitæ nitore ac lautitia vitam agentem. *Sordidatum* autem intellexit, accuſatum & reum. *Budæus*. Reos accedere ad judicium ſordidatos nemo non novit. *Ferrat*. al. *viderim*.



PRO

PRO
T. ANNIO MILONE.
ORATIO XXXVIII.

Hanc dixit Cn. Pompejo III. *consule, a. d.* VI. *Idus April. Quod judicium cum ageretur, exercitum in foro & omnibus in templis, quæ circum forum sunt, collocatum a Cn. Pompejo fuisse, non tantum ex oratione, & annalibus, sed etiam ex libro apparet, qui Ciceronis nomine inscribitur De* optimo genere Oratorum. ASCONIUS.

ARGUMENTUM.

ANnius Milo, & P. Plautius Hypsæus, & Q. Metellus Scipio consulatum petierunt, non solum largitione palam profusa, sed etiam factionibus armatorum succincti. Miloni, & Clodio summæ erant inimicitiæ, quod & Milo Ciceronis erat amicissimus, in reducendoque eo enixe operam reip. dederat, & P. Clodius restituto Ciceroni erat infestissimus, ideoque summe studebat Hypsæo, & Scipioni contra Milonem. Ac sæpe inter se Milo & Clodius cum suis factionibus Romæ depugnaverant: & erat uterque audacia par: sed Milo pro melioribus partibus stabat. Præterea in eundem annum consulatum Milo, Clodius præturam petebat: quam debilem futuram consule Milone intelligebat. Deinde cum diu tracta essent comitia consularia, perficique ob eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent, & ob id mense Januario nulli dum neque consules, neque prætores essent, trahereturque dies eodem quo antea modo, dum Milo quamprimum comitia confici vellet, conficeretque cum bonorum studiis, qui obsistebant Clodio,

die, tum etiam populi, propter effusas largitiones, impensas quoque ludorum scenicorum ac gladiatorii muneris maximas, in quas tria patrimonia effudisse eum Cicero significat, competitores vero ejus trahere vellent, ideoque Pompejus gener Scipionis, & T. Munatius tribunus pl. referri ad senatum de patriciis convocandis, qui Interregem proderent, non essent passi, cum Interregem prodere moris esset; a. d. XIII. *Kal. Feb. (acta etenim magis sequenda, & ipsam orationem, quæ actis congruit, puto, quam Fenestellam, qui a. d.* XIIII. *Kal. Feb. tradit) Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, & ibi tum dictator, profectus est ad flaminem prodendum postera die. Occurit ei circa horam nonam Clodius paulo ultra Bovillas, rediens ab Aricia, prope eum locum, in quo Bonæ Deæ sacellum est. Erat autem allocutus decuriones Aricinorum. Vehebatur Clodius equo. Servi* XXX. *fere expediti, ut illo tempore mos erat iter facientibus, gladiis cincti sequebantur. Erant cum Clodio præterea tres comites ejus, ex quibus eques Romanus unus C. Cassinius Schola, duo de plebe novi homines, P. Pomponius, C. Clodius. Milo rheda vehebatur, cum uxore Fausta filia L. Syllæ dictatoris, & M. Fusio familiari suo. Sequebatur eos magnum servorum agmen: inter quos gladiatores quoque erant, ex quibus duo noti, Eudamus, & Birria. Hi in ultimo agmine tardius euntes, cum servis P. Clodii rixam commiserunt. Ad quem tumultum cum respexisset Clodius minitabundus, humerum ejus Birria romphæa trajecit. Inde cum orta esset pugna, plures Miloniani accurrerunt. Clodius vulneratus in tabernam proximam Bovillano delatus est. Milo, ut cognovit vulneratum Clodium, cum sibi periculosius illud etiam vivo eo futurum intelligeret, occiso autem magnum solatium esset habiturus, etiam si subeunda esset pœna, exturbari tabernam jussit. Fuit antesignanus servorum ejus M. Fustenus. Atque ita Clodius*

dius

dius latens extractus est, multisque vulneribus confectus. Cadaver ejus in via relictum, quia servi Clodii aut occisi erant, aut graviter saucii latebant. Sex. Tedius senator, qui forte ex rure in urbem revertebatur, sustulit, & lectica sua Romam ferri jussit. Ipse rursus eodem, unde venerat, gressum recepit. Perlatum est corpus Clodii ante primam noctis horam: infimæque plebis & servorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus positum circumstetit. Augebat autem facti invidiam uxor Clodii Fulvia, quæ cum effusa lamentatione vulnera ejus ostendebat. Major postera die, luce prima, multitudo ejusdem generis confluxit: compluresque noti homines elisi sunt, inter quos C. Vibienus senator. Erat domus Clodii, ante paucos menses empta de M. Scauro, in Palatio. Eodem Munatius Plancus frater L. Planci oratoris, & Q. Pompejus Rufus Syllæ dictatoris ex filia nepos, tribuni pl. accurrerunt: eisque hortantibus vulgus imperitum corpus nudum calceatum, sicut in lecto erat positum, ut vulnera videri possent, in forum detulit, & in Rostris posuit. Ibi pro concione Plancus, & Pompejus, qui competitoribus Milonis studebant, invidiam Miloni fecerunt. Populus, duce Sex. Clodio scriba, corpus P. Clodii in curiam intulit, cremavitque subselliis, & tribunalibus, & mensis, & codicibus librariorum. Quo igne & ipsa quoque curia flagravit, & item Porcia basilica, quæ erat ei juncta, ambusta est. Domum quoque M. Lepidi interregis, (is enim magistratus curulis erat creatus) & absentis Milonis, eadem illa Clodiana multitudo oppugnavit. Deinde sagittis repulsa est. Tum fasces ex lecto Libitinæ raptos attulit ad domum Scipionis & Hypsæi; deinde ad hortos Cn. Pompeji, clamitans eum modo consulem, modo dictatorem. Incendium curiæ majorem aliquanto indignationem civitatis moverat, quam interfectio Clodii. Itaque Milo, quem opinio fuerat

ivis-

ivisse in voluntarium exilium, invidia adversariorum recreatus, nocte ea redierat Romam, qua incensa erat curia, petebatque nihilo deterius consulatum, aperte quoque tributim in singulos millia assium dederat. Concionem etiam ei post aliquot dies dedit M. Celius tribunus pl. & Manilius Canianus ejus collega, ipsiusque causam etiam ad populum probabant. Dicebant utrique, Miloni a Clodio factas esse insidias. Fiebant interea alii ex aliis Interreges, qui comitia consularia, propter eorum candidatorum tumultus & easdem manus armatas, habere non poterant: itaque primo factum erat S.C. ut Interrex & tribuni pl. & Cn. Pompejus, qui pro Consule ad urbem erat, viderent ne quid detrimenti resp. caperet: delectus autem Pompejus tota Italia haberet. Qui cum summa celeritate præsidium comparasset, postulaverunt apud eum familiam Milonis, item Faustæ uxoris ejus, exhibendam duo adolescentuli, qui Appii Claudii ambo appellabantur, qui erant C. Claudii filii, qui frater fuerat Clodii, & ob id illi patrui sui mortem, velut auctore fratre, persequebantur. Easdem Faustæ & Milonis familias postulaverunt duo Valerii: Nepos & Leo, & L. Herennius Balbus. P. Clodii quoque familiam, & comitium ejus postulavit eodem tempore Celius: familiam Hypsæi, & Q. Metelli, Manilius Canianus ejus collega. Affuerunt Miloni Q. Hortensius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cato, Faustus Sylla. Verba pauca Q. Hortensius dixit, quæ sunt, liberos esse eos, qui pro servis postularentur: nam post recentem cædem manumiserat eos Milo sub hoc titulo, quod caput suum ulti essent. Hæc agebantur mense intercalari: post diem trigesimum fere, quam erat Clodius occisus, Q. Metellus Scipio in senatu contra (*) M. Cæpionem conquestus est, ac de cæde

(*) M. *Cæpionem*) Aut accipe de M. Bruto, qui Cæpio cognominatus est, ut epist. ad Att. lib. II, qui Milonem & ipse scripta oratione defendit; aut lege *M. Ciceronem*. Manut.

cæde P. Clodii falsum esse dixit quod Milo sic se defenderet, & Clodium Aricinos decuriones alloquendi gratia abiisse, profectum cum sex ac XX. servis: Milonem subito post horam quartam, senatu misso, cum servis amplius CCC armatis obviam ei contendisse, & supra Bovillas inopinantem in itinere aggressum: ibi P. Clodium tribus vulneribus acceptis, Bovillas perlatum: tabernam, in quam profugerat, expugnatam a Milone: semianimem Clodium extractum, in via Appia occisum esse, annulumque ejus ei morienti extractum: deinde Milonem cum sciret in Albano parvulum filium Clodii venisse ad villam, & cum puer ante subtractus esset, de servo Alicore quæstionem ita habuisse, ut eum articulatim consecaret: villicum & duos præterea servos jugulasse: ex servis Clodii, qui dominum defenderint, undecim esse interfectos: Milonis duos solos saucios factos esse: ob quæ Milonem postero die XII. servos, qui ei maxime operam navassent, manumisisse, populoque tributim singula millia æris ad defendendos de se rumores dedisse. Milo misisse ad Cn. Pompejum dicebatur, quod Hypsæo summe studebat, quod fuerat ejus quæstor, desistere se petitione consulatus, si ita ei videretur: Pompejum respondisse, nemini se neque petendi, neque desistendi auctorem esse, neque populi Romani potestatem, aut consilium, aut sententiam interpellaturum. Deinde per C. Lucilium, qui propter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Miloni, egisse quoque dicebatur, ne se de hac re consulendo invidia oneraret. Inter hæc cum crebresceret rumor, Cn. Pompejum creari dictatorem, neque opportune aliter mala civitatis sedari posse: visum est optimatibus, tutius esse, eum consulem sine collega creari: & cum tractata ea res esset in senatu, facto in M. Bibuli sententiam S. C. Pompejus ab interrege Ser. Sulpicio, V. Kal. Mar. mense intercalario, consul creatus est, statimque consulatum iniit. Deinde post diem ter-

tium

tium de legibus novis ferendis retulit; duas ex S.C. promulgavit. Alteram de vi, qua nominatim cædem in Appia via factam, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit. Alteram de ambitu: pœnam graviorem, & formam judiciorum breviorem. Utraque enim lex prius testes dari per triduum, deinde uno die atque eodem & ab accusatore, & ab reo perorari jubebat, ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur. His legibus obsistere M. Celius tribunus pl. studiosissimus Milonis conatus est, quod & privilegium diceret in Milonem ferri, & judicia præcipitari: & cum pertinacius legem Celius vituperaret, eo processit iræ Pompejus, ut diceret, si coactus esset, armis se remp. defensurum: timebat autem Pompejus Milonem, seu timere se simulabat. Plerumque non domi suæ, sed in hortis manebat, idque ipsum in superioribus, circa quos etiam magna manus militum excubabat; senatum quoque semel in porticu sua habuerat Pompejus, quod diceret timere se adventum Milonis. Dein proximo senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur alligatum dixerat. Postulaverat, ut femur nudaret: & ille sine mora tunicam levaverat. Tum M. Cicero exclamaverat, omnia illi similia crimina esse quæ in Milonem dicerentur alia. Deinde Munatius Plancus tribunus pl. produxerat in concionem M. Æmilium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi. Is se dicebat, pariterque secum quatuor liberos homines iter facientes supervenisse, cum Clodius occideretur, &, ob id cum proclamassent, abreptos, & perductos in villam Milonis, ibique per duos menses præclusos fuisse: eaque res, seu vera, seu falsa, magnam invidiam Miloni contraxerat. Iidemque Munatius & Pompejus tribuni pl. in Rostra produxerant triumvirum capitalem, eumque interrogaverant, an Galatam Milonis servum cædes facientem deprehendisset. Ille dormientem in ta-

berna pro fugitivo deprehensum, & ad se perductum esse responderat: denuntiaverant tamen triumviro, ne servum remitteret. Sed postera die Celius tribunus pl. & Manilius Canianus collega ejus ereptum e domo triumviri servum Miloni reddiderunt. Etsi nullam de his criminibus mentionem fecit Cicero, tamen, quia ita compereram, putavi exponenda. Inter primos & Q. Pompejus, & C. Sallustius, & T. Munatius Plancus tribuni pl. inimicissimas conciones de Milone habebant; invidiosas etiam de Cicerone, qui Milonem tanto studio defenderet. Eratque maxima pars multitudinis infensa non solum Miloni, sed ipsi etiam, propter invisum patrocinium, Ciceroni. Postea Pompejus & Sallustius in suspicione fuerunt, in gratiam rediisse cum Milone ac Cicerone. Plancus autem infestissime perstitit, atque in Ciceronem quoque multitudinem instigavit: Pompejo autem suspectum faciebat Milonem, ad perniciem ejus comparari vim vociferatus: Pompejusque ob ea sæpius querebatur, fieri sibi quoque insidias, & id palam: ac majore manu se armabat. Dicturum quoque diem Ciceroni Plancus ostendebat: postea Q. Pompejus idem minitatus erat. Tanta tamen constantia ac fides fuit Ciceronis, ut non populi a se alienatione, non Cn. Pompeji suspicionibus, non periculi futuri metu, si sibi dies ad populum diceretur, non armis, quæ palam in Milonem sumpta erant, deterreri potuerit a defensione ejus, cum posset omne periculum suum & offensionem inimicæ multitudinis declinare, redimere etiam Cn. Pompeji animum, si paulum ex studio defensionis remisisset. Perlata deinde lege Pompeji, in qua id quoque scriptum erat, ut quæsitor suffragio populi ex iis, qui consules fuerant, crearetur, statim comitia habuit, creatusque erat L. Domitius Aenobarbus quæsitor. Aliorum quoque judicum, qui de ea re judicarent, Pompejus tales proposuit, ut nunquam neque clariores viros, neque sanctiores propositos esse constaret.

staret. Post quod statim nova lege Milo postulatus a duobus Appiis Clodiis adolescentibus, iisdem, a quibus antea familia ejus fuerat postulata, itemque de ambitu ab iisdem Appiis: & præterea de vi a Q. Petulcio, & L. Cornificio: de sodalitis a P. Fulvio Nerato: postulatus autem erat & de sodalitiis, & de ambitu ea spe, quod primum judicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebant, nec postea responsurum. Divinatio de ambitu accusatorum facta est, quæsitore A. Torquato: atque ambo quæsitores, Torquatus & Domitius, pridie Nonas Apr. reum adesse jusserunt. Quo die Milo ad Domitii tribunal venit, ad Torquati amicos misit. Ibi, postulante pro eo M. Marcello, obtinuit, ne prius causam de ambitu diceret, quam de vi judicium esset perfectum. Apud Domitium autem quæsitorem major Appius postulavit a Milone servos exhiberi numero IIII, *&* L, *& cum ille negaret, eos, qui nominabantur, in sua potestate esse, Domitius ex sententia judicum pronuntiavit, ut ex servorum eorum numero accusator quot vellet ederet. Citati deinde testes, secundum legem, quæ, ut supra diximus, jubebat*, ut prius, quam causa ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum judices consignarent, quarta die adesse omnes in diem posterum juberentur, ac coram accusatore ac reo pilæ, in quibus nomina judicum inscripta essent, æquarentur: dein rursus postera die sortitio judicum fieret unius & LXXX; qui numerus cum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent: tum ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, reusque eodem die illo judicaretur: prius autem quam sententiæ ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus rejiceret, ita ut numerus judicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquaginta & unus. *Primo die datus erat in Milonem testis Cassinius Schola, qui se cum P. Clodio fuisse, cum is occisus est, dixit; atro-*

 tro-

trocitatemque rei facta, quam maxime potuit, auxit. Quem cum interrogare M. Marcellus cœpisset, tanto tumultu Clodianæ multitudinis circumstantis exterritus est, ut vim ultimam timens in tribunal a Domitio reciperetur. Quam ob causam M. Marcellus, & ipse Milo a Domitio præsidium imploraverunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompejus ad ærarium, perturbatusque erat eodem illo clamore: itaque Domitio promisit, se postero die cum præsidio descensurum, idque fecit: quare territi Clodiani, silentio verba testium per biduum audiri passi sunt. Interrogaverunt eos M. Cicero, M. Marcellus, & Milo ipse. Multi ex iis, qui Bovillis habitabant, testimonium dixerunt de iis, quæ ibi facta erant, cauponem occisum, tabernam expugnatam, corpus Clodii in publicum extractum esse. Virgines quoque Vestales dixerunt mulierem ignotam venisse ad se, quæ Milonis mandato votum solveret, quod Clodius occisus esset. Ultimæ testimonium dixerunt Sempronia Tuditani filia, socrus P. Clodii, & uxor Fulvia, & fletu suo magnopere eos, qui adstabant, commoverunt. Dimisso circa horam decimam judicio, T. Munatius pro concione populum adhortatus est, ut postero die frequens adesset, & elabi Milonem non pateretur, judiciumque & dolorem suum ostenderet. Euntibus ad tabellam ferendam postero die judicibus, qui fuit judicii primus a. d. III. Idus Aprilis, clausæ fuerunt tota urbe tabernæ: præsidia in foro & circa omnes fori aditus Pompejus disposuit: ipse pro ærario, ut pridie, consedit, septus delecta manu militum. Sortitio deinde judicum, ut primo die facta est. Post, tantum silentium toto foro fuit, quantum esse in aliquo foro posset. Tum intra horam secundam accusatores cœperunt dicere, Appius major, & M. Antonius, & P. Valerius Nepos. Usi sunt ex lege horis duabus. Respondit his unus M. Cicero. Et cum quibusdam placuisset, ita defendi crimen, interfici Clodium pro re-

publi-

publica fuisse, quem formam M. Brutus secutus est in ea oratione, quam pro Milone composuit, & edidit, quamvis non egisset; Ciceroni id non placuit, quod non, qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus posset. Itaque, cum insidias Milonem Clodio fecisse posuissent accusatores, quia falsum id erat, (nam forte illa rixa commissa fuerat) Cicero apprehendit, & contra Clodium Miloni fecisse insidias disputavit: eoque tota oratio ejus spectavit: sed ita constitit, ut diximus, neutrius consilio pugnatum esse eo die, verum forte occurrisse: ex ea rixa servorum ad eam cædem perventum. Notum tamen erat, utrumque mortem alteri sæpe minatum esse: & sicut suspectum Milonem major, quam Clodii, familia faciebat, ita expeditior & paratior ad pugnam Clodianorum quam Milonis fuerat. Cicero cum inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum, qui se continere ne metu quidem circumstantium militum potuerunt: itaque non ea, qua solitus erat, constantia dixit. Manet autem illa quoque excepta ejus oratio. Scripsit vero hanc, quam legimus, ita perfecte, ut jure prima haberi possit. IDEM.

ORATIONIS SYNOPSIS.

HÆc Oratio est in genere *Judiciali*, intuleritne Milo vim Clodio, an illatam a Clodio repulerit. Quinque sunt partes, *Exordium*, *Confutatio*, *Narratio*, *Contentio*, *Peroratio*.

In *Exordio* 1. excusat suum timorem *a Causis*, a nova judicii forma: *Etsi vereor*; 2. timorem a Judicibus avertit: *Quæ si opposita Miloni*; 3. movet *Misericordiam*, & *attentionem* parat: *Nam, si unquam*; 4. Causæ fundamentum proponit: *Quanquam in hac*.

In *Confutatione* tres quæstiones pertractat; 1. pos-

 se

se aliquando hominem occidi probat *ab Exemplis: Negant intueri lucem*; maxime insidiatorem, idque confirmat *exemplo*, & *auctoritate* naturæ, & legis: *Atqui si tempus est ullum*.

2. Ostendit *a Repugnantibus*, non condemnasse Senatum factum Milonis, quod semper probaverat: *Illam vero Senatus*; & *ab Adjunctis* non fuisse a Senatu novam quæstionem constitutam: *Hanc vero quæstionem*.

3. Neque a Pompejo fuisse condemnatum Milonem, nova lege lata: *At enim*; neque ab eo in judicibus legendis omissos fuisse amicos Ciceronis: *Neque vero*, *quod nonnulli*.

Narratio sequitur, & ut fuerit occisus Clodius exponit: *P. Clodius*, *cum statuisset*. *Contentionis* duæ sunt partes; in quarum prima, præmissa constitutione Causæ: *Si id jure non posset*; probat Clodium insidiatum fuisse Miloni.

1. *A Causa finali*; tum utilitatis: *Quonam igitur pacto*; tum odii: *At valuit odium*.

2. *Ab Adjunctis* personæ, quæ omnia fecit per vim: *Reliquum est*, *ut*; cum Milo nihil per vim fecerit: *Quid simile Milonis?*

3. Quia Clodius jam denuntiaverat mortem Miloni: *Sed quid ego*.

4. Ab aliis *Adjunctis*, quod Clodius Miloni poterat parare insidias, non Milo Clodio: *Quemadmodum igitur*; quorum omnium subdit *Epilogum: Video adhuc*.

5. *Ab Adjunctis* ipsius facti, & pugnæ: *Videamus nunc id*; & *a Causis* conglobatis tacitæ *Prolepsi* occurrit: *Cur igitur victus est?*

Dende duo diluit objecta: primum de servis manumissis, *a Causis: Cur igitur eos*; alterum de quæstionibus *ab Adjunctis* per *Comparationem* minorum: *Sed quæstiones*.

Postremo Milonem defendit ab illius post factum con-

constantia: *Quod si nondum*; & a cæteris in eum congestis criminibus, quæ falsa fuerunt: *Quid, quæ postea*, purgat autem suspiciones Pompeji: *Cum tamen, si metuitur*.

1. Altera *Contentionis* pars est extra Causam; potuisse jure occidi Clodium, hominem sceleratum, summorum virorum exemplo: *Nec vero me, Judices*.

2. Cum omnes laudent Milonem non confitentem se id fecisse Reip. causa, multo magis laudadaturos, si confiteretur: *Quamobrem, si cruentum*.

3. Cum omnes Clodium oderint, amplissimam ex ea confessione Miloni gloriam consecuturam: *Non timeo, Judices*.

4. *Ab Adjunctis* loci probat ab ipsis Diis sumptum esse supplicium de Clodio: *Sed hujus beneficii*; sequitur *Epilogus* hujusce partis: *Dura mihi*.

In *Peroratione* movet *Misericordiam ab Adjunctis*, constantiæ: *Nolite, si in nostro*; meritorum: *O frustra, inquit*; sapientiæ: *Addit hæc*; Oratoris: *Hæc ego tecum Milo*; fortitudinis: *Sit hic ea mente*.

Tandem omnia hæc simul complectitur: *O me miserum!*

EXORDIUM.

I. ETSI vereor (*a*), Judices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem, timere, minimeque deceat, cum T. Annius Milo ipse magis

ANALYSIS.

(*a*) *Etsi vereor*) Manifestum omnibus est, quam timuerit Cicero pro Milone dicturus; ne igitur putarent Judices, se quasi Causæ diffidentem timere, huic statim præjudicio tali ratione occurrit *a Causis*:

Insusitatam judicii formam non potest Orator non timere;
Hoc judicium insusitatum, illius forma insusitata est;
Ergo non possum non timere.

gis de reipublicæ salute, quam de sua, perturbetur, me ad ejus causam parem animi magnitudinem afferre non posse; tamen hæc novi judicii nova forma (1) terret oculos, qui quocunque inciderint, veterem consuetudinem fori, & pristinum morem judiciorum requirunt. Non enim (*a*) corona consessus vester cinctus est, ut solebat: non usitata frequentia stipati sumus. Nam illa præsidia, quæ pro templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata * sunt, non afferunt tamen oratori aliquid, ut in foro & in judicio, quanquam præsidiis salutaribus & necessariis septi sumus, tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. Quæ si (*b*) opposita Miloni putarem, cederem tempori, Judices, nec inter tantam vim armorum existimarem oratori locum esse. Sed me recreat & reficit Cn. Pompeji, sapientissimi & justissimi viri, con-

(1) *Novi judicii nova forma*) Novum judicium dicebatur, quia erat extraordinarium, cum ordinario in judicio secundum leges & morem judiciorum Romanorum de hoc crimine esset quærendum a Prætore, qui quæstionem illo anno de vi sortitus erat. Nam extraordinaria judicia habebantur aut de crimine, de quo nulla lex erat, aut de crimine, quod atrocius existimabatur, quam quod secundum leges puniendum putabant, quale hoc fuit. Ideo Cicero queritur se novo judicio, hoc est, extraordinario fuisse perturbatum, & præterea nova illius forma propter præsidium militare. *Grævius*.

* Lamb. *sunt*, *afferunt tamen oratori horroris aliquid*.

ANALYSIS.

(a) N*on enim*) *Assumptionis* approbatio; non de novo tamen judicio, quod in *Confutatione* pertractat, neque de pristino more judiciorum, ne legislatorem Pompejum offenderet, sed de veteri consuetudine fori; erant enim circa Judices milites, non, ut antea, Cives, iique contra vim Clodianorum comparati a Pompejo.

(b) *Quæ si*) Deinde timorem a Judicibus avertit pariter *a Causis*:

In absolvendo Milone ea timere non debetis, quæ favent Miloni;
Sed & præsidia militum, & reliqua civium multitudo Miloni favent;
Ergo neque milites, neque tanta civium multitudo vos ab absolvendo Milone deterrere debet.

Quæ si) *Assumptionis* prima pars approbata tum a sua *Confidentia*, tum a Cn. Pompeji justitia, & sapientia.

consilium: qui profecto nec justitiæ suæ putaret esse, quem reum sententiis judicum tradidisset, eundem telis militum dedere; nec sapientiæ, temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare.

Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed præsidium denuntiant; neque solum, ut quieto, sed etiam ut magno animo simus, hortantur: neque auxilium modo defensioni meæ, verum etiam silentium pollicentur (1). Reliqua vero (*a*) multitudo, quæ quidem est civium, tota nostra est: neque eorum quisquam, quos undique intuentes ex hoc ipso loco cernitis, unde aliqua pars fori adspici potest, & hujus exitum judicii expectantes, non cum virtuti Milonis favet, tum de se, de liberis suis, de patria, de fortunis hodierno die decertari putat.

II. Unum genus est adversum infestumque nobis, eorum, quos P. Clodii furor rapinis, & incendiis, & omnibus exitiis publicis pavit: qui hesterna etiam concione (2) incitati sunt, ut vobis voce præirent, quid judicaretis. Quorum clamor, si quis forte fuerit, admonere vos debebit, ut eum civem retineatis, qui semper genus illud hominum, clamoresque maximos pro vestra salute neglexit. Quamobrem (*b*) adeste animis, Judices, & timorem, si quem habetis, deponite. Nam, si unquam (*c*) de bonis & fortibus viris, si unquam de

(1) *Silentium pollicentur*) Fuerant collocati ad Clodianorum clamores maxime compescendos. *Ferratius*.

(2) *Hesterna etiam concione*) Sæpe in Milonem concionabantur duo Tribuni pl. T. Munatius Plancus, & Q. Pompejus, a quibus populus concitatus damnationem Milonis postulaverat a judicibus, qui ad audiendos testes convenerant. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Reliqua vero*) Altera pars de Civibus; excludit autem Clodianos.

(b) *Quamobrem*) *Complexio*.

(c) *Nam, si umquam*) Locus ad conciliandam *Attentionem* a magnitudine rei, de qua sententiam laturi erant; Arist. l. 3. c. 14. t. 104.

de bene meritis civibus potestas vobis judicandi fuit, si denique unquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est, ubi sua studia erga fortes & bonos cives, quæ vultu & verbis sæpe significassent, re & sententiis declararent; hoc profecto tempore eam potestatem omnem vos habetis, ut statuatis, utrum nos, qui semper vestræ auctoritati dediti fuimus, semper miseri lugeamus, an diu vexati a perditissimis civibus, aliquando per vos, ac vestram fidem, virtutem, sapientiamque recreemur.

Quid enim (*a*) nobis duobus, Judices, laboriosius? quid magis sollicitum, magis exercitum, dici aut fingi potest, qui spe amplissimorum præmiorum ad rempublicam adducti, metu crudelissimorum suppliciorum * carere non possumus? Equidem cæteras tempestates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum semper putavi Miloni esse subeundas, quod semper pro bonis contra improbos senserat: in judicio vero, & in eo consilio, in quo ex cunctis ordinibus amplissimi viri judicarent, nunquam existimavi spem ullam esse habituros Milonis inimicos, ad ejus non salutem modo extinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam.

Quanquam (*b*) in hac causa, Judices, T. Annii tribunatu rebusque omnibus pro salute reipublicæ gestis, ad hujus criminis defensionem non abutemur, nisi oculis videritis insidias Miloni a Clodio factas: nec deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis multa propter præclara in rempublicam merita condonetis: nec postulaturi, ut si ** mors P. Clodii salus vestra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potius,

* Vulg. *exitiorum*. ** Al. *quia mors*.

A N A L Y S I S.

(a) *Quid enim*) *Misericordiam* movet, ex Arist. l. 2. c. 8. t. 89. quod inde malum timendum esset Miloni. unde bonum provenire oportebat.

(b) *Quanquam*) Universalis *Propositio* orationis, qua se *Confidentem* exhibet.

potius, quam populi Romani felicitati, assignetis. Sed si illius insidiæ clariores hac luce fuerint, tum denique obsecrabo obtestaborque vos, Judices, si cætera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia telisque vitam ut impune liceat defendere.

III. Sed, antequam (*a*) ad eam orationem venio, quæ est propria nostræ quæstionis, videntur ea esse refutanda, quæ & in senatu sæpe ab inimicis, ab improbis sæpe jactata sunt, & in concione etiam paulo ante ab accusatoribus: ut * omni terrore sublato, rem plane, quæ venit in judicium, videre possitis.

CONFUTATIO

extra causam.

Negant (*b*) intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua (*c*) tandem urbe hoc homines stultissimi ** disputant? nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit

* Vict. Man. Lamb. *omni errore*: ** MS. *subtilissimi*.

ANALYSIS.

(a) *Sed, antequam*) *Propositio Confutationis* extra causam, quæ statim sequitur.

(b) *Negant*) Tribus *Præjudiciis* occurrit, quibus infirmari causa Milonis videbatur. In primis igitur negabant adversarii, ullam defensionem superesse illi, qui fateretur, a se hominem occisum esse, sive jure eum, sive injuria occidisset; quibus respondet Cicero hoc argumento *a Genere*, *per Compar. min.*

Aliquando jure possumus hominem occidere;
Sed id maxime licet, cum vis vi repellitur;
Ergo non statim condemnandus, qui vim illatam repulerit.

Hæc autem generalis est quæstio, quæ Thesis dicitur; in *Contentione* Hypothesis tractabitur, an potuerit Milo vim inferentem Clodium jure occidere.

(c) *In qua*) *Propositio* nititur quinque rationibus. 1. Exemplo M. Horatii, qui Sororem levi de causa occiderat; 2. consuetudine Judiciorum, cum sæpe quæri soleret, jure ne, an injuria quispiam interfectus esset; 3. multorum exemplis, qui Cives sceleratos occiderant; 4. testimonio veterum; 5. auctoritate XII. Tabularum.

dit M. Horatii (1), fortissimi viri: qui nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur.

An est quisquam, qui hoc ignoret, cum de homine occiso quæratur, aut negari solere omnino esse factum, aut recte ac jure factum esse defendi? Nisi vero existimatis, dementem P. Africanum fuisse, qui cum a C. Carbone tribuno plebis in concione seditiose interrogaretur, quid de Tib. Gracchi morte sentiret, respondit jure cæsum videri. Neque enim posset aut Ahala ille Servilius (2), aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me consule, senatus non nefarius haberi, si sceleratos cives interfici nefas esset. Itaque hoc, Judices, non sine causa, etiam * fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt, eum, qui patris (3) ulciscendi causa matrem necavisset, variatis hominum sententiis, non solum divina **, sed etiam sapientissimæ deæ sententia liberatum. Quod si duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt; quis est, qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus?

IV. Atqui (*a*) si tempus est ullum jure hominis necandi, quæ multa sunt, certe illud est non modo

* in vulg. deest *etiam*. ** vulg. *humana*.

(1) *M. Horatii*) Hic cum in duello Curiatios tres occidisset, sororem lugentem mortem unius, cui desponsa erat, sua manu interfecit. Livius lib. I. *Hotom.* Fuit antem illud primum judicium publicum.

(2) *Ahala ille Servilius*) Hic Magister equitum Sp. Melium occidit, Scipio Nasica T. Gracchum, Opimius Consul C. Gracchum, Marius Consul Saturninum, & Glaucium. *Ferrat.*

(3) *Qui patris*) Orestes interfecta matre Clytemnestra cum adultero Ægysto in ultionem patris Agamemnonis cum variarent Areopagitarum sententiæ, judicio Minervæ absolutus est. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Atqui*) *Assumptio* confirmatur tum *ab Exemplo*, tum *ab auctoritate* naturæ, & legis.

modo justum, verum etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur. Pudicitiam (*a*) cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus ejus imperatoris interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille vir summus, scelere solutum, periculo liberavit. Insidiatori vero & latroni quæ potest afferri injusta nex?

Quid comitatus (*b*) nostri, quid gladii volunt? quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Est igitur hæc (*c*), Judices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Silent enim (*d*) leges inter arma, nec se expectari * jubent, cum ei, qui expectare velit, ante injusta pœna luenda sit, quam justa repetenda.

Etsi

* Al. *spectari*; & infra *spectare*.

ANALYSIS.

(a) *Pudicitiam*) Exemplum hoc narrat Plut. in Mario, tractatur autem *per Comparationem minorum*; acrius enim repelli debet vis illata vitæ, quam pudicitiæ.

(b) *Quid comitatus*) Idem illustrat *ab Adjunctis* tali ratione:
Non liceret comitatus, & gladios habere, nisi liceret iis uti contra insidiatores;
Sed licet eos habere;
Ergo licet iis uti contra insidiatores.
Propositio manifesta est ex eo, quia contra neminem majori jure armis uti possumus, quam contra latrones & insidiatores.

(c) *Est igitur hæc*) Ab Auctoritate naturæ sic arguit:
Majorem vim habere debet natura, quam lex;
Sed ipsa natura docet, vim vi repellendam esse;
Ergo vim vi repellere possemus, etiamsi lex contrarium præscriberet;
Sed lex etiam hoc permittit; Ergo multo magis.

(d) *Silent enim*) *Propositio* (nam *Assumptionem* primo loco eleganter exponit) eamque probat *a Consequentibus*; quia si metu legum vim inferenti pepercerimus, vita nobis erit amittenda.

Etsi (*a*) persapienter, & quodam modo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi, quæ non modo (1) hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat: ut, cum causa, non telum quæreretur, qui sui defendendi causa telo esset usus, non hominis occidendi causa habuisse telum judicaretur. Quapropter (*b*) hoc maneat in causa, Judices. Non enim dubito, quin probaturus sim vobis defensionem meam, si id memineritis, quod oblivisci non potestis, insidiatorem jure interfici posse.

V. Sequitur (*c*) illud, quod a Milonis inimicis sæpis-

(1) *Quæ non modo*) Dictio *modo* sententiæ nubeculam offundit. Itaque rescribit Gulielmius, *quæ non omnimodo*. Lambinus eam vocem delet. Et vero abest exemplari Basilicæ Coloniensis. Perstat tamen in Palatinis novem & Gruteriano. *Grut*. *Non modo*, est *non modo non*, ut sæpe Cicero. Exempla colligit Muretus in Variis, & aliis. Cicero hinc argumentatur, esse cædem quandam licitam, quia cum telo esse concedat se defendendi causa, non autem alium insidiis occidendi. *Grævius*. Hic *non modo*, esse *non modo non*, nullus persuadebit mihi. Sane in exemplis quæ collegit Muretus, *Var. Lect.* X 7, post *non modo* sequitur vel *ne quidem*, vel *sed etiam*: quorum neutrum, aut quidpiam simile hic esse potest. Ego totum hunc locum sic opinor posse intelligi. *Dat ipsa lex tacite potestatem occidendi*. *Non* enim in ea est tantum *modo* caput id, quod *hominem occidi vetat*, *sed* est alterum quoque quod vetat *esse cum telo hominis occidendi causa*. Cum ergo quæritur, an quispiam contra legem fecerit, in quæstionem non venit, telumne habuerit, sed qua causa habuerit. Si hominis occidendi causa, fecit contra legem. Si telum habuit, si telo hominem occidit, *sui defendendi causa*, non fecit contra legem: non enim telum habuit *occidendi hominis causa*, sed *sui defendendi*. Olivetus.

ANALYSIS.

(a) *Etsi*) *Subsumptum*, quod sic explicatur per interpretationem ipsius legis:

Lex, quæ causam notat, non ipsam rem, sublata causa, rem permittit;
Sed Lex de Sicariis vetat esse cum telo hominis occidendi causa;
Ergo permittit esse cum telo causa sui defendendi, non hominis occidendi.

(b) *Quapropter*) Conclusio hujus primæ disputationis.

(c) *Sequitur*) Secundum *præjudicium*; a Senatu jam fuisse condemnatum Milonem. Duo enim decreta fecerat: alterum, Videri incendium Curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, & cædem

sæpissime dicitur, cædem, in qua P. Clodius occisus est, senatum judicasse contra rempublicam esse factam. Illam vero senatus non sententiis suis solum, sed etiam studiis comprobavit. Quoties enim est illa causa a nobis acta in senatu? quibus assensionibus universi ordinis? quam nec tacitis, nec occultis? Quando enim frequentissimo senatu quatuor, ad summum quinque sunt inventi, qui Milonis causam non probarent? Declarant hujus ambusti tribuni plebis illæ intermortuæ conciones, quibus quotidie meam potentiam invidiose criminabatur (1), cum diceret, senatum non quod sentiret, sed quod ego vellem, decernere. Quæ quidem si potentia est appellanda potius, quam propter magna in rempublicam merita mediocris in bonis causis auctoritas, aut propter officiosos labores meos nonnulla apud bonos gratia, appelletur ita sane, dummodo ea nos utamur pro salute bonorum contra amentiam perditorum.

Hanc

(1) *Declarant hujus ambusti tribuni pl. illæ intermortuæ conciones; quibus quotidie meam potentiam invidiose criminabatur*) T. Munatius Plancus, & Q. Pompejus Rufus tribuni pl. de quibus in argumento hujus orationis diximus, cum contra Milonem Scipioni & Hypsæo studerent, concionati sunt eo ipso tempore, plebemque in Milonem accenderunt, quo, propter Clodii corpus, curia incensa est: nec prius destiterunt, quam flamma ejus incendii fugati sunt e concione. Erant enim tunc Rostra non eo loco, quo nunc sunt, sed ad Comitium, prope juncta curiæ. Ob hoc T. Munatium ambustum Tribunum appellat. Fuit autem paratus ad dicendum. *Ascon.*

ANALYSIS.

dem in Appia via factam, esse contra Remp. Alterum, ut extra ordinem quæreretur de cæde P. Clodii; Cicero respondet primo a *Repugnantibus*.

Id non potuit Senatus condemnare, quod semper probavit;
Sed factum Milonis in occidendo Clodio semper Senatus probavit;
Ergo idem Senatus condemnare non potuit.

Assumptionem confirmat ab evidentia ipsius rei, & a confessione Adversariorum, qui Senatum in gratiam Ciceronis favere Miloni querebantur.

Hanc vero (*a*) quæstionem (1), etsi non est iniqua, nunquam tamen senatus constituendam putavit. Erant enim leges, erant quæstiones, vel de cæde vel de vi: nec tantum mœrorem ac luctum senatui mors P. Clodii afferebat, ut nova quæstio constitueretur. Cujus enim de illo incesto stupro judicium decernendi potestas senatui esset erepta, de ejus interitu quis potest credere senatum judicium novum constituendum putasse? Cur igitur (*b*) incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipsam contra rempublicam senatus factam esse decrevit? (2) Quia nulla vis unquam est

(1) *Quæstionem*) Novam, de qua Pompejus legem tulerat. *Manut.*

(2) *Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi; cædem hanc ipsam, contra rempubl. senatus factam esse decrevit?*) Post biduum medium quam Clodius occisus erat, interrex primus proditus est M. Æmilius Lepidus. Non fuit autem moris, ab eo, qui primus interrex proditus erat, comitia haberi. Sed Scipionis & Hypsæi factiones, quia recens invidia Milonis erat, cum contra jus postularent, ut interrex ad comitia consulum creandorum descenderet, idque ipse non faceret, domum ejus per omnes interregni dies (fuerant autem ex more quinque) obsederunt, deinde, omni vi janua expugnata, & imagines majorum dejecerunt, & lectulum adversum uxoris ejus Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, fregerunt: itemque telas, quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt. Postque supervenit Milonis manus & ipsa postulans comitia: cujus adventus fuit saluti Lepido: in se enim ipsæ conversæ sunt factiones inimicæ, atque ita oppugnatio domus interregis omissa est. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Hanc vero*) Secundo novam quæstionem de cæde Clodii non fuisse constitutam ex auctoritate Senatus, cum essent leges veteres, ostendit *ab adjunctis*:

Non est probabile, in ejus gratiam novam quæstionem Senatum constituisse, in quem novum judicium constituere non potuit, cum vellet;

Sed voluit Senatus novam quæstionem in Clodium constituere accusatum de Sacris Bonæ Deæ violatis, & non potuit per intercessionem Tribuni;

Ergo non est probabile, in gratiam Clodii novam a Senatu quæstionem constitutam esse.

(b) *Cur igitur*) Tertio primum illud S. C. interpretatur, atque omnem cædem fieri contra Remp., quod probat Exemplis; idem autem censuisse Senatum de cæde Clodii, cum tamen non eum fecisse contra Remp. putaret, qui se telo defendisset, sed ipsum Clodium, qui Miloni insidias struxisset.

est in libera civitate suscepta inter cives, non contra rempublicam. Non enim est illa * defensio contra vim unquam optanda, sed nonnunquam est necessaria. Nisi vero aut ille dies, in quo Tib. Gracchus est cæsus, aut ille, quo Cajus; aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiam si e republica, rempublicam tamen non vulnerarunt.

VI. Itaque ipse ego decrevi, cum cædem in Appia factam esse constaret, non eum, qui se defendisset, contra rempublicam fecisse: sed, cum inesset in re vis & insidiæ, crimen judicio reservavi, rem notavi (1). Quod si (a) per furiosum illum tribunum senatui, quod sentiebat, perficere licuisset, novam quæstionem nunc nullam haberemus. Decernebat enim, ut veteribus legibus tantummodo extra ordinem quæreretur. Divisa sententia est, postulante nescio quo (2). Nihil enim necesse est omnium flagitia proferre. Sic reliqua auctoritas senatus empta intercessione sublata est (3).

* Vulg. *ulla*.

(1) *Crimen judicio reservavi, rem notavi*) A quocumque tandem vis illata fuisset, & insidiæ comparatæ, *crimen judicio reservavi*, nec definivi cujus scelere id contigisset, Milonisne an Clodii, ratus illud crimen in judicio discutiendum esse accuratius: sed rem ipsam, quæ vim & insidias continebat, notavi atque damnavi. *Abram.*

(2) *Divisa sententia est postulante nescio quo.*) Cum aliquis in dicenda sententia duas pluresve res complectitur, eæ si non omnes probantur, postulatur, ut dividat, id est, ut de rebus singulis referatur. Non est ei, qui hoc postulat, oratione longa utendum, ac ne consurgendum quidem utique est: multi enim sedentes hoc unum verbum pronuntiant, *divide*: quod cum auditum est, liberum ei, qui facit orationem, dividere. *Idem.*

(3) *Reliqua auctoritas senatus empta intercessione sublata est*) Illa pars, quæ veteribus legibus quæri jubebat sublata est intercessione Sallustii & Planci, qui mercede corrupti tribunatum suum Clodianis addixerant. *Abram.* al. *inepta intercessione.*

A N A L Y S I S.

(a) *Quod si*) Quarto refert, quo modo alterum S. C. factum fuerit, ex quo apparet consilium Patrum non fuisse constituendæ novæ quæstionis.

At enim (*a*) Cn. Pompejus (1) rogatione sua, & de re, & de causa judicavit. Tulit enim de cæde, quæ in Appia via facta esset, in qua P. Clodius occisus fuit. Quid ergo tulit? nempe ut quæreretur. Quid porro quærendum est? Factumne sit? at constat. A quo? at patet (2). Vidit, etiam in confessione facti, juris tamen defensionem suscipi posse. Quod nisi vidisset, posse absolvi eum, qui fateretur, cum videret nos fateri, neque quæri unquam jussisset, nec vobis tam salutarem (3) hanc in judicando literam, quam illam tristem, dedisset. Mihi vero Cn. Pompejus non modo nihil gravius contra Milonem judicasse, sed etiam statuisse videtur, quid vos in judicando spectare oporteret. Nam qui non pœnam confessioni, sed defensionem dedit, is causam interitus quærendam, non interitum putavit. Jam illud (*b*) dicet ipse (1)

(1) *At enim Cn. Pompejus*) Adversariorum objectio. Esto: Senatus de re tantummodo judicarit, censueritque Clodii cædem, cujuscunque tandem scelere contigisset, esse contra rempublicam. At Cn. Pompejus, non solum de re, sed etiam de causa judicavit. *Abram.* id est Milonem cædis auctorem pœna dignum judicavit.

(2) *Patet*) *Paret* proprium est in hac re verbum, pro liquet, patet. Vide Brissonii formularum lib. V. *Grævius.*

(3) *Salutarem*) A. quæ absolvit. *Tristem*, C. quæ condemnat. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *At enim*) Tertium *præjudicium*, quasi Cn. Pompejus ipse Milonem condemnaverit, nova in eum lege lata, in gratiam Clodii; Cicero negat damnatum a Pompejo Milonem, & argumento utitur *a Repugnantibus*:

Qui in confitentem reum quæstionem constituit, eum non condemnat, sed judicat posse absolvi;

Pompejus quæstionem constituit in Milonem cædem Clodii confitentem:

Ergo eum non condemnavit, sed absolvi posse judicavit.

Si enim factum condemnasset, Miloni factum confitenti Judices non dedisset; adeoque non de facto, sed de jure quæri voluit, uter utri fecisset insidias.

(b) *Jam illud*) Deinde probat novam illam quæstionem constitutam fuisse a Pompejo non in gratiam Clodii, sed temporis; sic igitur *ab Adjunctis*:

Con-

(1) profecto, quod sua sponte fecit, Publione Clodio tribuendum putarit, an tempori.

VII. Domi suæ (*a*) nobilissimus vir, senatus propugnator, atque illis quidem temporibus pene patronus, avunculus hujus nostri judicis, fortissimi viri, M. Catonis, tribunus plebis M. Drusus occisus est. Nihil de ejus morte populus consultus, nulla quæstio decreta a senatu est. Quantum luctum in hac urbe fuisse a nostris patribus accepimus, cum P. Africano domi suæ quiescenti illa nocturna vis esset illata? quis tum non gemuit, quis non arsit dolore? quem immortalem, si fieri posset, omnes esse cuperent, ejus ne necessariam quidem expectatam esse mortem? Num igitur ulla quæstio de Africani morte lata est? Certe nulla. Quid ita? (*b*) quia non alio facinore clari homines, alio obscuri necantur. Intersit inter vitæ dignitatem summorum, atque infimorum: mors quidem illata per scelus iisdem & pœnis teneatur

(1) *Jam illud dicet ipse*) Miro artificio dum ostendere nititur, causæ nihil fuisse, cur de cæde Clodii novam institueret quæstionem Pompejus, ipsius conscientiam testatur, & ipsius factum excusat. Jam illud dicet ipse Pompejus profecto, utrum hanc quæstionem, quam sua sponte nulla Senatus auctoritate compulsus decrevit, ideo decreverit quod cædem Clodii damnaret, an potius quod tempori putaret esse serviendum, & placandos hac quæstionis institutione plebis animos, qui in seditionem exarserant. *Abram*.

ANALYSIS.

Constituenda erat in gratiam Clodii nova quæstio, vel quia nobilis, vel quia in monumentis majorum suorum interfectus est;
Sed neutram ob causam nova quæstio constitui debuit;
Ergo nova hæc quæstio non fuit constituta in gratiam Clodii.

(*a*) *Domi suæ*) *Assumptionis* primam partem confirmat *a Comparatione majorum*:

Neque pro Druso, neque pro Africano, neque pro Pompejo, neque pro me ipso constituta est nova quæstio;
Ergo multo minus pro Clodio homine nobili, sed scelerato.

(*b*) *Quid ita?*) Idem comprobat ratione, & illustrat *a Pari*; sicut enim æque parricida est, qui Patrem Consularem interficit, ac qui humilem, ita æque homicida, qui nobilem, & qui abjectum hominem occidit.

& legibus. Nisi forte magis erit parricida, si quis consularem patrem, quam si quis humilem necaverit: aut eo mors (*a*) atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis majorum suorum sit interfectus. Hoc enim sæpe ab istis dicitur. Perinde quasi Appius ille Cæcus viam munierit, non qua populus uteretur, sed ubi impune sui posteri latrocinarentur.

Itaque in eadem ista Appia via, cum ornatissimum equitem Romanum P. Clodius * M. Papirium occidisset, non fuit illud facinus puniendum. Homo enim nobilis in suis monumentis equitem Romanum occiderat: Nunc ejusdem Appiæ nomen quantas tragœdias excitat? Quæ cruentata antea cæde honesti atque innocentis viri silebatur, eadem nunc crebro usurpatur, posteaquam latronis & parricidæ sanguine imbuta est.

Sed quid ego (*b*) illa commemoro? comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompejum interficiendum collocarat. Extorta est confitenti sica de manibus. Caruit foro postea Pompejus, caruit senatu, caruit publico: Janua se ac parietibus, non jure legum judiciorumque texit. Num quæ rogatio lata? num quæ nova quæstio decreta est? Atqui, si res, si vir, si tempus ullum dignum fuit, certe hæc in illa:

* In vulg. deest *P. Clodius*.

ANALYSIS.

(a) *Aut eo mors*) Inter Exempla Africani, & Pompeji interserit approbationem secundæ partis *Assumptionis*, quæ sic se habet *a Pari*.

Æque atrox est in monumentis majorum suorum peccare, & puniri;

Sed scelera admissa a Clodio in Appia via non ideo atrociora fuerunt;

Ergo neque ejus mors atrocior habenda est, quod in Appia via sit interfectus.

(b) *Sed quid ego*) Pompeji exemplum amplificat *ab Adjunctis*, ostenditque non ideo minori pœna dignum fuisse Clodium, quod scelus non perfecerit; deinde quoties etiam sibi intentata mors fuerit, commemorat.

illa causa summa omnia fuerunt. Insidiator erat in foro collocatus, atque in vestibulo ipso senatus: ei viro autem mors parabatur, cujus in vita nitebatur salus civitatis: eo porro reipublicæ tempore, quo si unus ille occidisset, non hæc solum civitas, sed gentes omnes concidissent. Nisi forte, quia perfecta res non est, non fuit punienda: perinde quasi exitus rerum, non hominum consilia legibus vindicentur. Minus dolendum fuit re non perfecta, sed puniendum certe nihilo minus. Quoties ipse, Judices, ex P. Clodii telis, & ex cruentis ejus manibus effugi? ex quibus si me non mea, vel reipublicæ fortuna servasset, quis tandem de interitu meo quæstionem tulisset?

VIII. Sed stulti sumus (*a*), qui Drusum, qui Africanum, Pompejum, nosmetipsos, cum P. Clodio conferre audeamus. Tolerabilia fuerunt illa: P. Clodii mortem æquo animo nemo ferre potest. Luget senatus: mœret equester ordo: tota civitas confecta senio est: squalent municipia: afflictantur coloniæ; agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant. Non fuit (*b*) ea causa, Judices, profecto non fuit, cur sibi censeret Pompejus quæstionem ferendam: sed homo sapiens, & alta, & divina * quadam mente præditus, multa vidit; fuisse sibi illum inimicum, familiarem Milonem. In communi omnium lætitia si etiam ipse gauderet, timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatæ gratiæ (1). Multa etiam alia vidit, sed illud maxime, quamvis atrociter

* In Vulg. deest *& divina*.

(1) *Reconciliatæ gratiæ*) Occasionem reconciliatæ gratiæ tradit Dio lib. 39.

ANALYSIS.

(a) *Sed stulti sumus*) Alterum membrum approbationis primæ partis sumptæ *a Comparatione majorum*, quod ingeniose tractatur *per Ironiam*.

(b) *Non fuit*) *Complexio* primi Syllogismi, cui annectit causas, propter quas tempori tribuendum putaverit Pompejus, ut nova quæstio constitueretur.

ipse tulisset, vos tamen fortiter judicaturos. Itaque delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina: neque vero (a), quod nonnulli dictitant, secrevit in judicibus legendis amicos meos. Neque enim hoc cogitavit vir justissimus, neque in bonis viris legendis id assequi potuisset, etiamsi cupiisset. Non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quæ late patere non possunt, propterea quod consuetudines victus non possunt esse cum multis: sed, si quid possumus, ex eo possumus, quod respublica nos conjunxit cum bonis*. Ex quibus ille cum optimos viros legeret, idque maxime ad fidem suam pertinere arbitraretur, non potuit legere non studiosos mei.

Quod vero te, L. Domiti, huic quæstioni præesse maxime voluit, nihil quæsivit aliud, nisi justitiam, gravitatem, humanitatem, fidem. Tulit, ut consularem necesse esset (1): credo, quod principum munus esse ducebat, resistere & levitati multitudinis, & perditorum temeritati. Ex consularibus te creavit potissimum. Dederas enim, quam contemneres populares insanias, jam ab adolescentia documenta maxima (2).

IX.

* Vulg. *cum multis*.

(1) *Ut consularem necesse esset*) Erat in lege Pompeja, ut quæsitorem ejus causæ populus crearet, quem vellet, ex Consularibus. *Ferratius*.

(2) *Dederas enim, quam contemneres populares insanias, jam ab adolescentia documenta maxima*) Constantiam L. Domitii, quam in prætura præstitit, significat. Nam eo tempore, cum Cn.

ANALYSIS.

(a) *Neque vero*) Hinc & illud diluit, in judicibus eligendis omissos a Pompejo Ciceronis amicos, quod falsum esse tali ratione contendit, *ab Adjunctis:*

Qui viros bonos legit, non potuit omittere illius amicos, qui omnibus bonis amicus est;

Sed Pompejus bonos viros Judices legit, & mihi omnes boni amici sunt;

Ergo in Judicibus eligendis non potuit omittere meos amicos.

Assumptionem habes cum *Complexione*; laudes etiam L. Domitii, qui præerat quæstioni, ad conciliandam *benevolentiam*; ex Arist. L. 2. c. 4. t. 29.

IX. Quamobrem (a), Judices, ut aliquando ad causam crimenque veniamus, si neque omnis confessio facti est inusitata, neque de causa quidquam nostra aliter, ac nos vellemus, a senatu judicatum est, & lator ipse legis, cum esset controversia nulla facti, juris tamen disceptationem esse voluit, & electi judices, & isti præpositus quæstioni, qui hæc juste sapienterque disceptet, reliquum est, Judices, ut nihil jam aliud quærere debeatis, nisi uter utri insidias fecerit. Quod quo facilius argumentis perspicere possitis, rem gestam vobis dum breviter expono, quæso diligenter attendite.

NARRATIO.

P. Clodius (b) cum statuisset omni scelere in prætura vexare rempublicam, videretque ita tracta esse comitia (x) anno superiore, ut non multos menses præturam gerere posset; qui non honoris gradum spectaret, ut cæteri, sed & L. Paulum collegam effugere vellet, singulari virtute civem, & annum integrum ad dilacerandam rempublicam quæreret, subito reliquit annum suum, seque in annum proximum transtulit, non religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad præturam

Cn. Manlius tribunus pl. subnixus libertinorum & servorum manu, perditissimam legem ferret, ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset, idque per tumultum ageret, & clivum Capitolinum obsideret, discusserat, perruperatque cœtum Domitius, ita ut multi Manlianorum interficerentur. Quo facto & plebem infimam offenderat, & senatus magnam gratiam inierat. *Ascon.*

(x) *Ita tracta esse comitia*) De die in diem dilata, adeo ut Consules Domitius Calvinus, & Valerius Messala septimo mense vix tandem inierint Consulatum: quod etiam in comitiis Prætoriis videtur contigisse: ut quinque menses ad summum gesserint præturam. Vide Dionem lib. XL. *Abram.*

ANALYSIS.

(a) *Quamobrem*) Totius *Confutationis* conclusio, & brevis *Epilogus*.

(b) *P. Clodius*) Narrat, quo consilio, & qua occasione insidias Miloni struxerit Clodius; describit utriusque apparatum, & pugnam.

gerendam, hoc est, ad evertendam rempublicam, plenum annum atque integrum.

Occurrebat (1), mancam ac debilem præturam suam futuram, consule Milone: eum porro summo consensu populi Romani consulem fieri videbat. Contulit se ad ejus competitores: sed ita, totam ut petitionem ipse solus, etiam invitis illis, gubernaret; tota ut comitia suis, ut dictitabat, humeris sustineret. Convocabat tribus: se interponebat: Collinam novam (2), delectu * perditissimorum civium, conscribebat. Quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies convalescebat. Ubi vidit homo, ad omne facinus paratissimus, fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum consulem, idque intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragiis populi Romani sæpe esse declaratum; palam agere cœpit, & aperte dicere, occidendum Milonem. Servos agrestes & barbaros, quibus silvas publicas depopulatus erat, Etruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis. Res erat minime obscura. Etenim palam dictitabat, consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse. Significavit hoc sæpe in senatu, dixit in concione. Quin etiam Favonio, fortissimo viro, quærenti ex eo, qua spe fureret, Milone vivo, respondit, triduo illum, ad summum quatriduo periturum. Quam vocem ejus ad hunc M. Catonem statim Favonius detulit.

X. Interim cum sciret Clodius (neque enim erat

* Vulg. *delectum perditissimorum scribebat civium*.

(1) *Occurrebat*) Erfurtensis optime hic addit *ei*, quod vix sine sensus detrimento potest abesse. *Græv.*

(2) *Collinam novam*) Horum verborum sententia aperta est: hoc enim significat, Clodium delectu civium perditissimorum habito, eos in certum numerum redegisse, ut nova tribus *Collina* (quam unam ex quatuor urbanis fuisse nemo est qui nesciat) efficeretur. Itaque nihil necesse est comminisci Coloniam, quam Clodius, si prætor factus esset, deducturus fuerit. *Fabricius.*

erat difficile scire) iter solemne, legitimum, necessarium, ante diem XIII. Kalendas Feb. Miloni esse Lanuvium ad flaminem (1) prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo; Roma subito ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum (quod re intellectum est) Miloni insidias collocaret. Atque ita profectus est, ut concionem turbulentam, in qua ejus furor desideratus est, quæ illo ipso die habita est, relinqueret: quam, nisi obire facinoris locum tempusque voluisset, nunquam reliquisset.

Milo autem, cum in senatu fuisset eo die, quoad senatus dimissus est, domum venit: calceos & vestimenta mutavit: paulisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est: deinde profectus est id temporis, cum jam Clodius, si quidem eo die Romam venturus erat, redire potuisset. Obviam fit ei Clodius expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus (2), ut solebat, sine uxore (3), quod nunquam fere; cum hic insidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda, penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri & delicato ancillarum puerorumque comitatu.

Fit obviam Clodio ante fundum ejus hora fere undecima, aut non multo secus. Statim complures

cum

(1) *Ad flaminem*) Junonis Sospitæ. *Prodendum*: Renuntiandum, vel creandum. *Abramus*.

(2) *Nullis Græcis comitibus*) Romani proceres in familia sua studiorum causa Græcos fovebant, Rhetores, Grammaticos, Medicos, Philosophos, Poetas, ut Lucullus Archiam poetam suæ cohorti adscripserat. Vide orat. pro Archia, c. 3. Sic ille Græcus in Pisonis amicitiam receptus, quem describit elegantissime in Orat. in Pisonem, cap. 28. Vide de Græcis comitibus Augusti Sueton. in ejus vita cap. 56, & Tiberii in ejus vita cap. 56. Vide quoque Juvenalem Græculos hos lepide describentem, qui Romam veniebant, & omnes artes jactabant, Sat. III. v. 69. & seqq. *Græv.*

(3) *Sine uxore*) Fulvia, quæ deinde nupsit Antonio: &, ut refert Dio lib. 47. allatum Ciceronis demortui caput consputavit, linguam extraxit, acu crinali perforavit, antequam in Rostris poneretur. *Abr.*

cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum: adversi (1) rhedarium occidunt. Cum autem hic de rheda, rejecta penula, desiluisset, seque acri animo defenderet, illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adorirentur, partim, quod hunc jam interfectum putarent, cædere incipiunt ejus servos, qui post erant: ex quibus, qui animo fideli in dominum & præsenti * fuerunt, partim occisi sunt, partim, cum ad rhedam pugnari viderent, & domino succurrere prohiberentur, Milonemque occisum etiam ex ipso Clodio audirent, & ita esse putarent; fecerunt id servi Milonis, (dicam enim non derivandi criminis causa, sed ut factum est) neque imperante, neque sciente, neque præsente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.

CONTENTIO.

XI. Hæc sicut (*a*) exposui, ita gesta sunt, Judices: insidiator superatus, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est. Nihil dico, quid respublica consecuta sit; nihil quid vos; nihil quid omnes boni: nihil sane id prosit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem servare potuerit, quin una rempublicam vosque servaret. Si id jure non posset, nihil habeo quod defendam: sin hoc (*b*) & ratio doctis, & necessitas barbaris, &

* Vulg. *ex quibus qui animo fideli in dominum erant, & præsentes fuerunt*.

(1) *Adversi*) Qui ante rhedam occurrunt: nam cæteri cum ipso Clodio a tergo erant, ut infra narrat. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *Hæc sicut*) *Narratione* absoluta, attingit id, quod alio loco pertractat, Clodii mortem utilem fuisse Reip., per figuram *Præteritionem*; deinde vero in causam ingreditur hoc universali Syllogismo, ex quo tota fere defensio dependet:

Insidiator jure interfici potest;
Sed Clodius Miloni struxit insidias;
Ergo jure Milo Clodium interfecit.

(b) *Sin hoc*) *Propositio*, cujus approbatio sumpta ex iis, quæ supra dicta sunt, habet annexam *Causæ* constitutionem.

& mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent; non potestis hoc facinus improbum judicare, quin simul judicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut vestris sententiis esse pereundum.

Quod si ita putasset, certe optabilius Miloni fuit dare jugulum P. Clodio, non semel ab illo, neque tum primum petitum, quam jugulari a vobis, quia se illi non jugulandum tradidisset. Sin hoc nemo vestrum ita sentit; illud jam in judicium venit, non occisusne sit, quod fatemur; sed jure, an injuria, quod multis in causis sæpe quæsitum est. Insidias factas esse constat; & id est, quod senatus contra rempublicam factum judicavit: ab utro factæ sint, incertum est. De hoc igitur latum est ut quæreretur. Ita & senatus rem, non hominem notavit: & Pompejus de jure, non de facto, quæstionem tulit.

XII. Num quid igitur aliud in judicium venit, nisi uter utri insidias fecerit? profecto nihil. Si hic illi, ut ne sit impune: si ille huic, tum nos scelere solvamur. Quonam igitur (*a*) pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum *Cui bono fuerit*, in his personis

ANALYSIS.

(a) *Quoniam igitur*) *Assumptio*, quam multis argumentis confirmat, fere *ab Adjunctis*, quorum primum a proposita utilitate est hujusmodi:

Ille insidias fecit, cui mors inimici utilis erat;
Sed mors Milonis utilis erat Clodio, non autem mors Clodii Miloni:
Ergo Clodius fecit insidias Miloni, non Milo Clodio.

Propositio sumitur ab auctoritate Cassii severissimi Judicis; Phil. 2.

sonis valeat (1). Etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi sæpe parvo. Atqui (a), Milone interfecto, Clodius hoc assequebatur, non modo ut prætor esset non eo consule, quo sceleris nihil facere posset: sed etiam ut iis consulibus prætor esset, quibus si non adjuvantibus, at conniventibus certe, sperasset se posse rempublicam eludere in illis suis cogitatis furoribus: cujus illi conatus, ut ipse ratiocinabatur, nec, si possent, reprimere cuperent, cum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur: &, si vellent, fortasse vix possent frangere hominis sceleratissimi corroboratam jam vetustate audaciam.

An vero, Judices, vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini, vestræ peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur, quas ille leges (si leges nominandæ sunt, ac non faces urbis, & pestes reipublicæ) fuerit impositurus nobis omnibus atque inusturus? Exhibe, quæso, Sexte Clodi, exhibe librarium * illud legum vestra-

* Lamb. *libellarium*.

(1) *Itaque illud Cassianum*, Cui bono fuerit, *in his personis valeat*.) L. Cassius fuit, sicut jam sæpe diximus, summæ vir severitatis. Quoties quæsitor judicii alicujus esset, in quo quæreretur de homine occiso, suadebat, atque etiam præibat judicibus, (hoc quod Cicero nunc admonet) ut quæreretur, cui bono fuisset perire eum, de cujus morte quæreretur. Ob quam severitatem, quo tempore Sex. Peduceus tribunus pl. criminatus est, L. Metellum pont. max. totumque collegium pontificum male judicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Æmiliam damnaverat, absolverat autem duas, Marciam & Liciniam, populus hunc Cassium creavit, qui de eisdem Virginibus quæreret: isque & utrasque eas, & præterea complures alias, nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus, damnavit. *Asconius*. Non, ut vulgo in ore est omnibus, id significat, *ad quem usum?* Sed, cui homini res fuerit bono, seu emolumento? *J. Gronov.* Observ. lib. IV. cap. 9.

ANALYSIS.

(a) *Atqui*) *Assumptionis* primam partem probat, quia Milone interfecto Clodius sperabat, se tuto in Prætura, quæ cogitaret, facturum, quem vivum, atque adeo Consulem, in omnibus adversarium habuisset; & per *Digressionem* in Sex. Clodium invehitur, librarium Publii, & ejusdem sepulturæ auctorem.

vestrarum, quod te ajunt eripuisse e domo, & ex mediis armis turbaque nocturna, tanquam Palladium sustulisse *, ut præclarum inde munus, ac instrumentum tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre posses. Et adspexit me illis **. quidem oculis, quibus tum solebat, cum omnia omnibus minabatur. Movet me quippe lumen curiæ (1).

XIII. Quid? tu me iratum, Sexte, putas tibi, cujus tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es (2), quam erat humanitatis meæ postulare? Tu P. Clodii cruentum cadaver ejecisti domo, tu in publicum ejecisti, tu spoliatum imaginibus, exequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. Quam rem (3) etsi necessario fecisti, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam, laudare non possum, irasci certe non debeo.

P. Clodii præturam non sine maximo rerum novarum metu proponi ***, & solutam fore videbatis, nisi esset is consul, qui eam auderet, possetque constringere. Eum Milonem esse cum sentiret universus populus Romanus, quis dubitaret suffragio suo,

* Græv. *extulisse, ut præclarum videlicet munus.*

** Vulg. *me quidem illis.* *** Vulg. *rerum novarum motu proponi solitam esse videbatis; nisi . . . . . possetque constringere.*

(1) *Et adspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, cum omnibus omnia minabatur. Movet me quippe lumen curiæ.*) Hic est Sex Clodius, quem in argumento hujus orationis diximus corpus Clodii in Curiam attulisse, & ibi cremasse, eoque incenso curiam conflagrasse. Ideo lumen curiæ dicit. *Asconius.* Jocus in ambiguo. Innuit enim Curiæ incendium, cum Sext. Clodium clarissimum Senatorem vocare videatur. *Abram.*

(2) *Punitus es*) Pro, punivisti, figurate: ut *fabricatus est gladium*, pro *fabricavit.* Quod utrumque Quintilianus, lib. IX. cap. 3. ad verborum figuras refert. *Manut.*

(3) *Quam rem*) Alii legunt, *quare etsi nefarie fecisti.* Et sane vix apparet quæ necessitas incubuerit id faciendi nisi forte dicamus Sextum populi tumultuantis insania compulsum fuisse, ut & cadaver ejiceret, & Curiam incenderet. Vel sensus erit, *quam rem etsi P. Clodio, qui tibi erat necessarius, fecisti.* Abram.

suo, se metu, periculo rempublicam liberare? At nunc (*a*) P. Clodio remoto (1), usitatis jam rebus enitendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam. Singularis illa huic uni concessa gloria, quæ quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, jam morte Clodii cecidit. Vos adepti estis, ne quem civem metueretis: hic exercitationem virtutis, suffragationem consulatus, fontem perennem gloriæ suæ perdidit. Itaque Milonis consulatus, qui, vivo Clodio, labefactari non poterat, mortuo denique tentari cœptus est. Non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodii mors Miloni.

At valuit (*b*) odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor injuriæ, punitor doloris sui. Quid, si hæc, non dico majora fuerunt in Clodio, quam in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius? Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suæ gloriæ, præter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus? ille erat ut * odisset, primum defensorem salutis meæ; deinde vexatorem furoris, domitorem armorum suorum; postremo etiam accusatorem suum. Reus enim Milonis, lege Plotia, fuit Clodius, quoad vixit. Quo tandem animo hoc tyrannum tulisse creditis? quantum odium illius, & in homine injusto quam etiam justum?

XIV.

* Al. *Ille erat qui odisset*. Al. *ille sic aderat, ut*.

(1) *At nunc, P. Clodio remoto*) Quasi dicat: vivo Clodio singularem, & aliis inusitatam Milo rationem habebat tuendæ dignitatis suæ, at nunc, P. Clodio remoto, usitatis jam rebus, & communi via obnitendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam. *Abram*. Vulg. leg. *At non P. Clodio mortuo*. h. e. Hactenus usitatum Miloni fuit frangere furores Clodii, & ita dignitatem sibi majorem in dies comparare; nunc vero post mortem Clodii aliam viam sibique hactenus inusitatam tenere debet, ut suam dignitatem communi saltem ratione tueatur.

ANALYSIS.

(a) *At nunc*) Secunda pars de Milone; statim enim perdidit Consulatum, & mortuo Clodio non habet, unde possit de Rep. bene mereri.

(b) *At valuit*) 2. Pariter arguit, ut supra, *a Causa finali*:

Ille

XIV. Reliquum est (a), ut jam illum natura ipsius consuetudoque defendat, hunc autem hæc eadem coarguant: nihil per vim unquam Clodius, omnia per vim Milo. Quid ergo (b), Judices? cum mœrentibus vobis urbe cessi, judiciumne timui? non servos, non arma, non * vim? Quæ fuisset igitur causa restituendi mei, nisi ei fuisset injusta ejiciendi? Diem mihi, credo, dixerat, multam irrogarat, actionem perduellionis intenderat. Et mihi, Judices, in causa aut vestra mala, aut mea nec præclarissima (1), etiam judicium timendum fuit. Servorum, & egentium civium, & facinorosorum armis meos cives, meis consiliis periculisque servatos, pro me objici nolui.

Vidi enim, vidi hunc ipsum Q. Hortensium, lumen & ornamentum reipublicæ, pene interfici servorum manu, cum mihi adesset: qua in turba C. Vibienus senator, vir optimus, cum hoc cum esset una, ita est mulcatus, ut vitam amiserit. Itaque quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? Hæc intentata nobis est: huic ego vos objici pro me non sum passus: hæc

* Vulg. *urbe cessi, non servos, non arma, non vim intentavit?*

(1) *Aut vestra mala, aut mea nec præclarissima*) Alii aliter legunt. Ferratius delet *nec*, & sic interpretatur: „ Causa de Conjuratis *interfectis* videbatur mala, sed erat causa senatus, qui eos puniri voluerat. De Conjuratis *deprehensis*, præclarissima erat, & mea, qui deprehenderam. Neutra in causa erat, quod timerem. Potest tamen, ni fallor, servari *nec*. Hoc enim totum ironice dictum. *Olivetus*.

ANALYSIS.

Ille struxit insidias, qui oderat inimicum;
Sed Clodius maxime oderat Milonem, non autem Milo Clodium;
Ergo Clodius Miloni, non Milo Clodio fecit insidias,
Manifesta est *Assumptionis* approbatio *a Causis efficientibus*.
(a) *Reliquum est*) 3. *Ab adjunctis* personæ hoc modo:
Ille fecit insidias, qui omnia per vim facere consuevit;
Omnia per vim fecit Clodius, nihil Milo;
Ergo Clodius Miloni fecit insidias.
(b) *Quid ergo*) *Assumptionis* prima pars approbata de P. Clodio.

hæc insidiata Pompejo est (1): hæc istam Appiam viam, monumentum sui nominis, nece Papirii cruentavit (2): hæc, hæc eadem longo intervallo conversa rursus est in me: nuper quidem, ut scitis, me ad Regiam pene confecit (3). Quid

(1) *Hæc insidiata Pompejo est.*) Quare dicat, *Insidiata Pompejo est*, fortassis quæratis: Pisone & Gabinio Coss. pulso Cicerone in exilium, cum III. Idus Sext. Pompejus in senatum venit, dicitur servo P. Clodii sicam excidisse, eaque ad Gabinium consulem delata, dictum est, servo imperatum a P. Clodio, ut Pompejus occideretur. Pompejus statim domum rediit: ex eo * domi tenus obsessus est etiam a libero Clodii Damione, ut ex actis ejus temporis cognovi: in quibus xv. Kal. Sept. L. Novius tribunus pl. collega Clodii, cum Damio adversum Flavium prætorem appellaret tribunos, & tribuni de appellatione cognoscerent, ita sententiam dixit: Et hoc apparitore Publii Clodii vulneratus sum: & hominibus armatis præsidiis dispositis a republica remotus sum. Cneus Pompejus obsessus est. Cum appeller, non utar ejus exemplo quem vitupero: & judicium tollam, & reliqua de intercessione. *Asconius*.

* *Domi tenus*) Fortasse, *domitenus*. Quid enim hoc est sic disjunctum? At *domitenus* est is, qui se domi vel domo tenet, qui domum tenet & servat. Vox composita, ut *domiducus*, *domiporta*, *domiseda*, &c. Vide Basilii Fabri Thesaurum, verbo *Domus*. Olivetus.

(2) *Hæc istam Appiam viam, monumentum nominis sui, nece Papirii cruentavit*) Pompejus post triumphum Mitridaticum, Tigranis filium in catenis deposuerat apud Flavium senatorem: qui postea cum esset prætor eodem anno, quo tribunus pl. Clodius, petiit ab eo Clodius super cœnam, ut Tigranem adduci juberet, ut eum videret. Adductum collocavit in convivium. dein Flavio non reddidit. Tigranem dimisit, & habuit extra catenas, nec repetenti Pompejo reddidit: postea in navem deposuit: & cum profugeret, ille tempestate delatus est Antium. Illico, ut deduceretur ad se, Clodius Sex. Clodium, de quo supra dixi, misit, qui eum reduceret. Flavius quoque re cognita ad diripiendum Tigranem profectus est. Ad quartum lapidem ab urbe pugna facta est: in qua multi ex utraque parte ceciderunt; plures tamen ex Flavii, inter quos & M. Papirius eques Romanus publicanus, familiaris Pompejo. Flavius sine comite Romam vix perfugit. *Asc.*

(3) *Hæc eadem longo intervallo conversa rursus est in me. Nuper quidem, ut scitis, me ad Regiam pene confecit*) Quo die periculum hoc adierit, ut Clodius eum ad Regiam pene confecerit, nusquam plane inveni. Non tamen adducor, ut putem Ciceronem mentitum, præsertim cum adjiciat, *ut scitis*. Sed videtur mihi loqui de eo die, quo consulibus Domitio, & Messala, qui præcesserant eum annum, cum hæc oratio dicta est, inter candidatorum Hypsæi & Milonis manus in via Sacra pugnatum est, mul-

Quid simile (*a*) Milonis? cujus vis omnis hæc semper fuit, ne P. Clodius, cum in judicium detrahi non posset, vi oppressam civitatem teneret. Quem si interficere voluisset, quantæ, quoties occasiones, quam præclaræ fuerunt? Potuitne, cum domum ac deos penates suos, illo oppugnante, defenderet, jure se ulcisci? Potuitne, cive egregio & viro fortissimo, P. Sextio, collega suo, vulnerato? Potuitne, Q. Fabricio, viro optimo, cum de reditu meo legem ferret, pulso, crudelissima in foro cæde facta? Potuitne, L. Cæcilii, justissimi fortissimique prætoris, oppugnata domo (1)? Potuitne illo die, cum est lata lex de me? cum totius Italiæ concursus, quem mea salus concitarat, facti illius gloriam libens agnovisset, ut, etiam si id Milo fecisset, cuncta civitas eam laudem pro sua vindicaret?

XV. Atqui erat id temporis clarissimus & fortissimus consul, inimicus Clodio, P. Lentulus, ultor sceleris illius, propugnator senatus, defensor

multique ex Milonis ex improviso ceciderunt. De cujus diei cæde & periculo suo ut putem loqui eum, facit & locus pugnæ; nam in Sacra via traditur commissa, in qua est Regia; & quod affuerunt cum candidatis suffragatores, Milonis Cicero, Hypsæi Clodius. *Idem*.

(1) *Potuitne, L. Cæcilii, justissimi fortissimique prætoris, oppugnata domo?*) L. Cæcilius Rufus, de quo dicitur, prætor fuit P. Lentulo Spinthere, Q. Metello nepote Coss. quo anno Cicero restitutus est. Is cum faceret ludos Apollinares, ita infima concitata multitudo annonæ caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi causa consederant, pellerentur. De oppugnata domo nusquam adhuc legi. Pompejus tamen, cum defenderet Milonem apud populum, de vi accusante Clodio, obstitit. Et legimus apud Tironem libertum Ciceronis in libro quarto de vita ejus, oppressum a Clodio L. Cæcilium prætorem. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Quid simile*) Secunda pars de Milone; & fuse probat, sæpe Clodium interfici potuisse, si Milo voluisset; concludit autem *per Comparationem* dissimilium:

Noluit Milo interficere Clodium, cum tuto potuit, & impune; Ergo multo minus voluit eum interficere cum periculo suæ dignitatis, & vitæ.

vestræ voluntatis, patronus illius publici consensus, restitutor salutis meæ: septem prætores, octo tribuni plebis, illius adversarii, defensores mei: Cn. Pompejus auctor & dux mei reditus, illius hostis: cujus sententiam senatus omnis de salute mea gravissimam & ornatissimam secutus est: qui populum Romanum cohortatus est: qui, cum de me decretum Capuæ fecit *, ipse cunctæ Italiæ cupienti, & ejus fidem imploranti signum dedit, ut ad me restituendum Romam concurrerent. Omnia tum denique in illum odia civium ardebant desiderio mei; quem qui tum interemisset, non de impunitate ejus, se de præmiis cogitaretur.

Tamen se Milo continuit, & P. Clodium ad judicium bis, ad vim nunquam vocavit. Quid? privato Milone, & reo ad populum, accusante P. Clodio, cum in Cn. Pompejum pro Milone dicentem (1) impetus factus est, quæ tum non modo occasio, sed etiam causa illius opprimendi fuit? Nuper vero cum M. Antonius (2) summam spem salutis bonis omnibus attulisset, gravissimamque adolescens nobilissimus reipublicæ partem fortissime suscepisset, atque illam belluam, judicii laqueos declinantem, jam irretitam teneret; qui locus, quod tempus illud, dii immortales, fuit? cum se ille fugiens in scalarum tenebras abdidisset, magnum Miloni fuit conficere illam pestem nulla sua invidia, Antonii vero maxima gloria? Quid? comitiis in campo quoties potestas fuit? cum ille vi in

* Vulg. *fecisset*.

(1) *Pompejum pro Milone dicentem*) Vide Epist. ad Q. Fratrem, II. 3. & Fam. I. 5.

(2) *Cum M. Antonius*) Difficile est expedire quam M. Antonius reipublicæ partem susceperit: nisi si fortasse Clodio, *cum Coloniam*, vel, ut alii malunt, *Collinam novam*, *delectum perditissimorum scriberet civium*, ut dictum est initio narrationis, ei se opposuit M. Antonius, cumque jure & legibus huic delectum impedire non posset, ferro conatus est occidere. Vide Philipp. II. 9. *Abram*.

in septa (1) irruisset, gladios destringendos, lapides jaciendos curasset, deinde subito, vultu Milonis perterritus, fugeret ad Tiberim, vos & omnes boni vota faceretis, ut Miloni uti virtute sua liberet?

XVI. Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus, hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere? Præsertim, Judices, cum honoris amplissimi contentio, & dies comitiorum subesset: quo quidem tempore (scio enim, quam timida sit ambitio, quantaque & quam sollicita cupiditas consulatus) omnia non modo, quæ reprehendi palam, sed etiam quæ obscure cogitari possunt, timemus: rumorem, fabulam falsam *, fictam, levem perhorrescimus, ora omnium, atque oculos intuemur. Nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos sensusque civium: qui non modo improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam in recte factis sæpe fastidiunt.

Hunc diem igitur campi speratum atque exoptatum sibi proponens Milo, cruentis manibus scelus & facinus præ se ferens, & confitens, ad illa augusta centuriarum auspicia veniebat? quam hoc non credibile in hoc? quam idem in Clodio non dubitandum, quin ** se ille, interfecto Milone, regnaturum putaret? Quid? quod (*a*) caput audaciæ est, Judices, quis ignorat, maximam illecebram esse

 pec-

* Vulg. *fabulam fictam, falsam perhorrescimus*.
** Vulg. *qui se interfecto*.
(1) *Septa*) In comitiis repagula quædam erant tum in campo, tum in foro, quibus multitudo arcebatur. Suffragium autem laturi intromittebantur. *Hotom.*

A N A L Y S I S.

(a) *Quid? quod*) Hoc addit, quasi Corollarium quoddam superiori argumento; Clodium impunitatem sperasse, qui talia sæpe impune fecisset, non Milonem, qui pœnam timet, licet vim defenderit: quid si Clodio ipse insidias struxisset?

peccandi impunitatis ſpem? In utro igitur hæc fuit? in Milone, qui etiam nunc reus eſt facti, aut præclari, aut certe neceſſarii? an in Clodio, qui ita judicia pœnamque contempſerat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas eſſet, aut per leges liceret?

Sed quid ego (*a*) argumentor? quid plura diſputo? Te, Q. Petilli, appello, optimum & fortiſſimum civem, te, M. Cato, teſtor, quos mihi divina quædam ſors dedit judices. Vos ex M. Favonio audiſtis, Clodium ſibi dixiſſe, & audiſtis, vivo Clodio, periturum Milonem triduo. Poſt diem tertium geſta res eſt, quam dixerat. Cum ille non dubitaret aperire, quid cogitaret, vos poteſtis dubitare, quid fecerit?

XVII. Quemadmodum (*b*) igitur eum dies non fefellit? dixi equidem modo. Dictatoris Lanuvini ſtata ſacrificia noſſe, negotii nihil erat. Vidit neceſſe eſſe Miloni proficiſci Lanuvium illo ipſo, quo profectus eſt, die. Itaque antevertit. At quo die (*c*)? quo, ut ante dixi, inſaniſſima concio ab ipſius mercenario tribuno plebis eſt concitata (1): quem

(1) *At quo die? quo, ut ante dixi, fuit inſaniſſima concio, ab ipſius mercenario tribuno pl. concitata*) Hoc ſignificat, eo die, quo Clodius occiſus eſt, concionatum eſſe mercenarium ejus Tri-

ANALYSIS.

(a) *Sed quid ego*) 4. Quia jam ante Clodius Miloni mortem denuntiaverat; adeoque ut mortem inferret, inſidias fecit.

(b) *Quemadmodum*) 5. Ab aliis deinde *Adjunctis* ita argumentatur:

Ille non fecit inſidias, cujus iter neceſſarium fuit, & notum; ſed ille, cujus iter alienum fuit, reditus ignotus, & alienus; Milonis iter notum fuit, & neceſſarium; Clodii iter alienum, reditus ignotus, & alienus;

Ergo non Milo Clodio, ſed Clodius Miloni fecit inſidias.

Quemadmodum) *Aſſumptio* de Milone; illius iter fuiſſe neceſſarium, & notum, cum id Clodius facile ſcire potuerit ex T. Patina, & aliis Lanuvinis.

(c) *At quo die*) Oſtendit iter Clodii fuiſſe alienum, ne dum neceſſarium; ut adeſſet turbulentæ concioni a Tribuno pl. concitatæ.

quem diem ille, quam concionem, quos clamores, nisi ad cogitatum facinus approperaret, nunquam reliquisset. Ergo illi ne causa quidem itineris, etiam causa manendi: Miloni manendi nulla facultas, exeundi non causa solum, sed etiam necessitas fuit.

Quid si, ut ille scivit, Milonem fore eo die in via, sic Clodium Milo ne suspicari quidem potuit?

Primum quæro, qui scire potuit: quod vos idem in Clodio quærere non potestis. Ut enim neminem alium, nisi T. Patinam, familiarissimum suum, rogasset, scire potuit illo ipso die Lanuvii a dictatore Milone prodi flaminem necesse esse. Sed erant permulti alii, ex quibus id facillime scire posset, omnes scilicet Lanuvini. Milo de Clodii (*a*) reditu unde quæsivit? Quæsierit sane. Videte, quid vobis largiar. Servum etiam, ut Arrius, meus amicus, dixit, corruperit. Legite testimonia testium vestrorum. Dixit C. Cassinius, cognomento Schola, Interamnis, familiarissimus & idem comes P. Clodii, cujus jampridem testimonio Clodius eadem hora Interamnæ fuerat & Romæ,

Tribunum pl. Sunt autem concionati eo die, ut ex actis apparet, C. Sallustius, & Q. Pompejus, utrique & inimici Milonis, & satis inquieti. Sed videtur mihi Q. Pompejum significari. Nam ejus seditiosior fuit concio. *Ascon.*

ANALYSIS.

(a) *Milo de Clodii*) Probat Clodii reditum fuisse ignotum Miloni a testimonio Cassinii testis producti a Clodianis, & alterius testis C. Clodii:

Non potuit scire Milo eo die rediturum Clodium, ne ab ejus quidem servis, si eo die Clodius non erat rediturus;

Sed secundum fatentur testes Clodiani;

Ergo primum illud etiam verum est.

Hinc & se ipse purgat, cum a Cicerone incitatum fuisse Milonem ad illud facinus dixissent Adversarii; non enim Milo vel suo, vel alieno consilio occurrerat Clodio, cui non occurrisset, nisi ille repente consilium mutasset.

P. Clodium illo die in Albano mansurum (1) fuisse, sed subito ei esse nuntiatum, Cyrum architectum esse mortuum: itaque Romam repente constituisse proficisci. Dixit hoc comes item P. Clodii C. Clodius.

XVIII. Videte, Judices, quantæ res his testimoniis sint confectæ. Primum certe liberatur Milo, non eo consilio profectus esse, ut insidiaretur in via Clodio, quippe qui ei obvius futurus omnino non erat. Deinde (non enim video, cur non meum quoque agam negotium) scitis, Judices, fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu cædem esse factam, consilio vero majoris alicujus. Videlicet me latronem ac sicarium abjecti homines & perditi describebant (2). Jacent suis testibus ii, qui Clodium negant eo die Romam, nisi de Cyro audisset *, fuisse rediturum. Respiravi, liberatus sum: non vereor, ne, quod ne suspicari quidèm potuerim, videar id cogitasse.

Nunc persequar (*a*) cætera: nam occurrit illud; Igitur ** ne Clodius quidem de insidiis cogitavit, quoniam fuit in Albano mansurus, si quidem exiturus ad cædem e villa non fuisset. Video enim illum, qui dicitur de Cyri morte nuntiasse, non id

* Vulg. *auditum esset*.

** In vulg. deest *igitur*.

(1) *Dixit C. Cassinius Interamnis, familiarissimus, & idem comes Clodii, P. Clodium illo die Albæ mansurum*) Fuit hic Cassinius, apud quem Clodius mansisse Interamnæ videri volebat, qua nocte deprehensus est in Cæsaris domo, cum ibi in operto virgines pro populo Romano sacra facerent. *Idem*.

(2) *Videlicet me latronem & sicarium abjecti homines & perditi describebant*) Q. Pompejus Rufus, & Sallustius tribuni fuerunt, quos significat. Hi enim primi de ea lege ferenda populum hortati sunt, & dixerunt, manu Milonis occisum esse Clodium, consilio vero majoris alicujus. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Nunc persequar*) Refellit causam redeundi adductam a testibus supra citatis, adeoque docet reditum Clodii alienum fuisse, nisi eo consilio rediisset, ut Miloni insidias strueret in via.

id nuntiasse, sed Milonem appropinquare. Nam quid de Cyro nuntiaret, quem Clodius Roma proficiscens reliquerat morientem? Una fui, testamentum simul obsignavi cum Clodio: testamentum autem palam fecerat, & illum heredem, & me scripserat. Quem pridie hora tertia animam efflantem reliquisset, eum mortuum postridie hora decima denique * ei nuntiabatur?

XIX. Age, sit ita factum: quæ causa, cur Romam properaret? cur in noctem se conjiceret? quid afferebat causa festinationis (1)? Quod heres erat? Primum, erat nihil, cur properato opus esset: deinde, si quid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset, amitteret autem, si postridie mane Romam venisset? Atque, ut illi (*a*) nocturnus ad urbem adventus vitandus potius, quam expetendus fuit; sic Miloni, cum insidiator esset, si illum ad urbem noctu accessurum sciebat, subsidendum (2), atque expectandum fuit. Noctu invidio-

* In vulg. deest *denique*.

(1) *Quid afferebat causa festinationis*) Si subscriberent libri, amplecterer lectionem, quam non Victorius solum est amplexus, sed quam præ se fert Ascensiana, Cratandri, & Hervagiana. *Quid adferebat festinatio?* Quid adferebat emolumenti, aut utilitatis festinatio? *Causa* sæpissime est prætextus. Hæc igitur erit sententia vulgatæ lectionis, *causa festinationis quid adferebat?* Prætextus iste Romam properanti quid tibi proderat? quem fructum ex illa festinatione capiebam? Sed vulgatam sanam esse non credo. *Græv.* Sic opinor posse emendari: *Quid afferebat* causam *festinationis*. Anonymus. Vulg. *quid afferebat festinationem*.

(2) *Subsidendum*) Ita legit Franciscus Modius Epist. 39. Est autem, inquit, *subsidere* vocabulum castrense, quod non simpliciter subsistere significat, sed in insidiis subsistere. *Abram.* vulg. *subsistendum*.

ANALYSIS.

(a) *Atque, ut illi*) 6. Ultimo *ab Adjunctis* temporis, & loci sic disputat:

Ille non est insidiator, qui tempus, & locum insidiis opportunum neglexit;
Sed Milo tempus, & locum insidiis peropportunum neglexit;
Ergo Milo non est insidiator.

Assumptionem probat, quia vel ad Urbem constitisset noctu, quippe locus ille auctorem facinoris occultasset; vel occurrisset Clodio, antequam hic Aricia discedens ad Albanum pervenisset, quo eum diversurum suspicari debebat.

vidioso & pleno latronum in loco occidisset. Nemo ei neganti non credidisset, quem esse omnes salvum, etiam confitentem, volunt. Sustinuisset hoc crimen primum ipse ille latronum occultator & receptator locus, dum neque muta solitudo indicasset, neque cæca nox ostendisset Milonem: deinde ubi multi ab illo violati, spoliati, bonis expulsi, multi etiam hæc timentes in suspicionem caderent, tota denique rea citaretur Etruria. Atque illo die certe Aricia rediens, divertit Clodius ad Albanum. Quod nisi sciret Milo (1) illum Ariciæ fuisse (2), suspicari tamen debuit, eum, etiam si Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quæ viam tangeret, deversurum. Cur neque ante occurrit, ne ille in villa resideret, nec eo in loco subsedit, quo ille noctu venturus esset?

Video adhuc (*a*) constare omnia, Judices: Miloni etiam utile fuisse Clodium vivere; illi ad ea, quæ concupierat, optatissimum interitum Milonis *: odium fuisse illius in hunc acerbissimum, in illum hujus nullum: consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda, hujus tantum in repellenda: mortem ab illo denuntiatam Miloni, & prædictam palam, nihil unquam auditum ex Milone: profectionis hujus diem illi notum, reditum illius huic ignotum fuis-

* Vulg. *Milonis fuisse: odium illius*.

(1) *Quod nisi sciret Milo*) Legunt alii, *Quod ut sciret*. Libenter legerim, *Quidni, si sciret*. Ut vocem *diversurum* interrogationis nota subsequatur. Vel, quod magis arridet, *Quod, si sciret*, &c. *Abram*. Erfurtensis sane & Lambini vetus codex, *Quod ut sciret Milo*; quæ scriptura non est repudianda. *Ut* accipitur, ut sæpius *ut ut*, pro quamvis, licet. Quamvis id sciret Milo, &c. *Grævius*.

(2) *Ariciæ fuisse*) Sensus est: Milo vel ignoravit discessisse Clodium Aricia, sicque non est profectus eo consilio, ut Aricia redeuntem interficeret: vel scivit, adeoque potuit suspicari, Clodium diversurum ab Albanum villam suam, quæ erat prope viam. Cur igitur non occurrit Clodio inter Ariciam & Albanum? *Ferr.*

A N A L Y S I S.

(a) *Video adhuc*) *Epilogus* hujus primæ partis *Contentionis*, quæ Adjuncta ante factum examinat; deinde etiam pergit *rem*, & pugnam ipsam considerare.

fuisse: hujus iter necessarium, illius etiam potius alienum: hunc præ se tulisse, se illo die Roma exiturum, illum eo die se dissimulasse rediturum: hunc nullius rei mutasse consilium, illum causam mutandi consilii finxisse: huic, si insidiaretur, noctem prope urbem expectandam *, illi, etiam si hunc non timeret, tamen accessum ad urbem nocturnum fuisse metuendum.

XX. Videamus (a) nunc id, quod caput est: locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior. Id vero, Judices, etiam dubitandum, & diutius cogitandum est? Ante fundum Clodii: quo in fundo, propter insanas illas substructiones, facile mille hominum versabatur valentium. Edito adversarii, atque excelso loco (1) superiorem se fore putabat Milo, & ob eam rem eum locum ad pugnam potissimum elegerat? an in eo loco est potius expectatus ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitarat? Res loquitur, Judices, ipsa, quæ semper valet plurimum.

Si hæc non gesta audiretis, sed picta videretis, tamen appareret uter esset insidiator, uter nihil cogitaret mali, cum alter veheretur in rheda penulatus,

* Vulg. *nocte prope urbem expectandum*.

(1) *Edito adversarii atque excelso loco*) Subobscurum. Videtur esse quædam adversariorum objectio. At enim, dicet aliquis, etiamsi nosset Milo Clodii villam esse vicinam, non dubitavit tamen eo loco ponere insidias, quia videlicet tumulum excelsum occuparat, unde majore cum impetu in Clodianos impressionem faceret. *Abram*.

Nota interrogationis apposita satis indicat contrarium voluisse his verbis Tullium ostendere, perinde ac si dixisset, num ante fundum Clodii, in edito adversarii loco superiorem se fore putabat Milo? *Græv.* Vulg. leg. *atqui excelso loco superiorem se fore putabat Milo, & ob eam causam .... delegerat*.

ANALYSIS.

(a) *Videamus*) Ad rem ipsam, & pugnam accedit, probatque pariter *ab Adjunctis*, insidias a Clodio, non a Milone paratas fuisse:

Locus, & apparatus Insidiatorem indicant;

Sed tum locus, tum apparatus insidias struenti Clodio favebant non Miloni;

Ergo Clodius, non Milo fuit insidiator.

Ostendit autem in *Assumptione*, locum, tempus, & apparatum fuisse aptissimum Clodio ad insidias Miloni faciendas.

latus, una sederet uxor. Quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? quid minus promptum ad pugnam, cum penula irretitus, rheda impeditus, uxore pene constrictus esset? Videte nunc illum, primum egredientem e villa, subito; cur? vesperi; (1) quid necesse est? tarde; qui convenit, id præsertim temporis? Devertit in villam Pompeji. Pompejum ut videret? sciebat in Alsiensi (2) esse. Villam ut perspiceret? millies in ea fuerat. Quid ergo erat moræ, & tergiversationis? Dum hic veniret, locum relinquere noluit.

XXI. Age nunc, iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille antea cum uxore, tum sine ea: nunquam non in rheda, tum in equo: comites Græculi, quocunque ibat, etiam cum in castra Etrusca properabat (3), tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui nunquam, tum casu pueros symphoniacos uxoris ducebat, & ancillarum greges. Ille, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat, tum neminem, nisi ut virum a viro lectum esse diceres.

(1) *Egredientem e villa subito; cur? vesperi &c.*) Cum Cicero dixisset, *videte nunc illum primum egredientem e villa subito*, cum scilicet Milonem venire intellexisset, quærit Cicero *cur?* scilicet tam subito prodibat e villa; respondent Clodiani *vesperi*, imminebat brevi nox, subito erat Romam properandum. Quærit iterum Cicero, *quid necesse est* vesperi viæ se committere? respondent Clodiani *tarde* se viæ committebat. Instat Cicero, *qui convenit id præsertim temporis?* Cur tam tarde iter ingreditur, cum præsertim tam serum sit, hora nimirum decima? Reponunt illi; *devertit in villam*. Quærit Cicero cur? *num Pompejum ut videret?* Atqui sciebat in Alsiensi illum esse. *Grævius*. Vulg. leg. *cur vesperi? quid necesse est tarde? quid convenit &c.*

(2) *In Alsiensi*) Alsium oppidum fuit in Etruria, in cujus territorio villam habuisse videtur Pompejus. *Abram.*

(3) *Comites Græculi, quocunque ibat, etiam cum in castra Etrusca properabat*) Sæpe objicit Clodio Cicero, socium eum conjurationis Catilinæ fuisse. Quam rem nunc quoque reticens ostendit. Fuerat enim opinio, ut Catilina ex urbe profugerat in castra Manlii centurionis, qui tum in Etruria ad Fæsulas exercitum ei comparabat, Clodium subsequi eum voluisse, & cœpisse, tum dein mutato consilio in urbem rediisse. *Asc.*

res. Cur igitur (*a*) victus est? quia non semper viator a latrone, nonnunquam etiam latro a viatore occiditur: quia, quanquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros.

Nec vero sic erat unquam non paratus Milo contra illum, ut non satis fere esset paratus. Semper ille & quantum interesset P. Clodii se perire, & quanto illi odio esset, & quantum ille auderet, cogitabat. Quamobrem vitam suam, quam maximis præmiis propositam & pene addictam sciebat, nunquam in periculum sine præsidio & sine custodia projiciebat *. Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem, qui sæpe spoliantem jam & exultantem evertit, & perculit ab abjecto. Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis: qui cum a tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de ejus extremis comitibus cogitavit: in quos incensos ira, vitamque domini desperantes cum incidisset, hæsit in iis pœnis, quas ab eo servi fideles pro domini vita expetiverunt. Cur igitur (*b*) eos manumisit? metuebat (*c*) scilicet, ne indicarent **, ne dolorem perferre non posent, ne tormentis cogerentur occisum esse a servis Milonis in Appia via P. Clodium confiteri. Quid opus est tortore? quid quæris? Occideritne? occidit. Jure, an injuria nihil ad tortorem. Facti enim in equuleo quæstio est, juris in judicio.

XXII. Quod igitur in causa quærendum est, id agamus hic ***: quod tormentis invenire vis, id fatemur.

* Vulg. *provehebat*. ** Vul. *indicaretur*. *** Vulg. *id agamus; hoc, quod*.

ANALYSIS.

(a) *Cur igitur*) *A causis conglobatis* occurrit tacitæ *Prolepsi*, quasi non sit probabile, struentem insidias perire, non eum, cui structæ fuerint; satisfacit autem ostendens, qua ratione id fieri potuerit.

(a) *Cur igitur*) Hactenus Milonem defendit *ab Adjunctis* ipsius rei, & quæ pugnam præcesserunt; deinceps persequitur cætera, & in primis duo diluit objecta adversariorum, dè Servis manumissis a Milone, & Quæstionibus habitis ab Appio.

(c) *Metuebat*) Primum illud ita refellit *a remotione Causæ*, propter quam manumissos fuisse dixerant Adversarii:

Non fuerunt manumissi ad occultandam rei veritatem, si nos factum fatemur; *Sed*

mur. Manu vero (*a*) cur miserit, si id *potius* quæris, quam cur parum amplis affecerit præmiis, nescis inimici factum reprehendere. Dixit enim hic idem, qui omnia semper constanter & fortiter, M. Cato, dixitque in turbulenta concione, quæ tamen hujus auctoritate placata est, non libertate *solum*, sed etiam omnibus præmiis dignissimos fuisse, qui domini caput defendissent. Quod enim *præmium* satis magnum est tam benevolis, tam bonis, tam fidelibus servis propter quos vivit? Etsi id (*b*) quidem non tanti est, quam quod propter eosdem non sanguine & vulneribus suis, crudelissimi inimici mentem oculosque satiavit. Quos nisi manumisisset, tormentis etiam dedendi fuissent conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis. Hic vero nihil habet in his malis, quod minus moleste ferat, quam etiam si quid ipsi accidat, *esse* tamen illis meritum præmium persolutum.

Sed quæstiones (*c*) urgent Milonem, quæ sunt ha-

ANALYSIS.

Sed nos ipsi fatemur occisum fuisse a Milone Clodium:
Ergo non ideo fuerunt manumissi, ne tormentis cogerentur idem fateri.

Propositio eo nititur fundamento, quod tortore factum quæritur de quo non erat controversia, non autem jurene, an injuria id factum fuisset.

(a) *Manu vero*) Deinde sic etiam arguit *a Causis:*
Servi fideles, & bene de Domino meriti præmiis afficiendi, non tormentis dedendi sunt;
Sed ii Servi fideles, & optime de Domino meriti erant;
Ergo præmiis afficiendi, non tormentis dedendi erant.

Propositionem confirmat M. Catonis testimonio, qui unus erat ex Judicibus, qui Milonem absolvit, lata palam sententia. Asconius.

(b) *Etsi id*) *Assumptionem* amplificat *ab Adjunctis*; non enim solum effecerunt, ne dominus periret, sed etiam ne crudelissimi inimici manu periret.

(c) *Sed quæstiones*) Alterum objectum de quæstionibus ab Appio in Milonem habitis, qui tali argumento respondet *ab Adjunctis per Comparationem minorum:*
Pejus est quæri de servis accusatoris in reum, quam de servis in dominum;
Sed quæstio de servis in dominum est contra leges, & de Ser-

habitæ nunc in atrio Libertatis. Quibusnam (*a*) de servis? rogas? de P. Clodii. Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Unde? ab Appio. Dii boni! quid potest agi severius? De servis (*b*) nulla quæstio est in dominos *, nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Proxime ad deos accessit Clodius, propius quam tum, cum ad ipsos penetrarat (1): cujus de morte, tanquam de cæremoniis violatis, quæritur. Sed tamen majores nostri in dominum de servo quæri noluerunt, non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum, & dominis ** morte ipsa tristius. In reum (*c*) de servis accusatoris cum quæritur, verum inveniri potest?

Age vero (*d*), quæ erat, aut qualis quæstio? Heus tu Ruscio (verbi causa) cavesis mentiare ***. Clodius insidias fecit Miloni? Fecit: certa crux. Nullas fecit: sperata libertas. Quid hac (*e*) quæstione certius? Subito abrepti in quæstionem, tamen separantur a cæteris, & in arcas conjiciuntur, ne quis cum iis colloqui possit. Hi centum dies penes accusatorem cum fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. Quid hac quæstione dici potest integrius? quid incorruptius?

XXIII. Quod si (*f*) nondum satis cernitis, cum

* Vulg. *in dominum*. ** Vulg. *domini morte*.

*** Vulg. *Heus ubi Ruscio, ubi Casca? Clodius &c.* alii *Heus ubi responsio, ubi caussa?* alii aliter.

(1) *Cum ad ipsos penetrarat*) Cum in opertum Bonæ Deæ solis mulicribus patens & maribus interdictum ingressus est. *Abram*.

A N A L Y S I S.

Servis accusatoris in Milonem habita est quæstio;
Ergo hæc multo magis est illegitima.

(a) *Quibusnam*) *Assumptionis* secunda pars, quam urget ab alio *Adjuncto*, nempe a persona accusatoris, qui habuit illam quæstionem.

(b) *De servis* Prima pars ejusdem *Assumptionis*.

(c) *In reum*) Hic latere videtur *Propositio* Syllogismi.

(d) *Age vero*) Urget *Assumptionis* secundam partem hoc etiam *Adjuncto*, ostendens per pulcherrimam Prosopopœjam factam fuisse quæstionem per vim.

(e) *Quid hac*) *Complexio*.

(f) *Quod si*) Nunc pergit & aliis conjecturis Milonem purgare;

cum res ipsa tot, tam claris argumentis signisque luceat, pura mente atque integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum, Romam revertisse; recordamini (*a*), per deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus ejus, qui ingressus in forum ardente curia, quæ magnitudo animi, qui vultus, quæ oratio. Neque vero se populo solum, sed etiam senatui commisit: neque senatui modo, sed etiam publicis præsidiis & armis: neque his tantum, verum etiam ejus potestati, cui senatus totam rempublicam, omnem Italiæ pubem, cuncta populi Romani arma commiserat. Cui se nunquam hic profecto tradidisset, nisi causæ suæ confideret; præsertim omnia audienti, magna metuenti, multa suspicanti, nonnulla credenti. Magna vis (*b*) est conscientiæ, Judices, & magna in utramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.

Neque vero (*c*) sine ratione certa, causa Milonis semper a senatu probata est. Videbant enim sapientissimi homines facti rationem, præsentiam animi, defensionis constantiam. An vero obliti estis, Judices, recenti illo nuntio necis Clodianæ, non modo inimicorum Milonis sermones & opiniones

ANALYSIS.

gare; & ab ejusdem in primis constantia, tali ratione:

Innocens est, qui nihil timet;

Sed Milo post Clodii mortem nihil timuit, & Romam subito revertit;

Ergo nullius ipse sibi sceleris conscius erat.

(a) *Recordamini*) *Assumptio*, quam *ab Adjunctis* ingeniosissime amplificat, præsertim a persona Pompeji, cui se commiserat.

(b) *Magna vis*) *Propositionis* approbatio *a Causis*.

(c) *Neque vero*) Idem illud confirmat, tum Senatus auctoritate, qui Milonem, quod nihil timeret, innocentem proinde judicaverat, tum etiam *a Contrariis*:

Omnes, qui credebant Milonem ultro interfecisse Clodium, seu privata, seu publica causa, eum in exilium iturum putabant;

Sed neque in exilium ivit, & Romam statim rediit;

Ergo necessitate Clodium interfecit, & jure, ut se defenderet

nes, ſed nonnullorum etiam imperitorum? * Negabant eum Romam eſſe rediturum. Sive enim illud animo irato ac percito feciſſet, ut incenſus odio trucidaret inimicum; arbitrabantur, eum tanti mortem P. Clodii putaſſe, ut æquo animo patria careret, cum ſanguine inimici expleſſet odium ſuum: ſive etiam illius morte patriam liberare voluiſſet, non dubitaturum fortem virum, quin, cum ſuo periculo ſalutem reipublicæ attuliſſet, cederet æquo animo legibus, ſecum auferret gloriam ſempiternam, nobis hæc fruenda relinqueret, quæ ipſe ſervaſſet. Multi etiam Catilinam, atque illa portenta ** loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriæ faciet. Miſeros interdum cives, optime de republica meritos! in quibus homines non modo res præclariſſimas obliviſcuntur, ſed etiam nefarias ſuſpicantur. Ergo illa (*a*) falſa fuerunt, quæ certe vera extitiſſent, ſi Milo admiſiſſet aliquid, quod non poſſet honeſte vereque defendere.

XXIV. Quid, quæ (*b*) poſtea ſunt in eum congeſta? quæ quemvis *** etiam mediocrium delictorum conſcientia perculiſſent, ut ſuſtinuit, dii immortales! Suſtinuit? immo vero ut contempſit, ac pro nihilo putavit? quæ neque maximo animo nocens, neque innocens, niſi fortiſſimus vir, negligere potuiſ-

* Vulg. *imperitorum, qui negabant*. ** Al. *tempora*.
*** Vulg. *quamvis .... conſcientiam*.

ANALYSIS.

(a) *Ergo illa*) *Aſſumptio*, & vulgi conjecturam probat, ſi revera Milo inſidias Clodio feciſſet; ut cum falſa fuerit conjectura, falſum etiam fundamentum appareat de Milonis inſidiis, quo illa nitebatur.

(b) *Quid, quæ*) Deinde recenſet alia crimina congeſta in Milonem, ex quibus hujuſmodi ſumit argumentum *a Pari*:

Qualis fuit Milo in reliquis criminibus, talis eſt in hoc crimine inſidiarum;

Sed reliqua in eum congeſta crimina falſa fuerunt, & ea fortiter ſuſtinuit;

Ergo & hoc inſidiarum crimen, quod ita fortiter ſuſtinet, falſum eſt.

Crimina fuerant 1. quod arma domi haberet in Urbis perniciem; 2. quod in Pompejum conjuraſſet; 3. quod in Senatu cum telo eſſet.

potuisset. Scutorum, gladiorum, frenorum *, sparorum (1), pilorumque etiam multitudo deprehendi posse indicabatur **. Nullum in urbe vicum, nullum angiportum esse dicebant, in quo Miloni non esset conducta domus: arma in villam Ocriculanam devecta Tiberi: domus in clivo Capitolino scutis referta: plena omnia malleolorum ad urbis incendia comparatorum. Hæc non delata solum, sed pene credita: nec ante repudiata sunt, quam quæsita.

Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompeji: sed dicam, ut sentio, Judices; nimis multa audire coguntur, neque aliter facere possunt ii, quibus tota commissa est respublica. Quin etiam audiendus sit popa Licinius, nescio quis, de circo maximo: servos Milonis apud se ebrios factos, sibi confessos esse de interficiendo Cn. Pompejo conjurasse: deinde postea se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret. Pompejo in hortos nuntiavit. Arcessor in primis. De amicorum sententia rem defert ad senatum. Non poteram in illius mei patriæque custodis tanta suspicione non metu exanimari: sed mirabar tamen credi popæ, ebriosorum confessionem servorum audiri, vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari ***. Verum, ut intelligo, cavebat magis Pompejus, quam timebat, non ea solum, quæ timenda erant, sed omnino omnia, ne aliquid vos timeretis. Oppugnata domus C. Cæsaris, clarissimi & fortissimi viri, per multas noctis horas nuntiabatur. Nemo audierat tam celebri loco (2), nemo senserat: tamen audiebatur. Non poteram Cn. Pompejum, præstantissima

vir-

* Lamb. conjicit *framearum*.

** Vulg. *Judicabatur*. *** Vulg. *putari*.

(1) *Sparorum*) Nonnius de genere armorum: *Sparus telum agreste*. Abram.

(2) *Tam celebri loco*) Habitabat enim Cæsar, a quo tempore pontifex max. creatus est, in sacra via, in domo publica: cum ante pontificatum in Suburra modicis ædibus habitasset. *Suetonius*.

virtute civem, timidum suspicari: diligentiam, tota republica suscepta, nimiam nullam putabam. Frequentissimo senatu nuper in Capitolio senator inventus est, qui Milonem cum telo esse diceret. Nudavit se in sanctissimo templo, quoniam vita talis & civis & viri fidem non faciebat, nisi, eo tacente (1), res ipsa loqueretur.

XXV. Omnia falsa (a), atque insidiose ficta comperta sunt. Quod si tamen metuitur etiam nunc Milo, non hoc jam Clodianum crimen timemus, sed tuas, Cn. Pompei, (te enim jam appello ea voce, ut me audire possis) tuas, inquam, suspiciones perhorrescimus (2). Si Milonem times,

(1) *Nisi, eo tacente*) Miror Lambinum hic non recepisse verissimam scripturam veteris codicis, in quo est, *ut eo tacente res*, quam didicit ex Fabricio, ut ejus editionis margines ostendunt. *Nisi*, hic ferri non potest. *Grævius*.

(2) *Non jam hoc Clodianum crimen timemus, sed tuas, Cn. Pompei, (te enim jam appello, & ea voce, ut me exaudire possis) tuas, inquam, suspiciones perhorrescimus*) Diximus in argumento orationis hujus, Cn. Pompejum simulasse se timere, seu plane timuisse Milonem, & ideo ne domi quidem suæ, sed in hortis superioribus ante judicium mansisse, ita ut villam quoque præsidio militum circumdaret. *Q. Pompejus* tribunus pl. qui fuerat familiarissimus omnium P. Clodio, & sectam suam sequi se palam profitebatur, dixerat in concione paucis post diebus, quam Clodius erat occisus: *Milo dedit, quem in curia cremaretis: dabo, quem in Capitolio sepeliatis*. In eadem concione idem dixerat (habuit enim eam a. d. VIII. Kal. Febr. cum Milo pridie, id est, VII. Kal. Febr. venire ad Pompejum in hortos ejus voluisset) Pompejum ei per hominem propinquum misisse, ne ad se veniret. Prius etiam quam Pompejus tertium consul crearetur, tres tribuni, Q. Pompejus Rufus, C. Sallustius Crispus, L. Munatius Plancus, cum quotidianis concionibus suis magnam invidiam Miloni propter Clodium excitarent, produxerant ad populum Cn. Pompejum, & ab eo quæsierant, num ad eum delatum esset illud quoque indicium, suæ vitæ insidiari Milonem. Responderat Pompejus, Licinium quendam de plebe, sacrificulum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse, servos quosdam Milonis, itemque libertos com-

ANALYSIS.

(a) *Omnia falsa*) Transit ad suspiciones Pompeji, ejusque potentiam non esse in Milonem paratam ostendit *ab Adjunctis*:
Non est probabile in unum hominem totam Remp. armari;
Sed arma totius Reip. uni Pompejo commissa sunt;
Ergo non in Milonem, sed ut omnia ægra, & infirma sanaret.

si hunc de tua vita nefarie aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas, si Italiæ delectus, ut nonnulli conquisitores (1) tui dictitant, si hæc arma, si Capitolinæ cohortes, si excubiæ, si vigiliæ, si delecta juventus, quæ tuum corpus domumque custodit, contra Milonis impetum armata est, atque illa omnia in hunc unum instituta, parata, intenta sunt: magna in hoc certe vis, & incredibilis animus, & non unius viri vires, atque opes indicantur; si quidem in hunc unum & præstantissimus dux electus, & tota respublica armata est.

Sed quis non intelligit, omnes tibi reipublicæ partes ægras & labantes, ut eas his armis sanares & confirmares, esse commissas? Quod si (*a*) Miloni locus datus esset, probasset profecto tibi ipsi, neminem unquam hominem homini cariorem fuisse, quam te sibi: nullum se unquam periculum pro tua dignitate fugisse: cum illa ipsa teterrima peste sæpissime pro tua gloria contendisse: tribunatum suum ad salutem meam, quæ tibi carissima fuis-

comparatos esse ad cædem suam: nomina quoque servorum edidisse: ad Milonem misisse, ut eos in potestate sua haberet: a Milone responsum esse, ex iis servis, quos nominasset, partim neminem se unquam habuisse, partim manumisisse. Dein, cum Licinium, apud se haberet, Lucium quendam de plebe ad corrumpendum judicem venisse: qua re cognita, in vincula eum publica a se conjectum. Decreverat enim senatus, ut cum interrege & tribunis pl. Pompejus daret operam, ne quid respublica detrimenti caperet. Ob has suspiciones Pompejus in superioribus hortis se continuerat, deinde ex S. C. delectu per Italiam habito cum rediisset, venientem ad se Milonem unum omnium non admiserat. Item, cum senatus in porticu Pompeji haberetur, ut Pompejus posset interesse, unum tum excuti prius, quam in senatum intraret, jusserat. Hæ sunt suspiciones, quas dicit se Cicero pertimescere. *Asconius.*

(1) *Conquisitores*) Qui delectui habendo, conscribendoque exercitui præerant. *Ferr.*

ANALYSIS.

(*a*) *Quod si*) Milonis in Pompejum summam benevolentiam probat *ab Effectis*, eumque iturum sponte in exilium ait, si se purgare Pompejo non possit.

fuisset, consiliis tuis gubernatum: se a te postea defensum in periculo capitis, adjutum in petitione præturæ: duos se habere semper amicissimos sperasse, te tuo beneficio, me suo. Quæ si non probaret, si tibi ita penitus inhæsisset ista suspicio, nullo ut evelli modo posset, si denique Italia a delectu, urbs ab armis, sine Milonis clade nunquam esset conquietura; næ iste haud dubitans cessisset patria, is, qui ita natus est, & ita consuevit; te, Magne (a), tamen antestaretur (1), quod nunc etiam facit.

XXXVI. Vide, quam sit varia vitæ commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quam ad tempus aptæ simulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates. Erit, erit illud profecto tempus, & illucescet aliquando ille dies, cum tu, salutaribus, * ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatis (qui quam crebro accidat, experti debemus scire) & amicissimi benevolentiam, & gravissimi hominis fidem, & unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres.

Quanquam (b) quis hoc credat, Cn. Pompejum,

O 2

* Al. *Salvis*.

(1) *Antestaretur*) *Antestari* dicebantur ii, qui cum in jus quempiam vocarant, præsentes apprehensa auricula monebant, uti meminissent eum in jus vocatum, &, cum opus esset, id testarentur. Vide Turnebum lib. decimo tertio Adversar. cap. vigesimo septimo. *Abram.* vulg. *attestaretur*.

A N A L Y S I S.

(a) *Te, Magne*) Milonis nomine alloquitur Pompejum, cui illius operam pollicetur; ominatur autem, quæ deinde evenere bello Civili cum C. Cæsare.

(b) *Quanquam*) Tandem contendit nullo modo Pompejum esse iratum, & inimicum Miloni, argumento pariter *ab Adjunctis* personæ:

Vir sapiens non dabit condemnandum Judicibus, quem ipse jure punire potest;

Sed Pompejus vir sapiens est, & poterat jure suo punire Milonem;

Ergo

ſum, juris publici, moris majorum, rei denique publicæ peritiſſimum, cum ſenatus ei commiſerit, ut videret, *Ne quid reſpublica detrimenti caperet*: quo uno verſiculo ſatis armati ſemper conſules fuerunt, etiam nullis armis datis, hunc exercitu, hunc delectu dato, judicium expectaturum fuiſſe in ejus conſiliis vindicandis, qui vel judicia ipſa tolleret? Satis judicatum (*a*) eſt a Pompejo, ſatis *, falſo iſta conferri in Milonem, qui legem tulit, qua, ut ego ſentio, Milonem abſolvi a vobis oporteret; ut omnes confitentur, liceret.

Quod vero in illo loco, atque illis publicorum præſidiorum copiis circumfuſus ſedet, ſatis declarat, ſe non terrorem inferre vobis, (quid enim illo minus dignum, quam cogere, ut vos eum condemnetis, in quem animadvertere ipſe & more majorum, & ſuo jure poſſet?) ſed præſidio eſſe: ut intelligatis, contra heſternam concionem illam (1) licere vobis, quod ſentiatis, libere judicare.

XXVII. Nec vero (*b*) me, Judices, Clodianum

* In vulg. deeſt *ſatis*.

(1) *Contra heſternam concionem illam*) Idem T. Munacius Plancus, ut ſæpe diximus, poſt audita & obſignata teſtium verba, dimiſſoſque interim judices, vocata concione cohortatus erat populum, ut clauſis tabernis poſtero die ad judicium adeſſet, nec pateretur elabi Milonem. *Aſcon.*

ANALYSIS.

Ergo non tradidiſſet Milonem judicibus, ſi eum condemnatum vellet.

Habetur *Aſſumptio* cum *Complexione*; nam & Pompejum virum eſſe oſtendit, qui noverit, quanta ſibi poteſtas data ſit: & eum potuiſſe jure ſuo in Milonem animadvertere, facto S. C. Videat Conſul, ne quid Reſp. detrimenti capiat.

(a) *Satis judicatum*) Concludit igitur, Pompejum potius favere Miloni; lege in gratiam illius data, & arma collocata fuiſſe contra Clodianos.

(b) *Nec vero*) Hæc pars *Contentionis* ſumitur *ab Adjunctis* perſonæ, Clodii ſcilicet, qui fuerat interfectus; ſtatimque ſic arguit *per Comparationem minorum:*

Qui Cives ſeditioſos aliquid in Rep. innovantes occiderunt, gloriam ſunt conſecuti;

Sed Milo Clodium interfecit ſceleratiſſimum hominem, & Reip. perniciem molientem;

Ergo non ſolum impunitas, ſed ſumma etiam gloria Miloni debetur.

num crimen movet: nec tam sum demens, tamque vestri sensus ignarus atque expers, ut nesciam quid de morte Clodii sentiatis. De qua si jam nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen impune Miloni palam clamare, atque mentiri gloriose liceret: Occidi (*a*) occidi, non Sp. Melium, qui annona levanda, jacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi; non Tib. Gracchum, qui collegæ magistratum per seditionem abrogavit, quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis sui gloria: sed eum (*b*), (auderet enim dicere, cum patriam periculo suo liberasset) cujus nefandum adulterium in pulvinaribus sanctissimis nobilissimæ fœminæ comprehenderunt: eum, cujus supplicio senatus sollemnes religiones expiandas sæpe censuit: eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisse L. Lucullus juratus se, quæstionibus habitis, dixit comperisse: eum, qui civem, quem senatus, quem populus, quem omnes gentes, urbis ac vitæ civium conservatorem judicabant, servorum armis exterminavit: eum, qui regna dedit, ademit, orbem terrarum, quibuscum voluit, partitus est: eum, qui, plurimis cædibus in foro factis, singulari virtute & gloria civem domum vi & armis compulit: eum, cui nihil unquam nefas fuit nec in facinore, nec in libidine: eum, qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicam * recensionis, tabulis publicis impressam, extingueret: eum denique, cui jam nulla lex erat, nullum civile jus, nulli possessionum termini: qui non calumnia litium, non injustis vindiciis

* Vulg. *publicæ*.

ANALYSIS.

(a) *Occidi*) *Propositionis* approbatio *ab Exemplis* Ahalæ Servilii, qui Sp. Melium, & Scipionis Nasicæ, qui Ti. Gracchum interfecere; eosque duos maxime nominat, quorum interfectores nullas dederant pœnas.

(b) *Sed eum*) *Assumptionis* prima pars patet, enumeratis Clodii sceleribus.

ac sacramentis (1) alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat: qui non solum Etruscos, (eos enim penitus contempserat) sed hunc Q. Varium *, virum fortissimum atque optimum civem, judicem nostrum, pellere possessionibus, armis castrisque conatus est: qui cum architectis & decempedis villas multorum, hortosque peragrabat: qui Janiculo & Alpibus spem possessionum terminabat suarum: qui, cum ab equite Romano splendidissimo & forti viro, T. Pacavio **, non impetrasset, ut insulam in lacu Prelio venderet, repente lintribus in eam insulam materiam, calcem, cæmenta, atque arenam convexit, dominoque trans ripam inspectante non dubitavit ædificium extruere in alieno: qui huic T. Fursanio, cui viro? dii immortales! (quid enim ego de muliercula Scantia ***, quid de adolescente Aponio dicam? quorum utrique mortem est minitatus, nisi sibi hortorum possessione cessisset) sed ausus est Fursanio dicere, si sibi pecuniam, quantam poposcerat, non dedisset, mortuum se in domum ejus illaturum, qua invidia huic esset tali viro conflagrandum: qui Appium fratrem, hominem mihi conjunctum fidissima gratia, absentem de possessione fundi dejecit: qui parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, sic agere fundamenta, ut sororem non modo vestibulo privaret, sed omni aditu, & limine.

XXVIII. Quanquam hæc (*a*) quidem jam tolerabilia videbantur: etsi æquabiliter in rempublicam, in privatos, in longinquos, in propinquos, in

* Vulg. Cn. *Pompejum*. ** Vulg. *T. Paconio*.
*** Vulg. *Sanctia*... *Apronio*.

(1) *Sacramentis*) Sacramento contendere, est, deposita apud pontificem pecunia litigare. Varro, lib. v. Ling. Lat. & Asconius in Verrem, lib. 1. *Manutius*.

ANALYSIS.

(a) *Quanquam hæc*) Secunda habet certissimam Reip. perniciem, si Clodius Prætor factus fuisset.

in alienos, in suos irruebat; sed nescio quomodo jam usu obduruerat, & percalluerat civitatis incredibilis patientia. Quæ vero aderant jam, & impendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis, aut * ferre imperium, si id ille nactus esset? Omitto socios, exteras nationes, reges, tetrarchas: vota enim feceratis, ut in eos se potius mitteret, quam in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias. Pecunias dico? a liberis, a liberis, medius fidius, & a conjugibus vestris nunquam ille effrenatas suas libidines cohibuisset. Fingi hæc putatis, quæ patent? hæc, quæ nota sunt omnibus? quæ tenentur? servorum exercitus illum in urbe conscripturum fuisse, per quos totam rempublicam, resque privatas omnium possideret?

Quamobrem (*a*), si cruentum gladium tenens clamaret T. Annius, Adeste, quæso, atque audite, cives: P. Clodium interfeci; ejus furores, quos nullis jam legibus, nullis judiciis frenare poteramus, hoc ferro & hac dextera a cervicibus vestris repuli; per me unum ut jus (1), æquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manerent: esset vero timendum (2), quonam modo id ferret civitas. Nunc enim (*b*) quis est, qui non probet? qui non laudet? qui non unum post homi-

* Grut. *ferre? Imperium si ille nactus esset*, (*omitto ... feceretis*.

(1) *Per me unum ut jus*) Post hæc verba *per me unum*, libri vulgati habent *effectum est*, quæ & absunt ab omnibus libris manuscriptis, & sunt supervacanea. Hic enim ordo verborum est, ego illa repuli, ut per me unum jus, æquitas &c. in civitate manerent. *Lamb.*

(2) *Esset vero timendum*) Ironice dictum. Vulg. *Enimvero timendum*.

ANALYSIS.

(a) *Quamobrem*) *Complexio*. Cicero tamen negat, se uti velle hoc genere defensionis, sed, si uteretur, impunitatem apud omnes consecuturum Milonem ita probat:

Majori gloria dignus Milo haberetur, si Reip. causa, quam si necessitate, & ut se defenderet, Clodium occidisset;

Sed nunc omnes eum laudant, cum dicat a se Clodium occisum pro defensione sui capitis;

Ergo multo magis laudarent, si fateretur, se illum occidisse Reip. causa. (b) *Nunc enim*) *Assumptio*.

num memoriam T. Annium plurimum reipublicæ profuisse, maxima lætitia populum Romanum, cunctam Italiam, nationes omnes affecisse, & dicat, & sentiat? Nequeo (*a*), vetera illa populi Romani quanta fuerint gaudia, judicare. Multas tamen jam summorum imperatorum clarissimas victorias ætas nostra vidit, quarum nulla neque tam diuturnam attulit lætitiam, nec tantam.

Mandate hoc memoriæ, Judices. Spero multa vos, liberosque vestros in republica bona esse visuros. In his singulis ita semper existimabitis, vivo P. Clodio, nihil eorum * vos visuros fuisse. In spem maximam, & quemadmodum confido, verissimam adducti sumus, hunc ipsum annum, hoc ipso summo viro consule, compressa ** hominum licentia, cupiditatibus fractis, legibus & judiciis constitutis, salutarem civitati fore. Num quis igitur est tam demens, qui hoc, P. Clodio vivo, contingere potuisse arbitretur? Quid? ea, quæ tenetis, privata atque vestra, dominante homine furioso, quod jus perpetuæ possessionis habere potuissent?

XXIX. Non timeo (*b*), Judices, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus, libentius hæc in illum evomere videar, quam verius. Etenim etsi præcipuum esse debebat, tamen ita communis erat omnium ille hostis, ut in communi odio pene æqualiter versaretur odium meum. Non potest dici

* Vulg. *horum*. ** Vulg. *concussa*.

A N A L Y S I S.

(*a*) *Nequeo*) Ad illustrandam *Assumptionem*, probat jure laudari factum Milonis, *per Comparationem minorum*; argumentum est *a Causis* hoc modo:

Illud maximum omnium bonum est, sine quo nihil boni esse posset;
Sed vivo P. Clodio, nihil boni in Rep. esse posset;
Ergo illius mors maximum est bonum, adeoque jure laudatur.
Propositio est Arist. l. 1. c. 7. t. 100.

(b) *Non timeo*) *Prolepsis*, quasi hæc in Clodium inimicum Cicero fingat. Respondet ingeniose odium sibi in P. Clodium commune esse cum Judicibus, & ipso Pompejo; qui omnes mortuum Clodium velint Reip. causa.

dici satis, ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris quantum exitii fuerit. Quin sic attendite, Judices: nempe hæc est quæstio de interitu P. Clodii. Fingite animis: liberæ enim sunt cogitationes nostræ, & quæ volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quæ videmus. Fingite igitur cogitatione imaginem hujus conditionis meæ, si possim efficere, ut Milonem absolvatis, sed ita, si P. Clodius revixerit. Quid vultu extimuistis? quonam modo ille vos vivus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percussit? Quid? si ipse Cn. Pompejus, qu ea virtute, ac fortuna est, ut ea potuerit semper i quæ nemo præter illum, si is, inquam, potuisset, aut ** quæstionem de morte P. Clodii ferre, aut, ipsum ab inferis excitare; utrum putatis potius facturum fuisse? Etiam si propter amicitiam vellet illum ab inferis evocare, propter rempublicam non fecisset. Ejus igitur (*a*) mortis sedetis ultores, cujus vitam, si putetis per vos restitui posse, nolitis: & de ejus nece lata quæstio est, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex nunquam esset. Hujus ergo (*b*) *** interfector qui esset, in confitendo ab iisne pœnam timeret, quos liberavisset?

Græci

* Al. *ut ea cernamus, quæ non videmus.* ** Vulg. *ut quæstionem .... sic ipsum.* *** Vict. Man. *interfector non esset, etiam confitendo, ab iis impetraturus, ne pœnam.*

ANALYSIS.

(a) *Ejus igitur*) Hinc duo colligit; primum imprudenter fuisse constitutam quæstionem; & legem latam de nece Clodii, sic acriter *a Contrariis:*

Clodii mortem illi ulcisci non debent, qui eum vivum nolunt;
Sed Vos, & Pompejus legis lator Clodium vivum non vultis,
Ergo neque illius mortem ulcisci debetis.

(b) *Hujus ergo*) Deinde ita pro Milone argumentatur:

Si sponte occidisset Clodium Milo, palam confiteretur;
Non confitetur, sed negat:
Ergo non sponte eum occidit, sed necessitate, ut se defenderet.

Hujus ergo) *Propositionis* approbatio ex supra dictis, quia non poterat pœnam ab iis timere, qui fatebantur se Clodii morte maximis periculis liberatos; idque confirmat exemplo Græcorum.

Græci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quæ ego vidi Athenis? quæ aliis in urbibus Græciæ? quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus? quæ carmina? prope * ad immortalitatis & religionem, & memoriam consecrantur. Vos tanti conservatorem populi, tanti sceleris ultorem, non modo honoribus nullis afficietis, sed etiam ad supplicium rapi patiemini? Confiteretur, confiteretur, inquam, si fecisset, & magno animo & libente se fecisse, libertatis omnium causa. Quod ei certe non confitendum modo fuisset, verum etiam prædicandum.

XXX. Etenim (*a*), si id non negat, ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur; dubitaret id fateri, ex quo etiam præmia laudis essent petenda? nisi vero (*b*) gratius putat esse vobis, sui se capitis, quam vestri ordinis defensorem fuisse: cum præsertim in ea confessione, si grati esse velletis, honores assequeretur amplissimos: si factum (*c*) vobis non probaretur, (quanquam qui poterat salus sua cuique non probari?) sed tamen si minus fortissimi

* Lamb. *immortalitatem religione & memoria*. Vulg. *ad immortalitatem, & religionem, & memoriam*.

ANALYSIS.

(a) *Etenim*) Alia *Propositionis* approbatio *a minori ad majus*:
Libentius id fateretur, ex quo laudem speraret, quam id, ex quo solam sperat impunitatem.
Sed fatetur, se pro defensione sui capitis occidisse Clodium, ex quo solum sperat impunitatem.
Ergo & alterum fateretur, si verum esset, ex quo speraret maximam gloriam.

(b) *Nisi vero*) Rationis illius fundamentum probat hoc *Dilemmate*:
Aut gratis essetis confitenti Miloni, aut ingrati;
Si grati, maximos honores; si ingrati, maximam laudem assequeretur;
Ergo utcumque vel honores, vel laudem ex confessione pulcherrimi facti speraret.

(c) *Si factum*) Ingratam futuram Civitatem ostendit, Milonis vero laudem multo majorem, quod Patriam liberasset cum maximo sui capitis periculo.

tissimi viri virtus civibus grata cecidisset, magno animo constantique cederet ex ingrata civitate. Nam quid esset ingratius, quam lætari cæteros, lugere eum solum, propter quem cæteri lætarentur?

Quanquam hoc animo semper fuimus omnes in patriæ proditoribus opprimendis, ut, quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque & invidiam nostram putaremus. Nam quæ mihi ipsi * tribuenda laus esset, cum tantum in consulatu meo pro vobis ac liberis vestris ausus essem, si id, quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer? Quæ mulier sceleratum ac perniciosum civem occidere non auderet, si periculum non timeret? Proposita invidia, morte, pœna, qui nihilo segnius rempublicam defendit, is vir vere putandus est. Populi grati est, præmiis afficere bene meritos de republica cives; viri fortis, ne suppliciis quidem moveri, ut fortiter fecisse pœniteat.

Quamobrem (*a*) uteretur eadem confessione T. Annius, qua Ahala, qua Nasica, qua Opimius, qua Marius, qua nosmetipsi: &, si grata respublica esset, lætaretur; si ingrata, tamen in gravi fortuna conscientia sua niteretur. Sed hujus (*b*) beneficii gratiam, Judices, fortuna populi Romani, & vestra felicitas, & dii immortales sibi

* Vulg. *mihi contribuenda laus esset ipsi.*

A N A L Y S I S.

(a) *Quamobrem*) *Complexio*; fateretur igitur Milo, occisum a se Clodium Reip. causa, si revera eo consilio sponte, non necessitate occidisset.

(b) *Sed hujus*) Jam vero Milonem tuetur firmissimo omnium argumento *a causa efficiente*, quod ultimo loco ponit, & ita se habet:

Ex illa re nulla vel laus, vel reprehensio debetur Miloni, quæ a divino numine profecta est;
Sed mors P. Clodii a Deorum voluntate profecta est;
Ergo ex morte P. Clodii nulla vel laus, vel reprehensio Miloni debetur.

bi deberi putant. Nec vero (*a*) quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam vim esse ducit *, numenve divinum: quem neque imperii vestri magnitudo, neque sol ille, nec cæli signorumque motus, nec vicissitudines rerum atque ordines movent, neque id quod maximum est, majorum nostrorum sapientia, qui sacra, qui cæremonias, qui auspicia & ipsi sanctissime coluerunt, & nobis suis posteris prodiderunt.

XXXI. Est, est profecto illa vis: neque in his (*b*) corporibus, atque in hac imbecillitate nostra inest quiddam, quod vigeat, & sentiat, & non inest in hoc tanto naturæ tam præclaro motu. Nisi forte (*c*) idcirco esse non putant, quia non apparet, nec cernitur: proinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua providemus, qua hæc ipsa agimus ac dicimus, videre, aut plane, qualis, aut ubi sit, sentire possimus. Ea vis, ea (*d*) est igitur, quæ sæpe incredibiles huic urbi felicitates atque opes attulit; quæ illam perniciem extinxit ac sustulit; cui primum mentem injecit, ut vi irritare, ferroque lacessere fortissimum virum auderet, vinceretur que ab eo, quem si vicisset, habiturus esset impunitatem & licentiam sempiternam.

* Vulg. *nullam vim cælestem existimat, numenve divinum.*

ANALYSIS.

(a) *Nec vero*) Probat in primis esse Deos contra Epicureorum maxime sententiam; tum *ab Effectis*, a magnitudine Romani imperii, & optima mundi constitutione; tum ab auctoritate Majorum, qui Deos tot cæremoniis coli voluerunt; tum etiam *a Comparatione minorum:*

Probabilius est inesse mentem aliquam in Mundo, quam in humano corpore;

Sed in corpore humano inest mens aliqua, licet non videatur;

Ergo & in mundo inest Mens illa, quæ dicitur Deus.

(b) *Neque in his*) *Propositio.*

(c) *Nisi forte*) Quam confirmat approbando *Assumptionem:*

(d) *Ea vis, ea*) *Complexio*, simulque transit ad primam *Assumptionem*; ostendit enim, quomodo Dii ad supplicium traxerint Clodium, Probat autem *ab Adjunctis* loci, quia fuerat occisus ante lucos Albanos, quos everterat, & ante Sacrarium bonæ Deæ, cujus sacra vitiaverat.

nam. Non est humano consilio, ne mediocri quidem, Judices, deorum immortalium cura, res illa perfecta. Religiones mehercule ipsæ *, quæ illam belluam cadere viderunt, commosse se videntur, & jus in illo suum retinuisse.

Vos enim jam, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque testor, vosque Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi Romani sociæ & æquales (1), quas ille præceps amentia, cæsis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat: vestræ tum aræ, vestræ religiones viguerunt, vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat: tuque ex tuo edito monte, Latiaris (2) sancte Jupiter, cujus ille lacus **, nemora, finesque sæpe omni nefario stupro & scelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti: vobis illæ, vobis vestro in conspectu seræ, sed justæ tamen & debitæ pœnæ solutæ sunt. Nisi forte hoc etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sacrarium Bonæ deæ, quod est in fundo T. Sextii Galli, in primis honesti & ornati adolescentis, ante ipsam, inquam, Bonam deam, cum prælium commisisset, primum illud vulnus acceperit, quo teterrimam mortem obiret: ut non absolutus judicio illo nefario videretur, sed ad hanc insignem pœnam reservatus.

XXXII.

* Vulg. *aræque, cum illam . . . . commovisse*.
** al. *lucos*,
(1) *Vosque Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi Romani sociæ & æquales*) Cur æquales? Opinor, quod eadem frequentia & dignitate, qua ludos romanos, istas ferias celebrarent; & cuncti Magistratus interessent. Vid. Halicarn. lib. 8. Porro quod ad ritus attinet, videntur Consules ipsi omnes montis Albani tumulos obiisse, & quibusdam lustrationibus expiasse, lac libasse, caseos Diis obtulisse, agnos immolasse, postremo taurum mactatum, & in frusta discerptum singulis civitatibus divisisse. Cicero de suo Consulatu:
Tu quoque cum tumulos Albano in monte nivales
Lustrasti, & læto mactasti lacte Latinas. Abram.
Vulg. *obrutæ aræ sacrorum, populi Romani* &c.
(2) *Latiaris*) Vide Plin. xxxiv. 7. Vulg. *Latialis*.

XXXII. Nec vero (*a*) non eadem ira deorum hanc ejus satellitibus injecit amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu atque* ludis, sine exequiis, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore & luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, ambureretur abjectus (1). Non fuisse credo fas clarissimorum virorum formas illi teterrimo parricidæ aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potius mortem ejus lacerari, quam in quo vita esset damnata. Dura mihi (*b*), medius fidius, jam fortuna populi Romani & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc rempublicam insultare videret, & pateretur. Polluerat stupro sanctissimas religiones: senatus gravissima decreta perfregerat: pecunia se palam a judicibus redemerat: vexarat in tribunatu senatum: omnium ordinum consensu pro salute reipublicæ gesta resciderat: me patria expulerat: bona diripuerat: domum incenderat: liberos, conjugem meam vexaverat: Cn. Pompejo nefarium bellum indixerat: magistratuum, privatorumque cædes effecerat: domum mei fratris incenderat: vastarat Etruriam: multos sedibus ac fortunis ejecerat: instabat, urgebat: capere ejus amentiam civitas, Italia, provinciæ, regna non poterant: incidebantur jam domi leges, quæ nos nostris servis addicerent (2): nihil erat cujusquam, quod

* Vulg. *sine*.

(1) *Ambureretur abjectus*) Nocturnis canibus laniandus. Vel ambureretur postquam ejectus fuisset e domo, non depositus ad januam, & deinde elatus. *Abram*. Vulg. *ambureretur etiam abjectus*.

(2) *Incidebantur jam domi leges, quæ nos nostris servis addicerent*) Significasse jam puto nos, fuisse inter leges P. Clodii, quas ferre proposuerat, eam quoque, qua libertini, qui non plus quam in urbanis tribubus suffragium ferebant, possent in rusticis quoque tribubus, quæ propriæ ingenuorum sunt, ferre. *Asconius*.

ANALSIS.

(a) *Nec vero*) Tandem ab iis, quæ consecuta fuerunt; cum eadem ira Deorum factum sit, ut suorum satellitum opera etiam sepultura careret.

(b) *Dura mihi*) Hic est alter *Epilogus* eorum argumentorum, quæ sumuntur a persona Clodii: Voluisse nimirum Deos punire hominem sceleratum, & meditantem in Prætura Remp. evertere.

quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret. Obstabat ejus cogitationibus nemo, præter Milonem. Ipsum illum, qui poterat obstare *, novo reditu in gratiam quasi devinctum arbitrabatur: Cæsaris potentiam suam esse dicebat: bonorum animos etiam in meo casu contempserat: Milo unus urgebat.

XXXIII. Hic, dii immortales, ut supra dixi, mentem dederunt illi perdito ac furioso, ut huic faceret insidias. Aliter perire pestis illa non potuit: nunquam illum respublica suo jure esset ulta. Senatus, credo, prætorem eum circumscripsisset. Ne cum solebat quidem id facere, in privato eodem hoc, aliquid profecerat (1). An consules in prætore coercendo fortes fuissent? Primum, Milone occiso, habuisset suos consules: deinde quis in eo prætore consul fortis esset, per quem tribunum, virum consularem (2) crudelissime vexatum esse meminisset? Oppressisset omnia **, possideret, teneret: lege nova, quæ est inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis, servos nostros libertos suos fecisset. Postremo, nisi eum dii immortales in eam mentem impulissent, ut homo effœminatus fortissimum virum conaretur occidere, hodie rempublicam nullam haberetis.

An ille (*a*) prætor, ille vero consul, si modo hæc templa atque ipsa mœnia stare eo vivo tamdiu,

* Vulg. *præter illum Milonem ipsum, qui poterat obstare: Cn. Pompejum novo reditu.* ** Vulg. *omnia possideret, teneret.*

(1) *Ne cum solebat quidem id facere, in privato eodem hoc, aliquid profecerat*) Significat id tempus, quo P. Clodius, cum adhuc quæstor designatus esset, intravit eo, ubi sacrificium pro populo Romano fiebat. Quod factum notatum erat a senatu, decretumque ut extra ordinem judicium fieret. *Idem.*

(2) *Consularem*) Ciceronem. Vulg. *necatum.*

ANALYSIS.

(*a*) *An ille*) Hoc idem rursus amplificat *a Comparatione minorum*, quia maximum habere pondus videbatur ad Judicum animos promovendos:

Longe audacior erat Clodius, quam illius satellites;
Sed Clodio mortuo, unus ex iis satellitibus Curiam incendit;
Ergo multo pejora admitteret Clodius, si vivus, & Prætor esset.

diu, & consulatum ejus expectare potuissent, ille denique vivus mali nihil fecisset, qui mortuus, uno ex suis satellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? Quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum (*a*) sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo Romano concessam uni ordini, inflammari, exscindi, funestari? neque id fieri a multitudine imperita, quanquam esset miserum id ipsum, sed ab uno, qui cum tantum ausus sit ultor pro mortuo, quid signifer pro vivo non esset ausus? In curiam potissimum abjecit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus everterat.

Et sunt (*b*) qui de via Appia querantur, taceant de curia? & qui ab eo spirante forum putent potuisse * defendi, cujus non restiterit cadaveri curia? Excitate, excitate eum, si potestis, ab inferis. Frangetis impetum vivi, cujus vix sustinetis furias insepulti? nisi vero sustinuistis eos, qui cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum facibus ad Castoris (1), cum gladiis toto foro volitarunt. Cædi vidistis populum Romanum, concionem gladiis disturbari, cum audiretur silentio M. Celius, tribunus plebis, vir & in repu-

* Vulg. *ecquando ab eo spirante forum potuisset defendi*.

(1) *Cum facibus ad Castoris*) Hic locus varie concipitur; legitur, *Qui cum falcibus ad Curiam concurrerunt, cum fascibus ad Castoris*: item *cum fascibus*. Crediderim germanam hanc esse lectionem. *Qui cum facibus ad Curiam concurrerunt, cum fascibus ad Castoris*. Nam & Curia Clodianorum facibus deflagravit, & multitudo, ut jam vidimus in præfatione Asconii, fasces ex lecto Libitinæ raptos attulit ad domum Scipionis & Hypsæi, deinde ad hortos Cn. Pompeji, clamitans eum modo Consulem, modo Dictatorem. Cæterum obiter notandus est ritus, fasces Consulares, cum resp. Consules non haberet, ad pulvinar sive lectum Veneris Libitinæ perlatos, ejusque quasi custodiæ mandatos, ut cum novi Consules facti essent, inde promerentur. *Abram.*

ANALYSIS.

(a) *Templum*) Illustratur *Assumptio a Definitionibus* Curiæ conglobatis.

(b) *Et sunt*) Concludit itaque longe turpius esse incendi Curiam a mortuo Clodio, quam interfici Clodium in Appia via Majorum illius monumento, & omnia vivi Clodii furori cessura fuisse, cujus insepulti furias vix Urbs sustinuisset.

publica fortissimus, in suscepta causa firmissimus, & bonorum voluntati, & auctoritati senatus deditus, & in hac Milonis sive invidia, sive fortuna, singulari, divina & incredibili fide.

PERORATIO.

XXXIV. Sed jam (*a*) satis multa de causa, extra causam etiam nimis fortasse multa. Quid restat, nisi ut orem obtesterque vos, Judices, ut eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat, ego etiam, repugnante hoc, & imploro, & exposco? Nolite (*b*), si in nostro omnium fletu nullam lacrymam adspexistis Milonis, si vultum semper eundem, si vocem, si orationem stabilem ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere: atque haud scio, an multo etiam sit adjuvandus magis. Etenim si in gladiatoriis pugnis, & in infimi generis hominum conditione atque fortuna timidos, & supplices, & ut vivere liceat obsecrantes, etiam odisse solemus, fortes & animosos, & se acriter ipsos * morti offerentes, servare cupimus, eorumque nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant, quanto hoc magis in fortissimis civibus facere debemus?

Me quidem (*c*), Judices, exanimant & in-

* Al. *& se alacriter ipsi.*

ANALYSIS.

(a) *Sed jam*) Ad movendam *Misericordiam* juxta Arist. lib. 2. cap. 8. hoc fere Syllogismo tota *Peroratio* continetur, *ab Adjunctis*:

Virum constantem, fortem, benemeritum, sapientem ii damnare non debent, de quibus ille bene meritus est, Cicerone deprecatore;

Sed Milo vir est constans, benemeritus, fortis, sapiens, Judices ii, de quibus benemereri semper voluit, Cicero deprecator;

Ergo Milonem damnare non debetis.

(b) *Nolite*) *Propositio* quoad constantiam, ex tex. 92. qui enim constanter adversa perferunt, videntur indigni ea fortuna; probatque *a Simili*; nam si in gladiatoribus id valet, æque valere debet in Civibus.

(c) *Me quidem*) *Assumptio* de constantia Milonis, cui dat orationem dignam viro forti, & constanti.

terimunt hæ voces Milonis, quas audio assidue, & quibus intersum quotidie. Valeant, inquit, valeant cives mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati: stet hæc urbs præclara, mihique patria carissima, quoquo modo merita de me erit: tranquilla republica cives mei, quoniam mihi cum illis non licet, sine me ipsi, sed per me tamen, perfruantur: ego cedam atque abibo. Si mihi republica bona frui non licuerit, at carebo mala: & quam primum tetigero bene moratam & liberam civitatem, in ea conquiescam.

O frustra (*a*), inquit, suscepti mei labores! o spes fallaces! o cogitationes inanes meæ! Ego, cum tribunus plebis, republica oppressa, me senatui dedissem, quem extinctum acceperam, equitibus Romanis, quorum vires erant debiles, bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abjecerant, mihi unquam bonorum præsidium defuturum putarem? Ego, cum te (mecum enim sæpissime loquitur) patriæ reddidissem, mihi non futurum in patria putarem locum? Ubi nunc senatus est, quem secuti sumus? ubi equites Romani illi, illi, inquit, tui? ubi studia municipiorum? ubi Italiæ voces? ubi denique tua, M. Tulli, quæ plurimis fuit auxilio, vox & defensio? mihine ea soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest opitulari?

XXXV. Nec vero (*b*) hæc, Judices, ut ego nunc, flens, sed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis. Negat enim, se, negat ingratis civibus fecisse, quæ fecit: timidis, & omnia circumspicientibus

tibus

ANALYSIS.

(a) *O frustra*) Ostendit, quam semper voluerit Milo de bonis omnibus, adeoque de ipsis Judicibus bene mereri; hinc *Misericordia*, ex tex. 89. quod inde malum timeret, unde maxima bona speraverat.

(b) *Nec vero*) Attingit illius merita in Senatum, & Populum, populi etiam, & Senatus in eumdem benevolentiam *ab Effectis*.

tibus pericula, non negat. (1) Plebem, & infimam multitudinem, quæ, P. Clodio duce, fortu-

P 2 nis

(1) *Verſ. a noviſſ.* CLX. Quo loco inducit loquentem Milonem cum bonarum partium hominibus, de meritis ſuis. *Plebem, & infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis veſtris imminebat, eam, quo tutior eſſet veſtra vita, ſe feciſſe commemorat, ut non modo virtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniret*) Puto jam ſupra eſſe dictum, Milonem ex familia fuiſſe Papia, deinde adoptatum fuiſſe a C. Annio avo ſuo materno. Tertium patrimonium videtur ſignificare matris. Aliud enim quod fuerit, non invenio. Peracta utrinque cauſa, ſinguli quinos accuſator & reus ſenatores, totidem equites, & tribunos ærarios rejecerunt. Ita ut unus & quinquaginta ſententias tulerint. Senatores condemnaverunt XII, abſolverunt VI. Equites condemnaverunt XIII, abſolverunt IV. Tribuni ærarii condemnaverunt XIII, abſolverunt III. Videbantur non ignoraſſe judices, inſcio Milone initio vulneratum eſſe Clodium: ſed compererant, poſtquam vulneratus eſſet, juſſu Milonis occiſum. Fuerunt, qui crederent, M. Catonis ſententia eum eſſe abſolutum. Nam & bene cum republica actum eſſe morte P. Clodii non diſſimulaverat, & ſtudebat in petitione conſulatus Miloni, & reo affuerat. Nominaverat quoque eum Cicero præſentem, & teſtatus erat, audiſſe eum a M. Favonio ante diem tertium, quam cædes facta erat, Clodium dixiſſe periturum eſſe eo triduo Milonem. Sed Milonis quoque notam audaciam vindicare P. R. utile viſum eſt: unde ſciri unquam potuit utram ſententiam tuliſſet? Damnatum autem opera maxime Appi Claudii, pronuntiatum eſt. Milo poſtero die factus reus ambitus apud Manlium Torquatum, abſens damnatus eſt. Illa quoque lege accuſator fuit ejus Appius Claudius, & cum ei præmium lege daretur, negavit ei. Subſcripſerunt & in ambitus judicio P. Valerius Leo, & Cn. Domitius, Cn. F. Poſt paucos dies quoque Milo apud Favonium quæſtorem de ſodalitiis damnatus eſt, accuſante P. Fulvio Nerato, cui lege præmium datum eſt. Deinde apud L. Fabium quæſtorem iterum abſens damnatus eſt de vi. Accuſavit L. Cornificius, & Q. Patulcius. Milo in exilium Maſſiliam intra pauciſſimos dies profectus eſt. Bona ejus propter alieni æris magnitudinem ſemuncia venierunt. Poſt Milonem, eadem lege Pompeja primus eſt accuſatus M. Saufejus M. F. qui dux fuerat in expugnanda taberna Bovillis & Clodio occidendo. Accuſaverunt eum L. Caſſius, L. Fulcinius C. filius, C. Valerius. Defenderunt M. Cicero, M. Celius: obtinueruntque, ut una ſententia abſolveretur. Condemnaverunt ſenatores X, abſolverunt VIII. Condemnaverunt equites Romani IX, abſolverunt VIII. ſed ex tribunis ærariis decem abſolverunt, VI condemnaverunt; manifeſtumque odium Clodii ſaluti Saufejo fuit, cum ejus vel pejor cauſa quam Milonis fuiſſet, qui aperte dux fuerat expugnandæ tabernæ repertus. Deinde poſt paucos dies apud Conſidium quæſtorem lege Plantia de vi, ſubſcriptione eadem accuſatus eſt, quod loca occupaſſet, & cum telo fuiſſet anteſignanus operarum Milonis. Accuſaverunt C. Fidius, Cn. Aponius, Cn. filius, M. Sejus, Sex. F. Defenderunt M. Cicero, M. Terentius

Varro

nis vestris imminebat, eam, quo tutior esset vita nostra, suam se fecisse commemorat, ut non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimoniis deliniret: nec timet, ne, cum plebem muneribus placarit, vos non conciliarit meritis in rempublicam singularibus. Senatus erga se benevolentiam temporibus his ipsis sæpe esse perspectam, vestras vero, & vestrorum ordinum occursationes, studia, sermones, quemcunque cursum * fortuna dederit, secum se ablaturum esse dicit.

Meminit etiam, sibi vocem præconis modo defuisse, quam minime desiderarit: populi vero cunctis suffragiis, quod unum cupierit, se consulem declaratum. Nunc denique, si hæc arma contra se sint futura, sibi facinoris suspicionem, non facti crimen obstare. Addit hæc (*a*), quæ certe vera sunt, fortes & sapientes viros non tam præmia sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta: se nihil in vita nisi præclarissime fecisse; si quidem nihil sit præstabilius viro, quam periculis patriam liberare: beatos esse, quibus ea res honori fuerit a suis civibus: nec tamen eos miseros, qui beneficio cives suos vicerint: sed tamen ex omnibus præmiis virtutis, si esset habenda ratio præmiorum, amplissimum esse præmium, gloriam: esse hanc unam, quæ brevita-

Varro Gibba. Absolutus est sententiis plenius, quam prius. Graves habuit XIX, absolutorias II & XXX. Sed e contrario hoc, ac priore judicio, accidit. Equites enim, ac senatores eum absolverunt, tribuni ærarii damnaverunt. Sex. autem Clodius, quo auctore corpus Clodii in curiam illatum fuit, accusantibus C. Cesennio Philone, M. Aufidio, L. Aponio, magno consensu damnatus est, sententiis VI & XI, absolutorias v. omnino habuit, duas senatorum, tres equitum. Multi præterea, & præsentes, & cum citati non respondissent, damnati sunt, ex quibus maxima pars fuit Clodianorum. *Ascon.*

* Vulg. *casum*.

ANALYSIS.

(a) *Addit hæc*) Sapientia, cum gloriam unam maximi faciat, cætera negligit; sed sunt hujusmodi constantis etiam, & fortis viri.

vitatem vitæ posteritatis memoria consolaretur: quæ efficeret, ut absentes adessemus, mortui viveremus: hanc denique esse, cujus gradibus etiam homines in cælum viderentur * adscendere. De me, inquit, semper populus Romanus, semper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmutescet vetustas. Quin hoc tempore ipso, cum omnes a meis ** inimicis faces meæ invidiæ subjiciantur; tamen omni in hominum coetu, gratiis agendis, & gratulationibus habendis, & omni sermone celebramur. Omitto Etruriæ festos & actos & institutos dies. Centesima lux est hæc ab interitu P. Clodii, &, opinor, ultra quam fines imperii populi Romani sunt, ea *** non solum fama jam de illo, sed etiam lætitia peragravit. Quamobrem, ubi corpus hoc sit, non, inquit, laboro, quoniam omnibus in terris & jam versatur, & semper habitabit nominis mei gloria.

XXXVI. Hæc tu (*a*) mecum sæpe, his absentibus: sed iisdem audientibus, hæc ego tecum, Milo. Te quidem, quod isto animo es, satis laudare non possum: sed, quo est ista magis divina virtus, eo majore a te dolore divellor. Nec vero, si mihi eriperis, reliqua est illa saltem ad consolandum querela, ut his irasci possim, a quibus tantum vulnus accepero. Non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi; non male aliquando de me meriti, sed semper optime. Nullum unquam, Judices, mihi, tantum dolorem inuretis, (etsi quis potest esse tantus?) sed ne hunc quidem ipsum, ut obliviscar, quanti me semper feceretis. Quæ si vos cepit oblivio, aut si in me aliquid offendistis, cur non id meo capite potius luitur, quam Milonis?

* Vulg. *videantur*. ** Vict. Man. *suis*. Lamb. *tuis*.
*** In Vulg. deest *ea*.

ANALYSIS.

(a.) *Hæc tu*) Nunc sua in Milonem officia commemorat, & pro eodem Judices deprecatur.

nis? Præclare enim vixero, si quid mihi acciderit prius, quam hoc tantum mali videro.

Nunc me una consolatio sustentat, quod tibi, T. Anni, nullum a me amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetivi: ego meum sæpe corpus & vitam objeci armis inimicorum tuorum: ego me plurimis pro te supplicem abjeci: bona, fortunas meas, ac liberorum meorum, in communionem tuorum temporum contuli: hoc denique ipso die, si qua vis est parata, si qua diminutio * capitis futura, deposco. Quid jam restat? quid habeo, quod dicam, quod faciam pro tuis in me meritis, nisi ut eam fortunam, quæcumque erit tua, ducam meam? Non recuso, non abnuo: vosque obsecro, Judices, ut vestra beneficia, quæ in me cotulistis, aut in hujus salute augeatis, aut in ejusdem exitio occasura esse videatis **.

XXXVII. His lacrimis (*a*) non movetur Milo. Est quodam incredibili robore animi ***: exilium ibi esse putat, ubi virtuti non sit locus: mortem naturæ finem esse, non pœnam. Sit hic ea mente, qua natus est: quid vos, Judices? quo tandem animo eritis? Memoriam Milonis retinebitis, ipsum ejicietis? & erit dignior locus in terris ullus, qui hanc virtutem excipiat, quam hic, qui procreavit? Vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum pro republica sanguinem effudistis, vos in viri & in civis invicti appello periculo, centuriones, vosque milites: vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis, & huic judicio præsidentibus, hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? projicietur ****?

O me

* Vulg. *dimicatio*. ** Vulg. *jubeatis*.
*** In vulg. sequitur *septus*. **** Vulg. *ejicietur?*

ANALYSIS.

(a) *His lacrymis*) Virum esse fortem ostendit, eumque propterea non Judicibus tantum, sed etiam militibus commendat, qui aderant jussu Pompeji.

O me miserum (*a*)! o infelicem! revocare tu me in patriam, Milo, potuisti per hos, ego te in patria per eosdem retinere non potero? Quid respondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Q. frater, qui nunc abes, consorti mecum temporum illorum? me non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem, per quos nostram ille servasset? At in qua causa non potuisse? quæ est grata gentibus. A quibus non potuisse? ab iis, qui maxime P. Clodii morte acquierunt. Quo deprecante? me.

Quodnam ego concepi tantum scelus? aut quod in me tantum facinus admisi, Judices, cum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, extinxi? Omnes in me, meosque redundant ex fonte illo dolores. Quid me reducem esse voluistis? an ut, inspectante me, expellerentur, per quos essem restitutus? Nolite, obsecro vos, pati, mihi acerbiorem reditum esse, quam fuerit ille ipse discessus. Nam qui possum putare me restitutum esse, si distrahor ab iis, per quos restitutus sum?

XXXVIII. Utinam dii immortales fecissent (pace tua, Patria, dixerim: metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie) ut P. Clodius non modo viveret, sed etiam prætor, consul, dictator esset potius *, quam hoc spectaculum viderem. O dii immortales! fortem, & a vobis, Judices, conservandum virum! Minime, minime, inquit. Immo vero pœnas ille debitas luerit; nos subeamus, si ita necesse est, non debitas. Hiccine vir patriæ natus, usquam, nisi in patria, morietur? aut, si forte pro patria, hu-

P 4

* Vulg. *antequam*.

ANALYSIS.

(a) *O me miserum*.) Denique omnia simul complectitur; Milonis in se merita; suas pro illo preces. Viri constantiam, & gloriam, Pompeji animum minime malevolum.

hujus vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulcrum esse patiemini? hunc sua quisquam sententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulsum a vobis ad se vocabunt?

O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit, hanc ingratam, si ejecerit, miseram, si amiserit! Sed finis sit: neque enim præ lacrymis jam loqui possum, & hic se lacrymis defendi vetat. Vos oro obtestorque, Judices, ut in sententiis ferendis, quod sentietis, id audeatis. Vestram virtutem, justitiam, fidem, mihi credite, is maxime probabit, qui in judicibus legendis optimum, & sapientissimum, & fortissimum quemque legit (1).

(1) *Et sapientissimum, & fortissimum quemque legit*) Ita supplent Pal. pr. test. grut. Enfurd. Hist. quorum tamen tres priores *legit*: ultimus vero *elegit*: & tertium certe epitheton necessarium erat ob tribunos ærarios. *Grut.*



POR

PRO
C. RABIRIO POSTUMO.
ORATIO XXXIX.

ARGUMENTUM.

Legis Juliæ de repetundis caput quoddam erat, Quo ea pecunia pervenisset*: ut, si de repetundis damnatus non cavisset populo prædibus ante judicium datis, neque bonorum suorum venditione post damnationem satisfecisset, ii postularentur, ad quos ea pecunia pervenisset. A. Gabinius Syriæ proconsul cum Romam revertisset Ap. Claudio & L. Domitio Coss. accusatus est de majestate apud C. Alfium, & absolutus: accusatus iterum de repetundis apud M. Catonem damnatus est, quod accepta pecunia Ptolemæum in regnum restituisset. Gabinio damnato lis, ut mos erat, æstimata est decem millibus talentum: cumque ex illius bonis tantum pecuniæ non posset redigi, neque antea prædes populo dedisset; accusatus est ab eodem Gabinii accusatore C. Memmio Tribuno pl. C. Rabirius apud eosdem judices, quasi ad eum ea pecunia pervenisset. Cicero defendit.* Ferratius.

ORATIONIS SYNOPSIS.

HÆc Oratio est in genere *Judiciali*, an Rabirius sit reus eo capite legis Juliæ: *Quo ea pecunia pervenerit*; partes quatuor sunt, *Exordium*, *Narratio*, *Contentio*, *Peroratio*.

Exordium sumitur a temeritate Rabirii in credendis regi pecuniis, quam excusat *ab eventu: Quan-*

Quanquam hoc plerumque ; & *a Causis* , quia id fecit æmulatione Patris : *Sed tamen*, *si quis est*.

In *Narratione* exponit, quo modo Pater, & Filius versati sint in negotiis: *Fuit enim*, *pueris nobis ;* & quo consilio Postumus pecuniam regi crediderit. *Pulsus interea regno*.

1. Primum crimen de corrupto Senatu refellit tum *a Congruo* , quia accusandi forent ipsi Senatores: *O dii immortales!* tum *a Causis*, quod non fuerat illius mali causa Rabirius : *Omni equidem loco ;* & orationis *Propositionem* subjungit : *Quod si item a Gabinio*.

2. Ostendit Rabirium non posse accusari lege Julia de repetundis , tum quia non fuerat appellatus in æstimandis litibus Gabinio : *Si est hoc novum ;* tum quia Equites Romani non tenentur ea lege: *Hic jam*, *Judices*.

3. Negat Gabinium fuisse a Postumo impulsum, ut regem reduceret, & arguit *ab Adjunctis*, quia neque id dixerat accusator in causa Gabinii, & ipse Gabinius homo avarissimus , tanta oblata pecunia, non egebat impulsore : *Sed tamen*, *cum ita dicis*.

4. Quod fuerit regius procurator, & pallium Alexandriæ induerit, defendit *a Causis*, quod ut pecuniam suam reciperet , non potuerit non ingredi regnum , ingressus non potuerit non ea pati , urgente Rege: *At diœcetes fuit*.

5. Mille talenta non pervenisse ad Postumum probat , quia neque accedere summæ decem millium, neque de ea summa detrahi potuerunt: *Non intelligo hoc*. Alexandrinos testes refellit a consuetudine judiciorum: *Aderunt testes ;* Causam affert, cur ipse Gabinium defenderit: *Et ait etiam ;* Redarguit Alexandrinos *ab inconstantia*: *Quod habent os ?* & a consuetudine iterum judiciorum : *Præsertim Judices*.

6. Non

6. Non esse accusandum hac lege Postumum contendit, quia neque creditam Regi pecuniam recuperaverat: *Nunc vero, quid agitur?* Ostendit etiam non celari a Postumo pecuniam, *a remotione Causarum: At habet, & celat.* Et duabus conjecturis respondet: *Dominatus est enim.*

In *Peroratione*, ut confirmet non celari a Postumo pecuniam regiam, exponit eum inopem sustentari a C. Cæsare: *Verum autem*; duas etiam proponit conditiones: *Sed ut omnium*; & *misericordiam* movet.

E X O R D I U M.

1. SI quis est (*a*), Judices, qui C. Rabirium, quod suæ fortunæ fundatas præsertim, atque optime constitutas opes (1) potestati regiæ (2) libidinique commiserit, reprehendendum putet, adscribat ad judicium suum non modo meam, sed hujus etiam ipsius, qui commisit, sententiam. Neque enim cuiquam ejus consilium vehementius, quam ipsi, displicet. Quanquam (*b*) hoc plerumque facimus, ut consilia eventis ponderemus: &, cui bene quid processerit, multum illum providisse, cui secus, nihil sensisse * dicamus. Si extitisset

(*a*)

* Lamb. *vidisse.*

(1) *Suæ fortunæ ... opes*) Vide Mureti Var. Lect. XVII. 5.

(2) *Potestati regiæ*) Ptolemæo, quod ex narratione perspicuum erit. *Hot.*

ANALYSIS.

(*a*) *Si quis est*) Sumit *Exordium* a temeritate, quæ objici poterat Postumo, quod suas facultates imprudenter Regi Ægyptiaco credidisset. Culpam fatetur, adeoque illi conciliat *benevolentiam* judicum, ex Arist. l. 2. c. 4. t. 26.

(b) *Quanquam*) Deinde eum excusat, hujusmodi ratione:
Consilia non sunt vel laudanda, vel reprehendenda ex eventu;
Sed consilium Postumi optimum fuisset, nisi malum habuisset eventum;
Ergo non ideo debemus reprehendere.
Quanquam) *Propositio*; vituperat enim illam male judicandi consuetudinem.

(*a*) in rege fides, nihil sapientius Postumo: quia fefellit rex, nihil hoc amentius dicitur; ut jam nihil (*b*) esse videatur, nisi divinare, sapientis. Sed tamen (*c*), si quis est, Judices, qui illam Postumi, sive inanem spem, sive inconsultam rationem, sive (gravissimo * verbo utar) temeritatem vituperandam putet, ego ejus opinioni non repugno: illud tamen deprecor, ut, cum ab ipsa fortuna crudelissime videat hujus consilia esse multata, ne quid ad eas ruinas, quibus hic oppressus est, addendum acerbitatis putet. Satis est homines imprudentia lapsos non erigere: urgere vero jacentes, aut præcipitantes impellere, certe est inhumanum: præsertim (*c*), Judices, cum sit hoc generi hominum prope natura datum, uti, qua in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere, qui sunt ejus stirpis, quod sermone hominum ad memoriam patrum virtus celebretur (1), cupidissime persequantur: siquidem non modo in gloria rei militaris Paulum Scipio, aut Maximum filius, sed etiam in devotione vitæ, & in ipso genere mor-

* Vulg. *ut gravissimo.*

(1) *Quod sermone hominum ad memoriam patrum virtus celebretur*) Cum sæpe homines patrum virtutem commemorent in filiis ornandis. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *Si extitisset*) *Assumptio.*

(b) *Ut jam nihil*) *Propositionis* approbatio *a Consequentibus*, quia cum eventus sint incerti, sapiens etiam incertus esset; laude ne, an vituperatione dignum futurum esset, quod ageret; hoc est autem maxime absurdum.

(c) *Sed tamen*) Rursus acrius defendit Postumum *a Causis*; præmissa deprecatione, qua *lenes* Judices facit in eum, qui satis jam pœnarum dederat, ex Arist. l. 2. c. 3. t. 18. Sic igitur defensio se habet:

Qui Patris studia imitatur, non est reprehendendus;
Sed Postumus augendis opibus operam dedit exemplo Patris;
Ergo non est reprehendendus.

(d) *Præsertim*) *Propositionis* approbatio a Consuetudine quam præterea confirmat ab *Exemplis similibus*; *Assumptio* manifesta est ex *Narratione.*

mortis imitatus eſt P. Decium filius. Sint igitur ſimilia, Judices, parva magnis (1).

N A R R A T I O.

II. Fuit enim (*a*), pueris nobis, hujus pater C. Curius princeps ordinis equeſtris, fortiſſimus, & maximus publicanus: cujus in negotiis gerendis magnitudinem animi non tam homines probaſſent, niſi in eodem benignitas incredibilis fuiſſet: ut in augenda re non avaritiæ prædam, ſed inſtrumentum bonitati quærere videretur. Hoc ille natus, quamvis patrem ſuum nunquam viderat (2), tamen & natura ipſa duce, quæ plurimum valet, & aſſiduis domeſticorum ſermonibus, in paternæ culpæ * ſimilitudinem deductus eſt. Multa geſſit: multa contraxit: magnas partes (3) habuit publicorum (4): credidit populis: in pluribus provinciis ejus verſata res eſt: dedit ſe etiam regibus (5): huic ipſi Alexandrino grandem jam antea pecuniam credidit: nec interea locupletare amicos unquam ſuos deſtitit, mittere in negotium (6), dare

* Al. *curæ*.

(1) *Parva magnis*) Publicanus Imperatoribus. *Idem*.

(2) *Nunquam viderat*) Unde Poſtumi cognomen accepit. *Man.*

(3) *Magnas partes*) Præcipuas curationes: ut infra: *Dare partes*. Idem.

(4) *Publicorum*) Sic Pall. ambo, neque aliter citat Turnebus, lib. x. Adverſar. cap. 23. legique ſic voluit Cujacius, lib. x. Obſerv. cap. 20. Muretus, XVII. Vulg. *publicanorum*. Grut.

(5) *Dedit ſe etiam regibus*) *Dare ſe alicui* eſt offerre alicui ſua officia, & operam, & facere, quod quis vult. Cic. II. epiſt. ad Fam. 8. *Da te homini, complectetur, mihi crede*. Grævius, Videatur item Turnebus, Adverſ. lib. x. cap. 23.

(6) *Mittere in negotium*) Ad obeunda ſocietatum negotia: ad deportandas pecunias, quæ a ſocietate credebantur; aut ad eas exigendas. *Hotom.*

A N A L Y S I S.

(a) *Fuit enim*) Exponit, quanta cum liberalitate, animique magnitudine verſati fuerint in negotiis tum pater, tum filius; qua ſpe hic pecuniam crediderit Regi; quo conſilio ſuas, & amicorum etiam pecunias eidem crediderit. Quibus dignum *miſericordia* facit Rabirium, ſeque parat ad Defenſionem.

dare partes, re augere *, fide sustentare. Quid multa? cum magnitudine animi, tum liberalitate, vitam patris & consuetudinem expresserat. Pulsus interea regno Ptolemæus dolosis consiliis (ut dixit Sibylla (1), sensit Postumus) Romam venit. Huic egenti, & roganti hic infelix pecuniam credidit: nec tum primum. Nam regnanti crediderat absens: nec temere se credere putabat, quod erat nemini dubium, quin is in regnum restitueretur a senatu, populoque Romano. In dando autem, & credendo processit longius: nec suam solum pecuniam credidit, sed etiam amicorum: stulte; quis negat? aut quis jam non admonet? Quod male (2) cecidit, bene consultum putares. Id est difficile, quod cum spe magna sis ingressus, id non exequi usque ad extremum. Supplex erat rex, multa rogabat, omnia pollicebatur: ut jam metuere Postumus cogeretur, ne, quod crediderat, perderet, si credendi constituisset modum. Nihil autem erat illo blandius, nihil hoc benignius: ut magis pœniteret cœpisse, quam liceret desistere.

CON-

* In Vulg. deest *re*.

(1) *Dixit Sibylla*) Cum a Senatu decretum esset, ut Lentulus, qui tum proconsul Ciliciam obtinebat, Regem reduceret, Rex autem legatos Alexandrinorum, qui Romam causam expulsionis dicturi veniebant, partim interficiendos, partim corrumpendos curasset; Jovis statua in Albano posita de cælo tacta est: ob eam causam Sybillini libri consulti sunt, in quibus ita scriptum fuit: *Si Ægypti rex venerit, opis indigens, amicitiam quidem ne recusetis, exercitu autem ne illum adjuvetis, alioquin in labores & discrimina curretis. Quæ verba Senatus cum iis quæ acciderant conferens, ea quæ prius decreverat religionis causa (ut dicebant) abrogavit*. Hæc Dio. Sed tamen Cicero ad Lentulum scribens lib. epist. famil. I. ficta & simulata hæc fuisse omnia confirmat. *Hot.*

(2) *Quod male*) Ant. Augustinus legebat: *Quod male cecidit: id si bene, bene consultum putares*. al. *aut quis jam non admonet, quod male cecidit, id non bene consultum putare? sed est difficile*.

CONTENTIO.

III. Hinc primum (*a*) exoritur crimen illud: senatum corruptum esse dicunt (1). O dii immortales! hæc est illa exoptata judiciorum severitas? corruptores nostri causam dicunt (2): nos, qui corrupti sumus, non dicimus (3). Quid ergo * (*b*)? senatum defendam hoc loco, Judices? Omni

* Vulg. *quid ego senatum*.

(1) *Hinc primum exoritur crimen illud: Senatum corruptum esse dicunt*) Vel *hic* legatur pro *hinc*, & tunc sententia erit clarior: vel omnia illa deleantur, *primum exoritur crimen illud*. Et tunc exponam, *hinc*, ex hac pecunia scilicet, corruptum esse senatum dicunt. Delenda quidem esse videntur, tum quod ex loco inferiore desumpta esse appareant, *at ex hoc ipso crimen exoritur*: tum etiam, quod si non deleantur, nullam fere accusatio illa sequens adversus Rabirium vim haberet, quod senatus corruptus esse diceretur. Nunc deletis illis, & iis, quæ restant, conjunctis inter se, sic, *hinc Senatum corruptum esse dicunt*, vim accusatio majorem habet, cum objicitur Rabirio, quod ex ea pecunia, quam ille Regi credidisset, corruptus esse Senatus dicatur. Quoad tamen verba illa attinet, *primum exoritur crimen illud*, sic etiam loquitur in ea pro Ligario cap. 7. *Hinc in Ligarium crimen exoritur*. Patricius.

(2) *Causam dicunt*) Rei sunt, accusantur. *Manutius*.

(3) *Non dicimus*) Nam si, qui corrupit, accusatur: cur non simul is, qui corruptus est? *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Hinc primum*) Ad primum crimen descendit, quod est extra causam; ea pecunia, quam Postumus Regi crediderat, corruptum fuisse Senatum, ut Ep. 1. l. 1. ad Lentulum. Cicero id in primis refellit hoc argumento *a Congruo*.

Major est eorum culpa, qui corrupti sunt, quam eorum, qui corruperunt;

Sed Senatores qui corrupti dicuntur, non accusantur;

Ergo multo minus accusari debet Rabirius, qui corrupisse dicitur.

(b) *Quid ergo?*) Negat deinde factum, & refert in quos Regis sumptus collata sit pecunia a Rabirio. Quod si reipsa corruptus fuisset Senatus, adhuc nullam esse Postumi culpam contendit, sic *a Causis*:

Qui dat alteri pecuniam nihil improbe cogitans, non est in culpa, licet qui accipit, ea pecunia in Remp. abutatur;

Sed, cum Postumus dabat Regi pecuniam, nullum inde malum futurum suspicatus est;

Ergo Postumus non est in culpa, licet Rex pecunia Senatum corruperit.

Omni equidem loco debeo; ita de me est meritus ille ordo: sed id nec agitur hoc tempore, nec cum Postumi causa res ista conjuncta est. Quanquam ad sumptum itineris, ad illam magnificentiam apparatus, comitatumque regium suppeditata pecunia a Postumo est, factæque syngraphæ sunt in Albano Cn. Pompeji, cum ille Roma profectus esset: tamen (*a*) non debuit is, qui dabat, quo ille, qui accipiebat, consumeret, quærere. Non enim (*b*) latroni, sed regi credidit: nec regi inimico populi Romani, sed ei, cujus reditum consuli datum a senatu videbat: nec ei regi, qui alienus ab hoc imperio esset, sed ei, quicum fœdus feriri in Capitolio viderat.

Quod si (*c*) creditor in culpa sit, non qui est improbe credita pecunia usus, damnetur is, qui fabricatus gladium est & vendidit, non is, qui illo gladio civem aliquem interemit. Quamobrem (*d*) neque tu, C. Memmi, hoc facere debes, ut senatum, cujus auctoritati te ab adolescentia dedisti, in tanta infamia versari velis, neque ego id, quod non agitur, defendere. Postumi enim causa, quæcunque est, sejuncta a senatu est. Quod si item a Gabinio sejunctam ostendero, certe, quod dicas, nihil habebis.

IV. Est enim hæc causa, *quo ea pecunia pervenerit* (1), quasi quædam appendicula causæ judicatæ,

* Muret. *commendatum*.

(1) *Quo ea pecunia pervenerit*) Verba legis Juliæ adversus omnes, qui partem aliquam pecuniæ contra leges accepissent. Qui non accusabantur primo loco, sed post eum, in quem totum illud acceptæ pecuniæ crimen conjiceretur. Qui si erat absolutus, nemo

ANALYSIS.

(a) *Tamen*) *Propositio*.

(b) *Non enim*) *Assumptionis* approbatio *ab Adjunctis* personæ, cui pecunia credita est.

(c) *Quod si*) *Propositionis* approbatio *a Pari*.

(d) *Quamobrem*) *Conclusio*, cui *Propositionem* orationis addit; non posse Postumum reum esse, si ejus causa sejuncta sit a Causa Gabinii.

catæ atque damnatæ. Sunt lites (*a*) æstimatæ A. Gabinio (1): nec prædes dati, nec ex ejus bonis, quanta summa litium fuisset, a populo recipi (2), lex æqua est. Jubet lex Julia persequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, pervenerit. Si est hoc (*b*) novum (3) in lege Julia, sicuti multa sunt severius scri-

nemo præterea accusabatur. Sin damnatus, accusabantur ii, ad quos ejus pecuniæ pars pervenisse putaretur. Ideo subjungit: *quasi quædam appendicula causæ judicatæ atque damnatæ*. Idem.

(1) *Sunt lites æstimatæ A. Gabinio*) Damnato reo, æstimatio fiebat acceptæ ab eo pecuniæ. Eam pecuniam aut prædes dati se soluturos pollicebantur, aut ex rei bonis auctione venditis exigi oportebat. Neutrum dicit esse factum. *Idem*.

(2) *Nec ex ejus bonis, quanta summa litium fuisset, a populo recipi &c.*) Lectio corruptissima. Quomodo legatur in scripturis suis, prodidit Turnebus, Adversf. x. 23. Nam ut veteris editionis, & Pall. variantes adscribam, otium non est. Muretus ait erutam a se veram lectionem e Ciofani libro; *litium fuit, servari potest*. Cujacius Paratitlis ad D. Lege Julia reputandarum, legendum esse asserit, *litium fuisset, pecuniæ servatæ*. Gruter. Legit autem Lambinus, *Nec ex ejus bonis, quanta summa litium fuisset recepta. Lex ecqua est? Jubet lex, &c.* Bene quidem, si ex MSS. Confer, quæ infra leguntur, cap. 13. *Olivet.*

(3) *Si est hoc novum*) Mihi vero simillima videtur emendatio Mureti, qui legit e duobus manuscriptis: *Si est hoc novum in lege Julia, sicuti multa sunt severius scripta, quam in antiquis legibus, & sanctius; inducatur sane etiam consuetudo hujus generis judiciorum nova*. Pro *judicata* scribitur sane in Francii etiam *inducatur*. Ex vulgata nullam sententiam commodam extorqueas, nec quid sibi hic velit *judicata*, facile dicas. Nam valde friget oratio, si sic explices quæ & sanctius esse scripta ab homini-

A N A L Y S I S.

(a) *Sunt lites*) Constitutio Causæ; Gabinio damnato lis fuit existimata; ex ejus bonis summa æstimatæ pecuniæ redigi non potest, nec prædes dedit; quærendum est in eos, ad quos ea pecunia pervenerit lege Julia; eum esse Rabirium accusator contendit; Cicero in primis negat quæri posse in Rabirium duobus argumentis ex ipsa lege desumptis, quorum primum tale est:

Nemo potest accusari eo legis Juliæ capite, quo ea pecunia pervenerit, nisi qui appellatus fuerit in litibus æstimandis;
Sed minime appellatus est Rabirius, cum lis æstimaretur Gabinio;
Ergo Rabirius eo legis capite vocari in judicium non potest.

(b) *Si est hoc*) *Propositio* approbata; nam illud caput legis Juliæ desumptum est ex veteribus legibus Servilia, & Cornelia, quibus ii soli tenebantur, qui appellati fuissent in litibus æstimandis; quod probat suo testimonio, & consuetudine judiciorum ante legem Juliam de repetundis.

pta, quam in antiquis legibus, & sanctius judicata, sane etiam consuetudo hujus generis judiciorum nova: sin hoc totidem verbis translatum caput est, * quod fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia, per deos immortales! quid agimus, Judices? aut quem hunc morem novorum judiciorum in rempublicam inducimus? Erat enim hæc consuetudo nota vobis quidem omnibus, sed, si usus magister est optimus, mihi debet esse notissima. Accusavi de pecuniis repetundis: judex sedi: prætor quæsivi: defendi plurimos. Nulla pars, quæ aliquam facultatem dicendi (1) afferre posset, non mea fuit. Ita contendo, neminem unquam, *quo ea pecunia pervenisset*, causam dixisse, qui in æstimandis litibus appellatus non esset. In litibus autem nemo appellabatur, nisi ex testium dictis, aut tabulis privatorum, aut rationibus civitatum (2). Itaque in inferendis litibus adesse solebant, qui aliquid de se verebantur: &, cum erant appellati, si videbatur, statim contra dicere solebant: sin ejus temporis recentem invidiam pertimuerant, respondebant postea: quod cum fecissent, permulti sæpe vicerunt.

V. Hoc vero novum est, ante hoc tempus omnino inauditum. In litibus Postumi nomen est nusquam.

minibus judicata sunt. Nunquam sic scripsit Cicero. Vera est manuscriptorum Mureti & Francii lectio. Sequentia clamant, hanc esse solam probandam. *Sin hoc totidem verbis, &c. quid agimus. Judices? aut quem hunc morem novorum judiciorum inducimus?* Si hoc novum est, & ex lege Julia proficiscitur; inducantur nova judicia. Sin vero hoc antiquum est, & ex vetustioribus legitur in Juliam translatum, cur novum judiciorum morem inducimus? Nihil certius. *Græv.*

* Man. Lamb. *quot*.

(1) *Dicendi*) Malo *discendi*, quod alii ante nos viderunt. Non enim hic de eloquentia sermo est, sed de notitia consuetudinis judiciorum, quam sibi dixit, si usus magister est optimus, debere esse notissimam. *Manutius*.

(2) *Rationibus civitatum*) Quæ recitari solebant in judicio: ut ex iis constaret, quam quisque pecuniam contra legem cepisset. *Idem*.

nusquam. In litibus (*a*) dico? modo vos iidem in A. Gabinium judices sedistis: num quis testis Postumum appellavit? Testis autem? num accusator? num denique toto illo judicio Postumi nomen audistis? Non igitur (*b*) reus ex ea causa, quæ judicata est, redundat Postumus, sed est arreptus unus eques Romanus de pecuniis repetundis reus. Quibus tabulis? quæ in judicio A. Gabinii * recitatæ non sunt. Quo teste? a quo tum appellatus nusquam est. Qua appellatione ** litium? in qua Postumi mentio facta nulla est. Qua lege? qua non tenetur. Hic jam (*c*), Judices, vestri consilii res est, vestræ sapientiæ: quid deceat vos, non quantum liceat vobis, spectare debetis. Si enim, quid liceat, quæritis, potestis tollere e civitate, quem vultis. Tabella est, quæ dat potestatem: occultat eadem libidinem. Cujus conscientiam nihil est quod quisquam timeat, si non pertimescat suam.

Ubi est igitur sapientia judicis? In hoc, ut non solum quid possit, sed etiam quid debeat, ponderet: nec, quantum sibi permissum, meminerit solum, sed etiam, quatenus commissum sit. Datur tibi tabella judicii. Qua lege? Julia de pecuniis repetundis. Quo de reo? de equite Romano. At iste ordo (*d*) lege ea non tenetur.

Q 2 Illo,

* Vulg. *A Gabinio*. ** Al. *æstimatione*.

ANALYSIS.

(a) *In litibus*) *Assumptio*.
(b) *Non igitur*) *Complexio*, simulque transitio ad alterum argumentum.
(c) *Hic jam*) Sic igitur secundo probat, non posse quæri in Postumum lege de repetundis; cum Servilius ea teneri voluerit ordinem tantum Senatorium:

Judices neminem contra leges damnare debent;
Sed vetat lex, accusari Equitem R. de repetundis, & hac lege accusatur Rabirius Eques Romanus;
Ergo id pati non debetis, ut ex lege damnetur.
Hic jam) *Propositionis* approbatio ab officio Judicum.
(d) *At iste ordo*) *Assumptionis* prima pars.

Illo, inquit, (1), capite (*a*), quod erat in Postumum, quod in Gabinium judex esses, nihil Gabinio datum, cum in eum lites æstimarentur. At nunc audio. Reus igitur Postumus est ea lege, qua non modo ipse, sed totus etiam ordo solutus ac liber est.

VI. Hic ego (*b*) nunc non vos prius imploro rabo

(1) *Illo inquit*) Mureti, *Var. Lect.* XVII. 5, emendatio, quamvis videatur esse ingeniosa, si tamen attentius eam consideres, aliena non modo est a veteribus libris, sed etiam ab hujus loci sententia. Nam ista verba, ut Muretus ea concepit, *cum in Gabinium judex esses, nihil de Rabirio auditum, nihil cum ei lites æstimarentur*, sunt necessario Ciceronis, quæ reponuntur his Judicis verbis: *Illo, inquit, capite, quod erat in Postumum*. Sed Ciceronis esse non possunt, quia sequentibus respondet demum Cicero his, quæ ex judicis persona sibi ipse objicit. *At nunc audio* scilicet, quo capite legis judex teneri Postumum credat. In præcedentibus hanc περικοπὴν, ut vides, Cicero compellat judicem. *Datur tibi tabella judicii*, &c. illumque monet, ut cogitet lege Julia repetundarum non teneri Postumum, quia sit eques, utque caveat ne tabella libidinose abutatur. Ciceroni respondet judex: *Illo capite tenetur quod erat in Postumum, quod in Gabinio judex esses*, &c. Nunc quid mihi de hoc inquinato loco videatur, audi. Existimo scribarum culpa excidisse verba capitis legis Juliæ, quod judex laudabat, nimirum *QUO PECUNIA PERVENERIT*, idque somnolentia scribarum, quia, hæc verba omissa a *quo* incipiunt, ut statim sequentia a *quod*, *quod erat in Postumum*. Sic igitur hunc locum censeo constituendum esse. *Illo, inquit*, (scilicet judex) *capite*, QUO PECUNIA PERVENERIT, *quod erat in Postumum. Cum in Gabinium judex essem, nihil Gabinio datum cum lites æstimarem*. Nam in veteribus est *æstimaret*. Si malis *æstimarentur*, cum aliis non renitor. Nihil accepit Gabinius a Postumo, cum de Gabinio pronuntiarunt, cum tamen pars regiæ pecuniæ pervenerit ad Postumum. Ergo hoc capite tenetur. Ad hæc regerit Cicero, *At nunc audio. Reus igitur*, & quæ sequuntur. *In eum* adscripsit imperitus aliquis margini, cum vellet explicare, cui lites sint æstimatæ. Cicero non dixisset, Latinum enim non est, *cum lites in eum æstimarentur*, sed *cum ei lites æstimarentur*: quod & Muretus intellexit; aut *cum ejus lites æstimarentur*. Grævius.

ANALYSIS.

(a) *Illo, inquit, capite*) Secunda pars approbata accusatoris testimonio, qui dixerat ideo reum esse Rabirium, quia Gabinio negaverant Judices quippiam detrahere de æstimatione litium, adeoque voluerant accusari Rabirium, ad quem ea pecunia pervenisset.

(b) *Hic ego*) Ad *Complexionem* illustrandam hortatur Judices tum ex ordine Senatorio, tum ex Equestri, ut Equitibus R. jus illud conservent.

rabo equites Romani, quorum jus judicio tentatur (1), quam vos (a) senatores, quorum agitur fides in hunc ordinem: quæ quidem cum sæpe ante, tum in hac ipsa causa nuper est cognita. Nam cum, optimo & præstantissimo consule, Cn. Pompejo, de hac ipsa quæstione referente, existerent nonnullæ, sed perpaucæ tamen acerbæ sententiæ, quæ censerent, ut tribuni, ut præfecti, ut scribæ, ut comites omnes magistratuum, lege hac tenerentur, vos, vos, inquam, ipsi, & senatus frequens restitit: & quanquam tum propter multorum delicta etiam ad innocentium periculum tempus illud exarserat, tamen, cum odium non restingueretis, huic ordini ignem novum subjici non sivistis.

Hoc animo (b) igitur senatus. Quid? vos equites Romani, quid tandem estis acturi? Glaucia (2) solebat, homo impurus, sed tamen acutus, populum monere, ut, cum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet. Si esset *Dictator*, *Consul*, *Prætor*, *Magister equitum*, ne laboraret; sciret nihil ad se pertinere. Sin autem, QUICUNQUE *post hanc legem*: videret, ne qua nova quæstione alligaretur. Nunc vos, equites Romani, videte. Scitis, me ortum e vobis, omnia semper sensisse pro vobis: nihil horum sine magna cura, & summa caritate vestri ordinis loquor. Alius alios homines

(1) *Quorum jus judicio tentatur*) Vestrum jus est, ne quis vos lege de repetundis accusare possit. Hoc jus tentatur, uno equite Rom. in judicium vocato; qui si damnatur, erit, cur eandem sibi quisque vestrum calamitatem pertimescat. *Manutius*.

(2) *Glaucia*) De quo in Bruto.

ANALYSIS.

(a) *Quam vos*) Senatores primum alloquitur, qui ad evitandam levitatis suspicionem, tenebantur tueri fidem, quam anno superiore Equitibus præstiterant.

(b) *Hoc animo*) Equites deinde admonet, usus Servilii Glauciæ, qui legem illam tulerat, testimonio, auctoritate suiipsius, Majorum exemplo, & ratione, cur ea lege teneri Equester Ordo non deberet. Vide Orat. pro Cluentio.

mines & ordines, ego vos ſemper complexus ſum. Moneo, & prædico: integra re cauſaque denuntio, omnes homines deoſque teſtor; dum poteſtis, dum licet, providete, ne duriorem vobis conditionem ſtatuatis ordinique veſtro, quam ferre poſſit. Serpet hoc malum (mihi credite) longius, quam putatis.

VII. Potentiſſimo & nobiliſſimo tribuno plebis, M. Druſo, una in equeſtrem ordinem quæſtionem ferenti, *Si quis ob rem judicatam pecuniam cepiſſet*, aperte equites Romani reſtiterunt. Quid? hoc licere volebant? minime: neque ſolum hoc genus pecuniæ capiendæ turpe, ſed etiam nefarium arbitrabantur. Attamen ita diſputabant; eos teneri legibus oportere, qui ſuo judicio eſſent illam conditionem vitæ ſecuti. Delectat ampliſſimus civitatis gradus, ſella curulis, faſces, imperia, provinciæ, ſacerdotia, triumphi, denique imago ipſa, ad poſteritatis memoriam prodita. Eſt ſimul etiam ſollicitudo aliqua (1), & legum, & judiciorum major quidam metus. Nos iſta nunquam contempſimus, (ita enim diſputabant) ſed hanc vitam quietam atque otioſam ſecuti ſumus. Quæ, quoniam honore caret, caret etiam moleſtia. Tam es tu judex, quam ego ſenator (2). Ita eſt: ſed tu iſtud petiiſti, ego hoc cogor. Quare aut judici mihi non eſſe liceat, aut legem lege ſenatoria non timere.

Hoc vos, equites Romani, jus a patribus acceptum amittetis? Moneo, ne faciatis. Rapientur homi-

1) *Eſt ſimul etiam ſollicitudo aliqua*) Senſus eſt, Iſtis honoribus & ornamentis aliqua etiam ſollicitudo atque moleſtia, nimirum ob majorum judiciorum pericula, immixta eſt: *majorum* enim lego non *major*. Hotom.

(2) *Tam es tu judex, quam ego ſenator*) Objectio ſenatorum. Cur ea lege, qua nos tenemur, vos equites liberi ac ſoluti eſſe vultis? quandoquidem, ſi ſenatores nos ſumus, vos judices eſtis. Tu eques tam es judex, quam ego ſum ſenator. Quod ſi ego ſenator judicia non recuſo: quid eſt, cur tu judex ea recuſes? *Manutius*.

homines in hæc judicia ex omni non modo invidia, ſed ſermone malevolorum, niſi cavetis. Si jam vobis nuntiaretur in ſenatu ſententias dici, ut his legibus teneremini, concurrendum ad curiam putaretis: ſi lex ferretur, convolaretis ad Roſtra. Vos ſenatus liberos hac lege eſſe voluit, populus nunquam alligavit: ſoluti huc conveniſtis: ne conſtricti diſcedatis, cavete. Nam ſi Poſtumo fraudi fuerit, qui nec tribunus, nec præfectus, nec ex Italia comes, nec familiaris Gabinii fuit, quonam ſe modo defendent poſthac, qui veſtri ordinis cum magiſtratibus noſtris fuerint his cauſis implicati?

VIII. Tu, inquit (*a*), Gabinium, ut regem reduceret, impuliſti. Non patitur (*b*) mea me jam * fides de Gabinio gravius agere. Quem enim ex tantis inimicitiis (1) receptum in gratiam ſummo ſtudio defenderim (2), hunc afflictum violare non debeo: quocum ſtante ſi me Cn. Pompeji auctoritas in gratiam non reduxiſſet, nunc jam ipſius fortuna reduceret. Sed tamen (*c*), cum ita dicis, Poſtumi impulſu Gabinium profectum Alexandriam, ſi defenſioni Gabinii fidem non habes, obliviſceriſne etiam accuſationis tuæ? Gabinius ſe id feciſſe dicebat reipublicæ cauſa, quod

 claſ-

* Vulg. *mea etiam*.

(1) *Ex tantis inimicitiis*) Conſul Gabinius tribunum pl. in ejiciendo Cicerone Clodium adjuverat. *Idem*.

(2) *Defenderim*) Vide Orationum Fragmenta, pro *A. Gabinio* &

A N A L Y S I S.

(a) *Tu, inquit*) Accedit ad crimina, quorum primum eſt, impulſum a Poſtumo Gabinium, ut regem reduceret; illud autem refellit Cicero *ab Adjunctis*:

Illud nunc affirmari non poteſt, quod in dicenda Cauſa & Gabinius negavit, & accuſator;
Sed uterque dixit aliam fuiſſe cauſam reducendi Regis;
Ergo non fuit Poſtumus, qui Gabinium ad id impulerit.

(b) *Non patitur*) Excuſatio; poſſem, inquit, exaggerando Gabinii avaritiam probare, non fuiſſe neceſſarium, ut ab alio quopiam ad id impelleretur; ne tamen id præſtem duo faciunt, reditus in gratiam cum Gabinio, & ipſius damnatio.

(c) *Sed tamen*) *Aſſumptionis* utraque pars.

classem Archelai timeret, quod mare refertum fore prædonum putaret. Lege etiam id sibi licuisse dicebat. Tu inimicus negas. Ignosco: & eo magis, quod est contra illud judicatum. Redeo igitur ad crimen, & accusationem tuam.

Quid vociferabare, decem millia talentum Gabinio esse promissa? Huic videlicet (*a*) perblandus reperiendus fuit (1), qui hominem, ut tu vis, avarissimum exoraret, sestertium bis millies & quadringenties ne magnopere contemneret. Gabinius illud (*b*), quoquo consilio fecit, fecit certe suo: quæcunque mens illa fuit, Gabinii fuit. Sive ille, ut ipse dicebat, gloriam, sive, ut tu vis, pecuniam quæsivit, quæsivit sibi. Num Gabinii comes, vel sectator? negat. Non enim ad Gabinii, cujus id negotium non erat, sed ad P. Lentuli (2), clarissimi viri, auctoritatem, a senatu profectam, & consilio certo, & spe non dubia Romam contenderat.

At

(1) *Huic videlicet perblandus reperiendus fuit*) Emendo ex codice Ms. *persuasor blandus*, quo verbo magnopere hic locus illustratur. *Hotom.* Muretus corrigit ex Ms. *Hui! videlicet puer blandus*, &c. *Gruterus*. *Huic*, id est, Gabinio. Est enim, hujus gratia. Ptolemæo homo blandus reperiendus fuit, hoc est, ad hunc exorandum Gabinium, ne tantam pecuniam sperneret. Aut, si quis malit, legatur, *Homo videlicet perblandus*: nam alioquin *perblandus* tibicinem desiderat. Quod quidam scribunt *hui!* nimis videtur Comicum. *Behotius*.

(2) *P. Lentuli*) Ciliciæ proconsulis, cui negotium illud senatus mandaverat, ut scriptæ ad eum Ciceronis epistolæ docent. *Man.*

A N A L Y S I S.

(a) *Huic videlicet*) Secundæ partis approbatio; homo enim avarissimus non egebat alterius impulsu, ne sex milliones Coronatorum recusaret, cum accusator fateretur & tantum pecuniæ datum, & avarissimum esse Gabinium.

(b) *Gabinius illud*) *Complexio*, eamque illustrat a conjectura, quod Rabirius cum de restitutione Regis laboraret ob creditam pecuniam, non ad Gabinium, sed ad P. Lentulum Ciliciæ Proconsulem profectus fuerit.

At diœcetes (1) fuit (*a*) regius. Et quidem (*b*) in custodia etiam fuit regia: & vita ejus oblata pœnæ est (2). Multa præterea, quæ libido regis, quæ necessitas coegit ferre, pertulit. Quarum omnium (*c*) rerum una reprehensio est, quod regnum intrarit, quod potestati se regis commiserit. Verum si quærimus, stulte. Quid enim stultius, quam equitem Romanum, ex hac urbe, hujus, inquam, reipublicæ civem, quæ est una maxime, & fuit semper libera, venire in eum locum, ubi parendum alteri, & serviendum sit?

IX. Sed ego in hoc tandem Postumo non ignoscam,

(1) *Diœcetes*) Procurator, & quasi dispensator regius, ἀπὸ τοῦ διοικεῖν. Infra: *Ut ventum est Alexandriam ad Auleten, hæc una ratio a rege proposita Postumo est servandæ pecuniæ, si curationem, & quasi dispensationem regiam suscepisset; id autem facere non poterat, nisi diœcetes.* Hoc enim nomine utitur, qui a rege esset constitutus. Ex hoc loco satis apparet Ægyptum Græca lingua usam esse. Atque etiam infra, cum de legatis Alexandrinis Cicero loquatur, Græcos appellat. *Nostis*, inquit, *insulsitatem Græcorum*. Manut.

(2) *Vita ejus oblata pœnæ est*) Legendum, *vita ei ablata pene est*, censuerunt Hotomanus, Patricius, Muretus, & Rubenius. Quod Grævius recepit.

ANALYSIS.

(a) *At diœcetes fuit*) Secundum crimen, regium procuratorem fuisse, & pallium Alexandriæ gestasse Rabirium. Quod ut Cicero diluat, tria distinguit, 1. pecuniam a Postumo Regi creditam; 2. ingressum Postumum in regnum, ut reciperet pecuniam; 3. quæ fecerat, ut in regnum ingressus est.

(b) *Et quidem*) Sic igitur ad ipsum objectum respondet *a Causis*:

Quod necessitate patimur, non est ponendum loco criminis;
Sed Postumus necessitate fuit regius Procurator, & pallium tulit;
Ergo non est id ponendum Postumo loco criminis.

Assumptio, patet *a Pari*, nam per vim alia multa in regno tulerat.

(c) *Quarum omnium*) Secundum de Postumi ingressu in Ægyptum fatetur in primis reprehensione dignum; deinde excusat *a Comparatione majorum*:

In eo ignoscendum est Postumo, in quo lapsi sunt sapientissimi viri;
Sed Viri etiam sapientissimi regna ingressi sunt, in quibus acerbissima cogerentur pati;
Ergo ignoscendum est Postumo Ægyptum ingresso, ubi illa pertulit.

ſcam, homini mediocriter docto, qui videam ſapientiſſimos homines eſſe lapſos? Virum unum totius Græciæ facile doctiſſimum, Platonem, iniquitate Dionyſii, Siciliæ tyranni, cui ſe ille commiſerat, in maximis periculis inſidiiſque eſſe verſatum accepimus: Calliſthenem, doctum hominem, comitem Magni Alexandri, necatum: Demetrium & ex republica Athenis, quam optime geſſerat, & ex doctrina nobilem & clarum, qui Phalereus vocitatus eſt, in eodem iſto Ægypti regno, aſpide ad corpus admota, vita eſſe privatum.

Plane confiteor (*a*), fieri nihil poſſe dementius, quam ſcientem in eum locum venire, ubi libertatem ſis perditurus. Sed hujus iſtius facti ſtultitiam major jam ſuperior ſtultitia (1) defendit: quæ facit, ut hoc ſtultiſſimum facinus, quod in regnum venerit, quod regi ſe commiſerit, ſapienter factum eſſe videatur. Siquidem * non tam ſemper ſtulti, quam ſero ſapientis eſt, cum ſtultitia ſua impeditus ſit, quoquo modo poſſit, ſe expedire.

Quam-

* Vict. Man. Grut. omittunt, *non*.

(1) *Superior ſtultitia*) Quod regi grandem pecuniam credidit, non modo poſtquam regno pulſus eſt, ſed antea quoque, cum regnaret. Eam pecuniam, rege reſtituto, ut recuperaret, in regnum venit ſtulte: quid enim ſtultius quam venire in eum locum, ubi parendum alteri, & ſerviendum ſit? Sed hæc ſtultitia neceſſaria, ſuperior illa voluntaria fuit. Itaque hanc ab illa, unde orta eſt, defendi, atque excuſari, quis non videt? *Manutius*.

ANALYSIS.

(a) *Plane confiteor*) Hoc idem rurſus defendit *a Cauſis*, tali ratione:

Pecuniam temere creditam quoquo modo recuperare Poſtumus debebat;

Sed jam pecuniam regi temere crediderat, neque recuperare poterat, niſi regnum ingreſſus ea faceret, quæ fecerat;

Ergo non hæc objicienda Poſtumo, ſed tantum quod pecuniam temere crediderit.

Sic igitur ingenioſiſſime hoc argumentum pertractat, & ex tribus propoſitis, primum illud de pecunia credita factum temere confitetur, duo reliqua, credita ſemel pecunia, excuſat.

Quamobrem illud maneat, & fixum sit, quod neque moveri, neque mutari potest, in quo æqui sperasse Postumum dicunt, peccasse iniqui, ipse etiam insanisse se confitetur, quod suam, quod amicorum pecuniam regi crediderit cum tanto fortunarum suarum periculo. Hoc quidem semel suscepto atque contracto, perpetienda illa fuerunt, ut se aliquando ad suos vindicaret (1). Itaque objicias licet, quam voles sæpe, palliatum (2) fuisse, aliqua habuisse non Romani hominis insignia. Quoties eorum quippiam dices, toties unum dices atque illud, temere hunc pecuniam regi credidisse, suas fortunas, atque famam libidini regiæ commisisse. Fecerat temere: fateor: mutari factum jam nullo modo poterat: aut pallium sumendum Alexandriæ, ut ei Romæ togato esse liceret; aut omnes fortunæ abjiciendæ, si togam retinuisset.

X. Deliciarum (*a*) causa & voluptatis, non modo cives Romanos, sed & nobiles adolescentes, & quosdam etiam senatores summo loco natos, non in hortis, aut suburbanis suis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella (3) sæpe videmus. Chla-

(1) *Ut se aliquando ad suos vindicaret*) Manutius interpretatur, ut aliquando ad suos, tanquam e servitute regia in libertatem redire posset. Grævius autem latinum hoc esse, & intelligi posse negat; legitque, *ut se aliquando & suos vindicaret*, nempe a damnis fortunarum. Mihi & lectio recepta, & Manutiana interpretatio probatur. *Ernestus*. al. *ut æs aliquando id suum vindicaret*.

(2) *Palliatum*) Pallio potius, ut Alexandrinum hominem, quam toga, ut Romanum, usum esse. *Manutius*.

(3) *Cum mitella*) Bene deliciis & voluptatibus mitellam adjungit. Fuit enim mitra, tegumentum capitis virorum mollium, aut

A N A L Y S I S.

(a) *Deliciarum*) Illud de pallio Alexandriæ sumpto peculiari argumento diluit *a Comparatione minorum:*

Minus reprehendenda est mutatio vestitus facta necessitate, quam deliciarum causa;

Sed in summis viris non reprehenditur mutatio vestitus deliciarum causa;

Ergo neque in Postumo, qui necessitate coactus vestitum mutavit.

Deliciarum) *Assumptio ab exemplis* approbata.

Chlamydatum (1) illum L. Syllam imperatorem; L. vero Scipionis, qui bellum in Asia gessit, Antiochumque devicit, non solum cum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuam videtis: quorum impunitas fuit non modo a judicio, sed etiam a sermone. Facilius (*a*) certe P. Rutilium Rufum necessitatis excusatio defendet, qui, cum a Mithridate Mytilenis oppressus esset, crudelitatem regis in togatos vestitus mutatione vitavit. Ergo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudentiæ, consularis homo, soccos habuit & pallium; nec vero id homini tum quisquam, sed tempori assignandum putavit: Postumo crimen (*b*) vestitus afferet is, in quo * spes fuit, posse sese aliquando ad fortunas suas pervenire?

Nam, ut ventum est Alexandriam ad Auletem (2), Judices, hæc una ratio a rege proposita Postumo est servandæ pecuniæ, si curationem, & quasi dispensationem regiam suscepisset. Id autem facere non poterat, nisi dicecetes: hoc enim no-

aut etiam fœminarum. Quare viris probrosum fuit gestare mitram. IV. Æneid. 216. *At nunc ille Paris cum semiviro comitatu Mæonia mentum mitra, &c.* Vide & IX. 616. *Abram.*

* Al. *in quo uno .... posse se.*

(1) *Chlamydatum*) Plerumque enim togatæ dicari statuæ solebant, quemadmodum scribit Plinius, lib. XXXII. cap. 5. Atque horum quidem mentionem facit Valerius Max. libro III. cap. 6. sed cum hunc Ciceronis locum inferere in suam ille historiam cogitaret, verborum oblivione Neapoli Syllam cum chlamyde ambulasse scribit. *Hot.*

(2) *Auletem*) Latine, tibicinem. Cognomen Ptolemæi regis, quia fidibus præcipue delectaretur. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Facilius*) *Propositionem* illustrat exemplo P. Rutilii, qui decennio post Consulatum profectus in Asiam cum Q. Marcio Scævola Proconsule, crudelitatem Mithridatis effugerat mutatione vestitus. Hic deinde Smyrnæ exulavit a Populo damnatus.

(b) *Postumo crimen*) *Complexio*, & explicat quomodo Postumus coactus fuerit, & regium procuratorem agere, & mutare vestitum; & hoc *Dilemmate* tandem concludit:

Aut mori Postumus debuit, aut Regi parere;
Non mori;
Ergo coactus est Regi parere.

nomine utitur, qui a rege esset constitutus. Odiosum negotium Postumo videbatur, sed erat nulla omnino recusatio. Molestum etiam nomen ipsum, sed res habebat nomen hoc apud illos, non hic imposuerat. Oderat vestitum etiam illum, sed sine eo nec nomen illud poterat, nec munus tueri. Ergo aderat *vis*, ut ait poeta ille noster, *quæ summas frangit, infirmatque opes*. Moreretur (*a*), inquies: nam id sequitur. Fecisset certe, si sine maximo dedecore (1), tam impeditis suis rebus, potuisset emori.

XI. Nolite (*b*) igitur fortunam convertere in culpam, neque regis injuriam hujus crimen putare, nec consilium ex necessitate, nec voluntatem ex vi interpretari: nisi forte (*c*) eos etiam, qui in hostes, aut in prædones inciderint, si aliter quippiam coacti faciant, quam libere, vituperandos putes. Nemo nostrum ignorat, etiam si experti non sumus, consuetudinem regiam. Regum autem hæc sunt imperia, *Animadverte*, & *dicto pare*: &, *Præter rogitatum si querare* (2): & illæ minæ, *Si te secundo lumine hic offendero, Moriere*. Quæ non ut delectemur solum, legere & spe-

(1) *Si sine maximo dedecore*) Retorquet argumentum. Mori debuit, quo dedecus effugeret. Immo vero mori, tam impeditis rebus suis, sine dedecore & quidem maximo, non potuit: ad priorem enim culpam rei familiaris temere projectæ, desperationis, animique debilitati, & fracti, & fortunæ cedentis infamiam addidisset. *Idem*.

(2) *Præter rogitatum si querare*) Legendum, *si loquare*, non ut in libris manuscr. & vulgatis, *querare*. Sunt enim hæc ex Euripidis Medea, μὴ λόγους λέγε. Quin, si ex Euripide expressa sunt, ut sunt, legendum in imperativo, *præter rogitatum ne loquere*. Lambinus. *Præter rogitatum*, est, præter id, quod rogaris. *Si querare*, si murmures. *H. Columna*.

ANALYSIS.

(a) *Moreretur*) *Assumptio*, quam probat *a Consequentibus*; incurrisset enim in dedecus longe majus, si mortuus fuisset non persoluta fide suis Creditoribus.

(b) *Nolite*) *Complexio*.

(c) *Nisi forte*) *Propositionis* approbatio tum *a Simili*, tum a tyrannica regum potestate, juxta veteris Poetæ testimonium.

ſpectare debemus, ſed ut cavere etiam, & effugere diſcamus.

At ex hoc (*a*) ipſo crimen exoritur. Ait enim, dum Gabinio pecuniam Poſtumus cogeret ex decumis imperatorum (1), pecuniam ſibi coegiſſe. Non intelligo hoc quale ſit, utrum acceſſionem decumæ, ut noſtri facere coactores ſolent, centeſima, an deceſſionem de ſumma fecerit (2). Si acceſſionem (*b*): undecim millia talentum ad Gabinium pervenerunt. At non modo abs te decem

(1) *Ex decumis imperatorum*) Turnebus hoc loco, *decumas imperatorum* interpretatur, decumas pecuniæ imperatæ a Rege Ptolemæo ad uſum Gabinii. Quod ſi eſt, legerem fere, vel *ex decumis imperatis*, vel *ex decumis imperati æris*. Patric. Omnes hic mendum eſſe putant, & legendum *aratorum:* frumento enim abundabat Ægyptus, adeoque ex decimis aratorum colligi ea ſumma poterat. *Ferrat.*

(2) *Utrum acceſſionem decumæ, ut noſtri facere coactores ſolent, centeſima, an deceſſionem de ſumma fecerit*) Gabinio, regis juſſu, cogebatur illa pecunia, nempe decem millia talentum. Poſtumus unde ſibi ſumpſit? Nam ſi ex decumis fiunt decem millia talentum, quæ Gabinii ſunt, pro Poſtumo quid ſupereſt? Exegit, inquies, centeſimam noſtrorum coactorum more, præter illa decem millia talentum Gabinio coacta; ex quibus, cum ei pro reductione regis promiſſa eſſent, detrahi nihil oportuit. Si hoc verum eſt, reſpondet Cicero, tota coacta pecunia undecim millia talentum fuiſſet, non decem millia: quæ ab accuſatore objecta, judices, damnato Gabinio, æſtimarunt. Id autem quis verum putabit? Nam tantum novi oneris, id eſt mille talentum, imponi populis, rex non videtur paſſurus fuiſſe. Sin autem Poſtumum in cogenda ſibi pecunia non acceſſionem feciſſe ad decem millia talentum, ſed ex ipſis decem millibus, Gabinio promiſſis, centeſimam ſibi ſumpſiſſe dices: cui veriſimile videbitur Gabinium, hominem, ut tu vis, avariſſimum, tantum pecuniæ de promiſſa ſibi ſumma detrahi paſſum eſſe? *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *At ex hoc*) Tertium crimen, quod proprie ad Cauſam ſpectat; Poſtumum ſibi retinuiſſe partem pecuniæ, quam ut regius procurator cogebat Gabinio, & videtur accuſator dixiſſe ſummam mille talentum fuiſſe. Cicero negat omnino crimen, quod falſum eſſe oſtendit hoc *Dilemmate*:

Aut illa mille talenta, quæ dicuntur perveniſſe ad Poſtumum, acceſſerunt ſummę datę Gabinio, aut de ipſa ſumma detracta ſunt;
Neutrum eſt verum;
Ergo nullo modo illa mille talenta ad Poſtumum pervenere.

(b) *Si acceſſionem*) *Aſſumptionis* prima pars approbata accuſatoris teſtimonio, & Judicum auctoritate, qui litem Gabinio æſtimaverant.

cem millia objecta sunt, sed etiam ab his æstimata. Addo illud (*a*) etiam: qui tandem convenit, aut tam gravi onere tributorum ad tantam pecuniam cogendam mille talentum accessionem esse factam, aut in tanta mercede hominis, ut vis, avarissimi, mille talentum decessionem esse concessam? Neque enim fuit Gabinii, remittere tantum de suo, nec regis, imponere tantum pati suis. Aderunt (*b*) testes, legati Alexandrini. Hi nihil (*c*) in Gabinium dixerunt: immo hi Gabinium laudaverunt. Ubi ergo ille mos? ubi consuetudo judiciorum? ubi exempla? soletne is dicere in eum, qui pecuniam redegit (1), qui in illum, cujus nomine ea pecunia redigeretur, non dixerit? Age, si is, qui non dixit, solet: etiamne is

(1) *Soletne is dicere in eum, qui pecuniam redegit*) Cum a coactoribus imperatorum nomine pecunia redigeretur, solebat imperatoris nomen in tabulas expensi & accepti, id est, Alexandrinorum & coactorum referri. Qua de causa si postea quærendum civibus videretur, primum in eum, cujus nomine redacta erat pecunia, accusatio intendebatur, ut si furtum factum appareret, tum is quoque qui coegerat & accessionem receperat, in crimen similiter vocaretur, ut, ejus causa tanquam appendicula quædam causæ judicatæ & damnatæ fuisse videatur. Pendet enim ejus causæ veritas a prioris causæ bonitate: nam si furtum decuma factum est, reddi quoque furti accessionem oportet. Neque prius intelligi potest furtumne fecerit coactor, & injuria corollarium acceperit, quam judicatum sit, furtum in sorte ac principali factum esse. *Hotomanus*.

ANALYSIS.

(a) *Addo illud*) Utramque partem confirmat *ab Adjunctis*, quia neque tantam accessionem passus Rex fuisset in perniciem suorum, neque tantam decessionem de summa Gabinius, homo avarissimus.

(b) *Aderunt*) Alexandrinos legatos, quos in Rabirium testes accusator se producturum dixerat, refellit Cicero in primis a consuetudine *per Comparat. minorum*:

Ii testes in secundo judicio non sunt audiendi, qui in primo judicio in reum non dixerunt, immo illum laudarunt;
Sed Alexandrini legati non dixerunt in Gabinium, immo eum laudarunt;
Ergo nunc non possunt esse testes in Rabirium.

(c) *Hi nihil*) *Assumptio*; sequitur deinde *Propositio*, quam amplificat.

is solet, qui laudavit (1)? Iisdem testibus, & quidem non productis, sed dictis testium recitatis, quasi præjudicata res, ad has causas deferri solet.

XII. Et ait (*a*) etiam meus familiaris, & necessarius, eandem causam (2) Alexandrinis fuisse, cur laudarent Gabinium, quæ mihi fuerit, cur eundem defenderem. Mihi, C. Memmi, causa defendendi Gabinii fuit reconciliatio gratiæ. Neque me vero pœnitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere. Nam si me invitum putas, ne Cn. Pompeji animum offenderem, defendisse causam; * & illum, & me vehementer ignoras. Neque enim Pompejus me sua causa quidquam facere voluisset invitum: neque ego, cui omnium civium libertas carissima fuisset, meam projecissem. Quamdiu (*b*) inimicissimus Gabinio fui, non amicissimus mihi non ** Pompejus fuit: nec, postea quam

(*a*)

* Vulg. *defendisse: causam, & illum.*

** Al. delent *non*.

(1) *Etiamne is solet, qui laudavit*) Si is, qui non dixit in eum, cui redigitur pecunia, nunquam solet dicere in eum, qui pecuniam redegit, num hoc faciet, cum laudaverit eum, cujus nomine redacta est pecunia? *Græv.*

(2) *Eandem causam*) Amicitiam Pompeji, cujus opera Ptolemæus redierat in regnum, Cicero autem ab exilio. *Manutius.*

ANALYSIS.

(a) *Et ait*) Diluit, quod irridendo objecerat Memmius, ita in gratiam Pompeji laudatum fuisse Gabinium ab Alexandrinis, ut in gratiam ejusdem a Cicerone defensus fuerat. Ipse contendit, reconciliationem gratiæ cum Gabinio factam quidem Pompejo auctore, non Gabinianæ causæ defensionem; sic *ab Adjunctis*:

Si verum id esset, coegisset me Pompejus facere, quod non debebam;

Sed neque Pompejus is erat, qui me cogeret, neque ego, qui me cogi sinerem, & justa mihi erat causa defendendi Gabinii;

Ergo non cogente Pompejo suscepi Gabinii defensionem.

Assumptionis tertium membrum præcedit, reliqua subsequuntur.

(b) *Quamdiu*) Primum membrum confirmat; nam si Pompejus mihi fuit amicus, licet inimicus eram Gabinio, multo magis quamvis Gabinium non defendissem.

(*a*) illius auctoritati * eam dedi veniam, quam debui, quidquam simulavi, ne cum mea perfidia illi etiam ipsi facerem, cui beneficium dedissem, injuriam. Nam non redeundo in gratiam cum inimico, non violabam Pompejum: si per eum reductus insidiose redissem, me scilicet maxime, sed proxime illum quoque fefellissem.

At de me omittamus: ad Alexandrinos (*b*) istos revertamur. Quod habent os? quam audaciam? modo, vobis inspectantibus, in judicio Gabinii tertio quoque verbo excitabantur. Negabant pecuniam Gabinio datam: recitabatur identidem Pompeji testimonium, regem ad se scripsisse, nullam pecuniam Gabinio, nisi in rem militarem, datam. Non est, inquit, tum Alexandrinis testibus creditum.** Quid? postea (1) credetur? Credetur. Quamobrem? Quia nunc ajunt, quod tunc negabant.

Quid ergo? ista conditio est testium, ut, quibus creditum non sit negantibus, iisdem credatur dicentibus? At, si verum tum, cum verissima fronte dixerunt, nunc mentiuntur. Si tunc mentiti sunt, doceant nos verum.*** Quid vultis? sileant.

 Di-

* Vulg. *auctoritate*.

** Vict. Grut. *Quid? postea creditum? Non. Quamobrem?*

(1) *Quid? postea*) Necesse est credi vel negantibus, vel affirmantibus. Negantibus in Gabinii judicio creditum non est: itaque judices eum damnarunt: affirmantibus igitur contra Postumum creditur? Hic Cicero ducit argumentum a testium inconstantia. Quid ergo? inquit: iisdem testibus in eadem re creditur nunc, quibus creditum antea non sit? Disputationis autem hic est ordo. *Accusator* dicit: Non est tum Alexandrinis testibus creditum. *Defensor*: Quid postea? *Accusator*: Creditur nunc. *Defensor*: Quamobrem? *Accusator*: Quia nunc ajunt, quod tum negabant. *Defensor*: Quid ergo? ista conditio, &c. *Man.*

*** Lamb. *Quid multa? aut sileant, aut verum dicant.*

A N A L Y S I S.

(a) *Nec, postea quam*) Tertia pars de ipsa causa; si enim post reconciliatam gratiam non defendissem Gabinium, non solum Gabinio, sed & Pompejo, & meae praeterea fidei, quam dederam, defuissem.

(b) *Ad Alexandrinos*) Redit ad testes, quorum auctoritatem infirmat ab inconstantia; si enim verum dixerunt in causa Gabinii, nunc falsum dicent; si nunc falsum, non est ei credendum, qui semel pejeravit.

ſcam, homini mediocriter docto, qui videam ſapientiſſimos homines eſſe lapſos? Virum unum totius Græciæ facile doctiſſimum, Platonem, iniquitate Dionyſii, Siciliæ tyranni, cui ſe ille commiſerat, in maximis periculis inſidiiſque eſſe verſatum accepimus: Calliſthenem, doctum hominem, comitem Magni Alexandri, necatum: Demetrium & ex republica Athenis, quam optime geſſerat, & ex doctrina nobilem & clarum, qui Phalereus vocitatus eſt, in eodem iſto Ægypti regno, aſpide ad corpus admota, vita eſſe privatum.

Plane confiteor (*a*), fieri nihil poſſe dementius, quam ſcientem in eum locum venire, ubi libertatem ſis perditurus. Sed hujus iſtius facti ſtultitiam major jam ſuperior ſtultitia (1) defendit: quæ facit, ut hoc ſtultiſſimum facinus, quod in regnum venerit, quod regi ſe commiſerit, ſapienter factum eſſe videatur. Siquidem * non tam ſemper ſtulti, quam ſero ſapientis eſt, cum ſtultitia ſua impeditus ſit, quoquo modo poſſit, ſe expedire.

Quam-

* Vict. Man. Grut. omittunt, *non*.

(1) *Superior ſtultitia*) Quod regi grandem pecuniam credidit, non modo poſtquam regno pulſus eſt, ſed antea quoque, cum regnaret. Eam pecuniam, rege reſtituto, ut recuperaret, in regnum venit ſtulte: quid enim ſtultius quam venire in eum locum, ubi parendum alteri, & ſerviendum ſit? Sed hæc ſtultitia neceſſaria, ſuperior illa voluntaria fuit. Itaque hanc ab illa, unde orta eſt, defendi, atque excuſari, quis non videt? *Manutius*.

A N A L Y S I S.

(a) *Plane confiteor*) Hoc idem rurſus defendit *a Cauſis*, tali ratione:

Pecuniam temere creditam quoquo modo recuperare Poſtumus debebat;

Sed jam pecuniam regi temere crediderat, neque recuperare poterat, niſi regnum ingreſſus ea faceret, quæ fecerat;

Ergo non hæc objicienda Poſtumo, ſed tantum quod pecuniam temere crediderit.

Sic igitur ingenioſiſſime hoc argumentum pertractat, & ex tribus propoſitis, primum illud de pecunia credita factum temere confitetur, duo reliqua, credita ſemel pecunia, excuſat.

Quamobrem illud maneat, & fixum sit, quod neque moveri, neque mutari potest, in quo æqui sperasse Postumum dicunt, peccasse iniqui, ipse etiam insanisse se confitetur, quod suam, quod amicorum pecuniam regi crediderit cum tanto fortunarum suarum periculo. Hoc quidem semel suscepto atque contracto, perpetienda illa fuerunt, ut se aliquando ad suos vindicaret (1). Itaque objicias licet, quam voles sæpe, palliatum (2) fuisse, aliqua habuisse non Romani hominis insignia. Quoties eorum quippiam dices, toties unum dices atque illud, temere hunc pecuniam regi credidisse, suas fortunas, atque famam libidini regiæ commisisse. Fecerat temere: fateor: mutari factum jam nullo modo poterat: aut pallium sumendum Alexandriæ, ut ei Romæ togato esse liceret; aut omnes fortunæ abjiciendæ, si togam retinuisset.

X. Deliciarum (*a*) causa & voluptatis, non modo cives Romanos, sed & nobiles adolescentes, & quosdam etiam senatores summo loco natos, non in hortis, aut suburbanis suis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella (3) sæpe videmus. Chla-

(1) *Ut se aliquando ad suos vindicaret*) Manutius interpretatur, ut aliquando ad suos, tanquam e servitute regia in libertatem redire posset. Grævius autem latinum hoc esse, & intelligi posse negat; legitque, *ut se aliquando & suos vindicaret*, nempe a damnis fortunarum. Mihi & lectio recepta, & Manutiana interpretatio probatur. *Ernestus*. al. *ut es aliquando id suum vindicaret*.

(2) *Palliatum*) Pallio potius, ut Alexandrinum hominem, quam toga, ut Romanum, usum esse. *Manutius*.

(3) *Cum mitella*) Bene deliciis & voluptatibus mitellam adjungit. Fuit enim mitra, tegumentum capitis virorum mollium, aut

ANALYSIS.

(a) *Deliciarum*) Illud de pallio Alexandriæ sumpto peculiari argumento diluit *a Comparatione minorum:*

Minus reprehendenda est mutatio vestitus facta necessitate, quam deliciarum causa;

Sed in summis viris non reprehenditur mutatio vestitus deliciarum causa;

Ergo neque in Postumo, qui necessitate coactus vestitum mutavit.

Deliciarum) *Assumptio ab exemplis* approbata.

Chlamydatum (1) illum L. Syllam imperatorem; L. vero Scipionis, qui bellum in Asia gessit, Antiochumque devicit, non solum cum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuam videtis: quorum impunitas fuit non modo a judicio, sed etiam a sermone. Facilius (*a*) certe P. Rutilium Rufum necessitatis excusatio defendet, qui, cum a Mithridate Mytilenis oppressus esset, crudelitatem regis in togatos vestitus mutatione vitavit. Ergo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudentiæ, consularis homo, soccos habuit & pallium; nec vero id homini tum quisquam, sed tempori assignandum putavit: Postumo crimen (*b*) vestitus afferet is, in quo * spes fuit, posse sese aliquando ad fortunas suas pervenire?

Nam, ut ventum est Alexandriam ad Auletem (2), Judices, hæc una ratio a rege proposita Postumo est servandæ pecuniæ, si curationem, & quasi dispensationem regiam suscepisset. Id autem facere non poterat, nisi dioecetes: hoc enim no-

aut etiam fœminarum. Quare viris probrosum fuit gestare mitram. IV. Æneid. 216. *At nunc ille Paris cum semiviro comitatu Mæonia mentum mitra*, &c. Vide & IX. 616. *Abram*.

* Al. *in quo uno .... posse se*.

(1) *Chlamydatum*) Plerumque enim togatæ dicari statuæ solebant, quemadmodum scribit Plinius, lib. XXXII. cap. 5. Atque horum quidem mentionem facit Valerius Max. libro III. cap. 6. sed cum hunc Ciceronis locum inferere in suam ille historiam cogitaret, verborum oblivione Neapoli Syllam cum chlamyde ambulasse scribit. *Hot.*

(2) *Auletem*) Latine, tibicinem. Cognomen Ptolemæi regis, quia fidibus præcipue delectaretur. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Facilius*) *Propositionem* illustrat exemplo P. Rutilii, qui decennio post Consulatum profectus in Asiam cum Q. Marcio Scævola Proconsule, crudelitatem Mithridatis effugerat mutatione vestitus. Hic deinde Smyrnæ exulavit a Populo damnatus.

(b) *Postumo crimen*) *Complexio*, & explicat quomodo Postumus coactus fuerit, & regium procuratorem agere, & mutare vestitum; & hoc *Dilemmate* tandem concludit:

Aut mori Postumus debuit, aut Regi parere;
Non mori;
Ergo coactus est Regi parere.

nomine utitur, qui a rege eſſet conſtitutus. Odioſum negotium Poſtumo videbatur, ſed erat nulla omnino recuſatio. Moleſtum etiam nomen ipſum, ſed res habebat nomen hoc apud illos, non hic impoſuerat. Oderat veſtitum etiam illum, ſed ſine eo nec nomen illud poterat, nec munus tueri. Ergo aderat *vis*, ut ait poeta ille noſter, *quæ ſummas frangit, infirmatque opes*. Moreretur (*a*), inquies: nam id ſequitur. Feciſſet certe, ſi ſine maximo dedecore (1), tam impeditis ſuis rebus, potuiſſet emori.

XI. Nolite (*b*) igitur fortunam convertere in culpam, neque regis injuriam hujus crimen putare, nec conſilium ex neceſſitate, nec voluntatem ex vi interpretari: niſi forte (*c*) eos etiam, qui in hoſtes, aut in prædones inciderint, ſi aliter quippiam coacti faciant, quam libere, vituperandos putes. Nemo noſtrum ignorat, etiam ſi experti non ſumus, conſuetudinem regiam. Regum autem hæc ſunt imperia, *Animadverte*, & *dicto pare*: &, *Præter rogitatum ſi querare* (2): & illæ minæ, *Si te ſecundo lumine hic offendero, Moriere*. Quæ non ut delectemur ſolum, legere & ſpe-

(1) *Si ſine maximo dedecore*) Retorquet argumentum. Mori debuit, quo dedecus effugeret. Immo vero mori, tam impeditis rebus ſuis, ſine dedecore & quidem maximo, non potuit: ad priorem enim culpam rei familiaris temere projectæ, deſperationis, animique debilitati, & fracti, & fortunæ cedentis infamiam addidiſſet. *Idem*.

(2) *Præter rogitatum ſi querare*) Legendum, *ſi loquare*, non ut in libris manuſcr. & vulgatis, *querare*. Sunt enim hæc ex Euripidis Medea, *μὴ λόγυς λέγε*. Quin, ſi ex Euripide expreſſa ſunt, ut ſunt, legendum in imperativo, *præter rogitatum ne loquere*. Lambinus. *Præter rogitatum*, eſt, præter id, quod rogaris. *Si querare*, ſi murmures. *H. Columna*.

ANALYSIS.

(a) *Moreretur*) *Aſſumptio*, quam probat *a Conſequentibus*; incurriſſet enim in dedecus longe majus, ſi mortuus fuiſſet non perſoluta fide ſuis Creditoribus.

(b) *Nolite*) *Complexio*.

(c) *Niſi forte*) *Propoſitionis* approbatio tum *a Simili*, tum a tyrannica regum poteſtate, juxta veteris Poetæ teſtimonium.

spectare debemus, sed ut cavere etiam, & effugere discamus.

At ex hoc (*a*) ipso crimen exoritur. Ait enim, dum Gabinio pecuniam Postumus cogeret ex decumis imperatorum (1), pecuniam sibi coegisse. Non intelligo hoc quale sit, utrum accessionem decumæ, ut nostri facere coactores solent, centesima, an decessionem de summa fecerit (2). Si accessionem (*b*): undecim millia talentum ad Gabinium pervenerunt. At non modo abs te decem

(1) *Ex decumis imperatorum*) Turnebus hoc loco, *decumas imperatorum* interpretatur, decumas pecuniæ imperatæ a Rege Ptolemæo ad usum Gabinii. Quod si est, legerem fere, vel *ex decumis imperatis*, vel *ex decumis imperati æris*. Patric. Omnes hic mendum esse putant, & legendum *aratorum:* frumento enim abundabat Ægyptus, adeoque ex decimis aratorum colligi ea summa poterat. *Ferrat.*

(2) *Utrum accessionem decumæ, ut nostri facere coactores solent, centesima, an decessionem de summa fecerit*) Gabinio, regis jussu, cogebatur illa pecunia, nempe decem millia talentum. Postumus unde sibi sumpsit? Nam si ex decumis fiunt decem millia talentum, quæ Gabinii sunt, pro Postumo quid superest? Exegit, inquies, centesimam nostrorum coactorum more, præter illa decem millia talentum Gabinio coacta; ex quibus, cum ei pro reductione regis promissa essent, detrahi nihil oportuit. Si hoc verum est, respondet Cicero, tota coacta pecunia undecim millia talentum fuisset, non decem millia: quæ ab accusatore objecta, judices, damnato Gabinio, æstimarunt. Id autem quis verum putabit? Nam tantum novi oneris, id est mille talentum, imponi populis, rex non videtur passurus fuisse. Sin autem Postumum in cogenda sibi pecunia non accessionem fecisse ad decem millia talentum, sed ex ipsis decem millibus, Gabinio promissis, centesimam sibi sumpsisse dices: cui verisimile videbitur Gabinium, hominem, ut tu vis, avarissimum, tantum pecuniæ de promissa sibi summa detrahi passum esse? *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *At ex hoc*) Tertium crimen, quod proprie ad Causam spectat; Postumum sibi retinuisse partem pecuniæ, quam ut regius procurator cogebat Gabinio, & videtur accusator dixisse summam mille talentum fuisse. Cicero negat omnino crimen, quod falsum esse ostendit hoc *Dilemmate*:

Aut illa mille talenta, quæ dicuntur pervenisse ad Postumum, accesserunt summę datę Gabinio, aut de ipsa summa detracta sunt;
Neutrum est verum;
Ergo nullo modo illa mille talenta ad Postumum pervenere.

(b) *Si accessionem*) *Assumptionis* prima pars approbata accusatoris testimonio, & Judicum auctoritate, qui litem Gabinio æstimaverant.

cem millia objecta sunt, sed etiam ab his æstimata. Addo illud (*a*) etiam: qui tandem convenit, aut tam gravi onere tributorum ad tantam pecuniam cogendam mille talentum accessionem esse factam, aut in tanta mercede hominis, ut vis, avarissimi, mille talentum decessionem esse concessam? Neque enim fuit Gabinii, remittere tantum de suo, nec regis, imponere tantum pati suis. Aderunt (*b*) testes, legati Alexandrini. Hi nihil (*c*) in Gabinium dixerunt: immo hi Gabinium laudaverunt. Ubi ergo ille mos? ubi consuetudo judiciorum? ubi exempla? soletne is dicere in eum, qui pecuniam redegit (1), qui in illum, cujus nomine ea pecunia redigeretur, non dixerit? Age, si is, qui non dixit, solet: etiamne is

(1) *Soletne is dicere in eum, qui pecuniam redegit*) Cum a coactoribus imperatorum nomine pecunia redigeretur, solebat imperatoris nomen in tabulas expensi & accepti, id est, Alexandrinorum & coactorum referri. Qua de causa si postea quærendum civibus videretur, primum in eum, cujus nomine redacta erat pecunia, accusatio intendebatur, ut si furtum factum appareret, tum is quoque qui coegerat & accessionem receperat, in crimen similiter vocaretur, ut, ejus causa tanquam appendicula quædam causæ judicatæ & damnatæ fuisse videatur. Pendet enim ejus causæ veritas a prioris causæ bonitate: nam si furtum decuma factum est, reddi quoque furti accessionem oportet. Neque prius intelligi potest furtumne fecerit coactor, & injuria corollarium acceperit, quam judicatum sit, furtum in sorte ac principali factum esse. *Hotomanus*.

ANALYSIS.

(a) *Addo illud*) Utramque partem confirmat *ab Adjunctis*, quia neque tantam accessionem passus Rex fuisset in perniciem suorum, neque tantam decessionem de summa Gabinius, homo avarissimus.

(b) *Aderunt*) Alexandrinos legatos, quos in Rabirium testes accusator se producturum dixerat, refellit Cicero in primis a consuetudine *per Comparat. minorum*:

Ii testes in secundo judicio non sunt audiendi, qui in primo judicio in reum non dixerunt, immo illum laudarunt;
Sed Alexandrini legati non dixerunt in Gabinium, immo eum laudarunt;
Ergo nunc non possunt esse testes in Rabirium.

(c) *Hi nihil*) *Assumptio*; sequitur deinde *Propositio*, quam amplificat.

is solet, qui laudavit (1)? Iisdem testibus, & quidem non productis, sed dictis testium recitatis, quasi præjudicata res, ad has causas deferri solet.

XII. Et ait (*a*) etiam meus familiaris, & necessarius, eandem causam (2) Alexandrinis fuisse, cur laudarent Gabinium, quæ mihi fuerit, cur eundem defenderem. Mihi, C. Memmi, causa defendendi Gabinii fuit reconciliatio gratiæ. Neque me vero pœnitet mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere. Nam si me invitum putas, ne Cn. Pompeji animum offenderem, defendisse causam; * & illum, & me vehementer ignoras. Neque enim Pompejus me sua causa quidquam facere voluisset invitum: neque ego, cui omnium civium libertas carissima fuisset, meam projecissem. Quamdiu (*b*) inimicissimus Gabinio fui, non amicissimus mihi non ** Pompejus fuit: nec, postea quam

(*a*)

* Vulg. *defendisse: causam, & illum.*

** Al. delent *non*.

(1) *Etiamne is solet, qui laudavit*) Si is, qui non dixit in eum, cui redigitur pecunia, nunquam solet dicere in eum, qui pecuniam redegit, num hoc faciet, cum laudaverit eum, cujus nomine redacta est pecunia? *Græv*.

(2) *Eandem causam*) Amicitiam Pompeji, cujus opera Ptolemæus redierat in regnum, Cicero autem ab exilio. *Manutius*.

ANALYSIS.

(a) *Et ait*) Diluit, quod irridendo objecerat Memmius, ita in gratiam Pompeji laudatum fuisse Gabinium ab Alexandrinis, ut in gratiam ejusdem a Cicerone defensus fuerat. Ipse contendit, reconciliationem gratiæ cum Gabinio factam quidem Pompejo auctore, non Gabinianæ causæ defensionem; sic *ab Adjunctis*:

Si verum id esset, coegisset me Pompejus facere, quod non debebam;

Sed neque Pompejus is erat, qui me cogeret, neque ego, qui me cogi sinerem, & justa mihi erat causa defendendi Gabinii;

Ergo non cogente Pompejo suscepi Gabinii defensionem.

Assumptionis tertium membrum præcedit, reliqua subsequuntur.

(b) *Quamdiu*) Primum membrum confirmat; nam si Pompejus mihi fuit amicus, licet inimicus eram Gabinio, multo magis quamvis Gabinium non defendissem.

(*a*) illius auctoritati * eam dedi veniam, quam debui, quidquam simulavi, ne cum mea perfidia illi etiam ipsi facerem, cui beneficium dedissem, injuriam. Nam non redeundo in gratiam cum inimico, non violabam Pompejum: si per eum reductus insidiose redissem, me scilicet maxime, sed proxime illum quoque fefellissem.

At de me omittamus: ad Alexandrinos (*b*) istos revertamur. Quod habent os? quam audaciam? modo, vobis inspectantibus, in judicio Gabinii tertio quoque verbo excitabantur. Negabant pecuniam Gabinio datam: recitabatur identidem Pompeji testimonium, regem ad se scripsisse, nullam pecuniam Gabinio, nisi in rem militarem, datam. Non est, inquit, tum Alexandrinis testibus creditum. ** Quid? postea (1) credetur? Credetur. Quamobrem? Quia nunc ajunt, quod tunc negabant. Quid ergo? ista conditio est testium, ut, quibus creditum non sit negantibus, iisdem credatur dicentibus? At, si verum tum, cum verissima fronte dixerunt, nunc mentiuntur. Si tunc mentiti sunt, doceant nos verum. *** Quid vultis? sileant.

* Vulg. *auctoritate*.

** Vict. Grut. *Quid? postea creditum? Non. Quamobrem?*

(1) *Quid? postea*) Necesse est credi vel negantibus, vel affirmantibus. Negantibus in Gabinii judicio creditum non est: itaque judices eum damnarunt: affirmantibus igitur contra Postumum creditur? Hic Cicero ducit argumentum a testium inconstantia. Quid ergo? inquit: iisdem testibus in eadem re creditur nunc, quibus creditum antea non sit? Disputationis autem hic est ordo. *Accusator* dicit: Non est tum Alexandrinis testibus creditum. *Defensor*: Quid postea? *Accusator*: Creditur nunc. *Defensor*: Quamobrem? *Accusator*: Quia nunc ajunt, quod tum negabant. *Defensor*: Quid ergo? ista conditio, &c. *Man.*

*** Lamb. *Quid multa? aut sileant, aut verum dicant.*

ANALYSIS.

(a) *Nec, postea quam*) Tertia pars de ipsa causa; si enim post reconciliatam gratiam non defendissem Gabinium, non solum Gabinio, sed & Pompejo, & meæ præterea fidei, quam dederam, defuissem.

(b) *Ad Alexandrinos*) Redit ad testes, quorum auctoritatem infirmat ab inconstantia; si enim verum dixerunt in causa Gabinii, nunc falsum dicent; si nunc falsum, non est ei credendum, qui semel pejeravit.

Dicere audiebamus Alexandriam, nunc cognoscimus. Illinc omnes præstigiæ, illinc, inquam, omnes fallaciæ, omnia denique ab his mimorum (1) argumenta nata sunt. Nec mihi longius quidquam est, Judices, quam videre hominum vultus.

XIII. Dixerunt hic modo nobiscum (2) ad hæc subsellia, quibus superciliis (3) renuentes huic decem millium crimini? Jam nostis insulsitatem Græcorum. Humeris gestum agebant. Tum temporis, credo, causa: nunc scilicet tempus nullum est (4). Ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea, etiam si per plures deos juret, non oportet: præsertim (a), Judices, cum in his judiciis ne locus quidem novo testi soleat esse: ob eamque causam iidem judices retineantur, qui fuerint de reo: ut his nota sint omnia, neque quid fingi novi possit.

Lites, *quo ea pecunia pervenerit*, non suis propriis judiciis, sed in reum factis condemnari solent. Itaque si aut prædes dedisset Gabinius, aut tantum ex ejus bonis, quanta summa litium fuisset (5), po-

(1) *Mimorum*) Hanc lectionem ut optimam probo. Notum, quam multis fallaciis, præstigiisque utantur mimi, præcipue apud Græcos. *Ferratius*. Al. *numerorum*.

(2) *Nobiscum*) Cum ego Gabinium de repetundis defenderem. Vide supra, cap. 8. *Manutius*.

(3) *Quibus superciliis*) Quo verius eorum testimonium videretur, admirationem superciliis ostendebant, negantes omnino verum esse crimen decem millium talentorum. *Idem*.

(4) *Nunc scilicet tempus nullum est*) Ironia. Æque nunc mentientur odio in Postumum, ut antea mentiti sunt benevolentia in Gabinium. *Ferratius*.

(5) *Quanta summa litium fuisset*) Cujacius in Paratitlis ad D. leg. Julia de repetundis legendum ducit *fuisset*, *pecuniæ redegisset*.

ANALYSIS.

(a) *Præsertim*) Deinde iterum a consuetudine horum judiciorum, sic arguit:

Si ex bonis Gabinii summa litis æstimatæ redigi posset, non quæreretur in Rabirium, etiamsi manifeste reus esset;
Ergo nunc in eum quæri non potest, quem in causa Gabinii reum testes non fecerunt.

populus recepisset, quamvis magna ad Postumum ab eo pecunia pervenisset, non redigeretur: ut intelligi facile possit, quod ex ea pecunia (1), quam ceperit is, qui damnatus est, pervenisse in illo primo judicio planum factum sit, id hoc genere judicii redigi solere. Nunc vero (*a*) quid agitur? ubi terrarum sumus? quid tam insolens, tam perversum, præposterumve dici, aut excogitari potest? Accusatur is, qui non abstulit a rege, sicut Gabinius judicatus est (2), sed qui maximam regi pecuniam credidit. Ergo is Gabinio dedit, qui non huic reddidit. Jam cedo, cum is, qui pecuniam Postumo debuit, non huic, sed Gabinio de-

(1) *Ut intelligi facile possit, quod ex ea pecunia*) Hunc locum male affectum esse non tantum ostendit sententia, & hæsitatio doctorum virorum, sed & antiquorum librorum varietas. Franc. Ms. & editio Mediolanensis: *Quod ex ea pecunia, quæ ad quem eorum, qui damnatus est, pervenisse ad aliquem in illo primo judicio planum factum sit*. Editio prima; *Quod ex ea pecunia, quæ ad aliquem eorum, qui damnatus est, pervenisset ad aliquem nullo præmio judicio planum factum sit*. Legendum censeo secutus vestigia veterum librorum: *Quod ex ea pecunia, quæ ad aliquem comitum ejus, qui damnatus est, pervenisset, in illo primo judicio planum factum sit*. Quis ignorat comites Proconsulum & Prætorum dici, qui erant in cohorte prætoria, qui & eorum contubernales appellabantur? Ex *comitum*, quod vocabulum scriptoribus posteriorum seculorum in hac notione erat minus tritum & notum, facile potuit *eorum* nasci. Aut hanc vocem, aut similem esse pro *eorum* substituendam ipsa clamat sententia. Nam damnabantur repetundarum ipsi magistratus provinciales: si vero quid ex illa pecunia pervenisset ad aliquem eorum, qui in illorum comitatu erat, & in illo judicio, in quo damnabatur Proconsul, id probatum esset, redigebatur ex illius comitis bonis ea, quæ ad illum pervenerat, pecunia. *Græv.*

(2) *Sicut Gabinius judicatus est*) Gabinium ipse defenderat, eique Pompeji causa amicus erat: propterea non fatetur abstulisse Gabinium a rege pecuniam, sed ait, *judicatus est*. Manut.

ANALYSIS.

(a) *Nunc vero*) Tertio, quod non sit probabile, datam a Ptolemæo partem pecuniæ Rabirio, cum ne illam quidem dederit, quam debebat.

dederit, condemnato Gabinio, utrum illi eam pecuniam reddidit, an etiam nunc debet?

XIV. At habet (*a*), & celat. Sunt enim, qui ita loquantur. Quod genus tandem est istud ostentationis & gloriæ? Si nihil habuisset unquam, tamen, si quæsisset, cur is dissimularet habere, causa non esset. Qui vero duo lauta & copiosa patrimonia accepisset, remque præterea bonis & honestis rationibus auxisset, quid esset tandem causæ, cur existimari vellet nihil habere? An, cum (*b*) credebat inductus usuris, id agebat, ut haberet quam plurimum? posteaquam exegit, quod crediderat, ut existimaretur egere, novum genus hoc gloriæ concupiscit?

Dominatus (*c*) est enim, inquit, Alexandriæ. Immo vero in superbissimo dominatu fuit: pertulit ipse custodiam: vidit in vinculis familiares suos: mors ob oculos sæpe versata est: nudus atque egens ad extremum fugit e regno.

At permutata (*d*) aliunde * pecunia est: ductæ naves Postumi Puteolis sunt: auditæ visæque merces; fallaces quidem & fucosæ (1), chartis, & lin-

* Vulg. *aliquando*.

(1) *Fallaces quidem & fucosæ*) Id est, quæ longe aliud erant, ac præ se ferebant. Obductæ namque & opertæ fuerant char-

ANALYSIS.

(a) *At habet*) Pecuniam a Postumo dedita opera celari, falsum esse ostendit *a remotione Causæ per Comparat. minorum*:

Si Postumus inops antea fuisset; nullam haberet causam celandæ pecuniæ;
At fuit antea ditissimus;
Ergo multo minus.

(b) *An, cum*) *Complexionem* urget; quare Postumus tantum pecuniæ Regi credidit? ut ex usuris ditior evaderet. Non igitur nunc suas opes celaret, si quod crediderat exegisset.

(c) *Dominatus*) Duæ conjecturæ Adversarii, quarum prima est, exegisse Postumum omnem suam pecuniam, cum dominium exercuerit Alexandriæ. Respondet Cicero *a Repugnantibus*, non dominari, qui ea patitur, quæ passus est Postumus.

(d) *At permutata*) Altera de navibus, quas mercibus refertas Puteolos duxerat Postumus. Hunc autem rumorem offecisse Rabitio fatetur Cicero, quem deinde infirmat in *Peroratione*.

linteis, & vitro delatæ: * quibus cum multæ naves refertæ fuissent, una non patuit parva. Cataplus (1) ille Puteolanus, sermo illius temporis, vectorumque cursus atque ostentatio, tum subinvisum apud malevolos Postumi nomen propter opinionem pecuniæ nescio quam, æstatem unam, non plures **, aures refersit istis sermonibus.

PERORATIO.

XV. Verum autem (*a*), Judices, si scire vultis, nisi C. Cæsaris summa in omnes, incredibilis in hunc eadem liberalitas extitisset, nos hunc Postumum jam pridem in foro non haberemus (2). Ille onera multorum hujus amicorum excepit unus: quæque multi homines necessarii secundis Postumi rebus descripta (3) sustinuerunt, nunc ejus afflictis fortunis universa sustinet. Umbram equitis Romani & imaginem videtis, Judices, unius amici conservatam auxilio & fide. Nihil huic eripi potest præter hoc simulacrum pristinæ dignitatis, quod Cæsar solus tuetur & sustinet: quæ quidem

 (*a*)

charta, vitro, & linteis, quæ tria sunt mercium genera, quæ Alexandria Romam vehebantur: quemadmodum scribit Plin. lib. XIII, cap. XI, & lib. XXXVI, cap. XXVI. Latebant autem sub iis mercibus aliæ pretiosæ, in quibus erat & pars aliqua pecuniæ. *Hotom.*

* Al. *celatæ*. ** Vulg. *complures aures*.

(1) *Cataplus*) Κατάπλυς proprie dicitur, cum ex alto redit navis, & in portum, unde exierat, remeat. Unde *cataplus* etiam Latinis, classis quæ Alexandriam ibat, ac redibat Romam. *Salm.*

(2) *In foro non haberemus*) Amisso enim equestri censu, quem ad CD millia pervenire oportebat, equestrem simul ordinem, equitumque propria ornamenta, ut clavatam tunicam, amisisset. Ita publico carere cogeretur. *Manut.*

(3) *Descripta*) Describere hoc loco partiri significat & distinguere, quasi diverse & seorsim scribere. Sumpta ab exactoribus tributorum dicendi forma, a quibus partite & separatim singulorum nomina civium describi solent. *Hotom.*

ANALYSIS.

(a) *Verum autem*) Conjecturam de celata a Postumo pecunia, traductisque mercibus Alexandria Romam, Cicero refellit docetque sola Cæsaris liberalitate Postumi dignitatem sustentari

(*a*) in miserrimis rebus, huic tamen tribuenda est maxima. Nisi vero hoc mediocri virtute effici potest, ut tantus ille vir tanti ducat hunc, & afflictum præsertim, & absentem, & in tanta fortuna sua, ut aliena respicere magnum sit; tanta* occupatione maximarum rerum, quas gerit, atque gessit, ut vel oblivisci aliorum non sit mirum, vel si meminerit, oblitum esse facile possit probare.

Multas equidem (*b*) C. Cæsaris virtutes, magnas, incredibilesque cognovi. Sed sunt cæteræ majoribus quasi theatris propositæ, & pene populares: castris locum capere, exercitum instruere, expugnare urbes, aciem hostium profligare, hanc vim frigorum, hiememque, quam nos vix hujus urbis tectis sustinemus, excipere, his ipsis diebus hostem persequi, tum, cum etiam feræ latibulis se tegant, atque omnia bella jure gentium conquiescant: sunt ea quidem magna, quis negat? sed magnis excitata sunt præmiis ad memoriam hominum sempiternam: quo minus admirandum est, eum facere illa, qui immortalitatem concupiverit.

XVI. Hæc mira laus est, quæ non poetarum carminibus, non annalium monumentis celebratur, sed prudentium judicio expenditur. Equitem Romanum, veterem amicum suum, studiosum, amantem, observantem sui, non libidine, non turpibus impensis cupiditatum, atque jacturis (1), sed expe-

* Vict. Man. Grut. *oppugnatione*.

(1) *Jacturis*) Est sumptibus, ut sæpius apud Cæsarem & Tullium. *Grævius*.

ANALYSIS.

IV (a) *Quæ quidem*) Secundo etiam a Judicibus sustentandam esse Postumi dignitatem ostendit, quippe viri summa virtute præditi; Postumi autem virtutem non mediocrem amplificat *ab Adjunctis*, quod hac una de causa amicum inopem Cæsar tueretur vir tantus, tantisque implicatus rebus.

(b) *Multas equidem*) Tertio hanc Cæsaris liberalitatem, & memoriam amicitiæ reliquis omnibus illius virtutibus anteponit.

perientia patrimonii amplificandi labentem excepit, corruere non ſivit, fulſit & ſuſtinuit re, fortuna, fide: hodieque ſuſtinet: nec amicum pendentem corruere patitur, nec illius animi aciem perſtringit ſplendor ſui nominis (1), nec mentis quaſi luminibus officit altitudo fortunæ & gloriæ.

Sint ſane illa magna, quæ re vera magna ſunt. De judicio animi mei, ut volet, quiſque ſentiat. Ego enim hanc in tantis opibus, tanta fortuna, liberalitatem in ſuos, memoriam amicitiæ, reliquis virtutibus omnibus antepono. Quam quidem (a) vos, Judices, in novo genere bonitatem inuſitatam claris ac præpotentibus viris, non modo non aſpernari ac refutare, ſed complecti etiam & augere debetis: & eo magis, quod videtis, hos quaſi ſumptos dies ad labefactandam illius dignitatem (2): ex qua illi nihil detrahi poteſt, quod non aut fortiter ferat, aut facile reſtituat. Amiciſſimum hominem ſi honeſtate ſpoliatum audierit, nec ſine magno dolore feret, nec id amiſerit, quod poſſe ſpe-

(1) *Animi aciem* præſtinguit *ſplendor ſui nominis*) Sic eſſe legendum, in commentariis & Lucretianis, & Horatianis γεωμετρικῶς demonſtravi. Quod ſi qui adhuc negant, cum rationes, & exempla a me collecta legerint, ſuadeo eis, ut porcos ſacros, & ſinceros emant, eoſque Laribus Grundalibus immolent. Sin neſciunt, diſcant. *Lambin.* Obtemperare tamen Gruterus & Grævius noluerunt; quos equidem ſequor, ut Lambinianæ huic elegantiæ ſit locus in noſtro Commentariorum delectu. *Olivetus*.

(2) *Ad labefactandam illius dignitatem*) Non conſtat quid adverſarii tum temporis moliti ſint contra Cæſaris dignitatem: niſi forte illud eſt, quod tradit Appianus II. bellorum civilium: *Pompejus ... tulit legem ut ex eo tempore, quo ipſe primum conſul fuerat, uſque in præſentem conſulatum, liceret ab iis qui magiſtratus geſſerant, rationem actorum expeti. Erat autem id tempus annorum pene viginti, quod & Cæſaris conſulatum complectebatur. Id factum Cæſariani interpretabantur in patroni ſui ſigillationem ac contumeliam, dum tam longe repetuntur elapſa tempora.* Abram.

A N A L Y S I S.

(a) *Quam quidem*) Quarto judices hortatur, ut in gratiam Cæſaris lanes, & miſericordes Poſtumo eſſe velint.

ſperet recuperari. Satis (*a*) multa hominibus non iniquis hæc eſſe debent: nimis etiam multa vobis, quos æquiſſimos eſſe confidimus.

XVII. Sed, ut omnium vel ſuſpicioni, vel malevolentiæ, vel crudelitati ſatis fiat, occultat pecuniam Poſtumus, latent regiæ divitiæ. Ecquis eſt ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Poſtumi nummo ſeſtertio ſibi addici velit? Sed, miſerum me! quanto hæc dixi cum dolore? hem, Poſtume, tune es Curii (1) filius, C. Rabirii judicio & voluntate filius, natura ſororis filius? tune ille in omnes tuos liberalis? cujus multos bonitas locupletavit? qui nihil profudiſti? nihil ullam in libidinem contuliſti? tua, Poſtume, nummo ſeſtertio a me addicuntur?

O meum miſerum acerbumque præconium! At hoc etiam (*b*) optat miſer, ut condemnetur a vobis (2): ita bona veneant, ut ſolidum ſuum cui-

(1) *Curii*) Dixi jam, duos Poſtumo patres fuiſſe, a quibus etiam duo ei lauta, & copioſa patrimonia relicta ſunt, Curium naturalem, adoptivum Rabirium, matris fratrem: a quo prænomen, & nomen accepit, ut in adoptionibus mos erat. *Manut.*

(2) *At hoc etiam optat miſer, ut condemnetur a vobis*) Suſpicor mendoſum ac mutilatum eſſe locum. Neque enim adduci poſſum ut credam dicere oratorem C. Rabirium optare ut peculatus damnetur: a quo eum quam alieniſſimum eſſe docere conatus eſt. Præterea non cohæret quod de fide creditoribus præſtanda ſequitur: nam ſi reliqua Gabinianæ pecuniæ ſerventur, ex ejus bonis (id quod ex condemnatione ſequitur) tam exigua ſunt ejus bona, ut nihil ſuperfuturum ſit, quo ejus creditores abſolvantur. Locum igitur ad hunc modum emendandum eſſe arbitror: *At hoc tamen optat miſer, ut ſi condemnetur a vobis, ita bona veneant*, &c. Et ſane continuo ſubjungit, *nihil aliud niſi fidem curat*: quod & cum ea lectione convenientiſſimum videtur, & ad noſtram tuendam ſententiam vehementiſſimum. *Hotom.*

ANALYSIS.

(a) *Satis*) Ut opinionem celatæ a Poſtumo pecuniæ omnino tollat, dat cuilibet optionem, qui minimo pretio velit emere illius bona; & *miſericordiam* excitat, tum quod ex ditiſſimo factus ſit egens, tum quod bene uſus divitiis nullo ſuo vitio egere cœperit.

(b) *At hoc etiam*) Alterum a Judicibus petit, ut condemnent ea conditione Poſtumum, ut prius ſuis Creditoribus ſatisfiat. Ex quo palam fit, non celari a Poſtumo regiam pecuniam, ſi ejus facultates non erant ſatis perſolvendæ creditoribus fidei.

cuique solvatur (1). Nihil jam aliud nisi fidem curat: nec vos huic, si jam oblivisci vestræ mansuetudinis volueritis, quidquam præterea potestis eripere. Quod, Judices, ne faciatis, oro obtestorque vos, atque eo magis, si adventitia pecunia petitur ab eo, cui sua non redditur. Nam in eum, cui misericordia opitulari debebat *, invidia quæsita est.

Sed jam (*a*), quoniam, ut spero, fidem, quam potui, tibi præstiti, Postume, reddam etiam lacrymas, quas debeo. Quas quidem ego tuas in meo casu plurimas vidi. Versatur ante oculos luctuosa nox meis omnibus, cum tu totum te cum tuis copiis ad me detulisti. Tu comitibus, tu præsidio, tu etiam tanto pondere auri, quantum tempus illud postulabat, discessum illum sustentasti: tu nunquam meis, me absente, liberis, nunquam conjugi meæ defuisti. Possum excitare multos reductos testes (2) liberalitatis tuæ: quod sæpe audi-

* Vulg. *debeat*.

(1) *Ut solidum suum cuique solvatur*) Creditoribus nempe, a quibus pecuniam sumpserat mutuo, quam Alexandrino Regi crederet. Sed hoc tamen loco quæri illud potest, cum supra nummum sestertium in bonis Postumi fuisse neget, quomodo ex iisdem bonis absolvi creditores poterunt. Nec me latet hanc multis impeditam videri posse quæstionem, quo lubentius quid de ea sententiam explicabo. Arbitror equidem intelligendum hoc loco ac subaudiendum esse regulam, quæ in libris Juris civilis usurpatur, & sermone Jurisconsultorum trita est: ea duntaxat in bonis esse cujusque videri, quæ deducto ære alieno supersunt. Tanta autem fuisse Rabirii debita, ut iis exsolutis ac deductis, ne unus quidem sestertius in ejus bonis superesset. *Idem*.

(2) *Excitare ... testes*) Idem est quod producere testes, & jubere surgere ad testimonium dicendum; sedebant enim testes in subselliis. Sed qui sint *reducti testes*, fateor, me non intelligere. *Grævius*. Hunc locum, in quo Grævius negat se scire, qui sint *reducti*, sic interpretor: Possum adducere multos testes liberalitatis tuæ, quos tu, cum ære alieno concidissent, & solum vertissent, reduxisti, restituisti, ære alieno ipsorum tua liberalitate dissoluto; quod cum pater tuus fecisset, ei opem tulit in judicio capitis, adeoque tibi etiam prodesse debet. *Ernestus*.

A N A L Y S I S.

(a) *Sed jam*) Ultimo deprecator ipse Cicero accedit, & commemorat Rabirii in se merita, quo tempore in exilium a Clodio pulsus est; præterea liberalitatem in amicos, suorumque in eum benevolentiam, ne cum omnia reliqua amiserit, amittat etiam dignitatem,

audivi patri tuo, qui id fecisset, magno adjumento in judicio capitis fuisse. Sed jam omnia timeo: bonitatis ipsius invidiam reformido. Jam indicat tot hominum fletus, quam sis carus tuis: & me dolor debilitat, includitque vocem. Vos obsecro, Judices, ut huic optimo viro, quo nemo melior unquam fuit, nomen equitis Romani, & usuram hujus lucis, & vestrum conspectum ne eripiatis. Hic vos aliud nihil orat, nisi ut rectis oculis hanc urbem (1) sibi intueri, atque in hoc foro vestigium facere liceat: quod ipsum fortuna eripuerat, nisi unius amici opes subvenissent.

(1) *Rectis oculis hanc urbem*) Hoc est, sine pudore ac dolore, quo exules solent, & foro ejecti. *Idem*.



PRO

PRO M. MARCELLO, ORATIO XL.

ARGUMENTUM.

M. Claudius Marcellus, plebeji generis, (nam & Claudii, Pulchrorum, Neronumque cognomine, patricii fuere) nobilis tamen ex majoribus, & sua virtute clarus, gesto consulatu cum Ser. Sulpicio Rufo, jurisconsulto celeberrimo, civili bello Pompejum secutus est: victusque Pharsalica pugna, neque cum iis, qui bellum in Africa renovandum putarunt, sua consilia conjunxit, neque ad Cæsarem victorem, impetrandæ veniæ causa, supplex ire voluit: Mitylenas, urbem a bello, & a belli suspicione remotam, se contulit: ibi satis diu, nullo revertendi in patriam studio, commoratus, cum in publica calamitate conscientia se mentis optimæ consolaretur, & in literis viveret, reditum ei senatus a Cæsare impetravit, quo beneficio gratiæ sunt a multis actæ; Cicero autem, Marcelli amantissimus, luculenta, quæ exstat, oratione, & gratias egit, & ita Cæsarem laudavit, ut accedere nihil posset. Qua de re non alienum videtur ea recitare, quæ ad Sulpicium scripsit his verbis: Fecerat hoc senatus, ut cum a L. Pisone mentio esset facta de Marcello, & cum C. Marcellus se ad Cæsaris pedes abjecisset, cunctus consurgeret, & ad Cæsarem supplex accederet. Noli quærere: ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem videre aliquam viderer, quasi reviviscentis Reip. Itaque, cum omnes ante me rogati gratias Cæsari egissent, ego rogatus mutavi meum

meum consilium. Nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinæ dignitatis in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium & Cæsaris magnitudo animi, & senatus officium. Itaque pluribus verbis egi Cæsari gratias. *Hic de Marcelli summa eloquentia, quia non pertinet ad orationis argumentum, nihil addam. Illud omittendum non videtur, cum in patriam rediret, a P. Magio Chilone, familiari suo, interfectum esse. De quo Sulpicii ad Ciceronem exstat epistola. Et quanquam propter Marcellum habita oratio sit, ad conciliandam tamen, & colligendam Cæsaris benevolentiam digreditur Cicero in eam partem, ut de querela ejus, & de suspicione, qui se insidias metuere dixerat, accurate disputet: ac primum, non esse timendum, ostendat; cum nemo tam ingratus, tamque injustus esse possit, qui, cujus in anima resp. consistit, & a cujus vita omnium vita pendet, eum exstinctum velit; deinde & suo, & reipublicæ nomine hortetur atque obsecret, ut suæ vitæ consulat: postremo non excubias modo custodiasque bonorum civium pro salute illius, verum etiam laterum & corporum oppositus contra vim polliceatur. Habita est, Cæsare III. & M. Lepido Coss. victis jam iterum in Africa cum Juba rege Pompejanis.* MANUTIUS.

ORATIONIS SYNOPSIS.

HÆc Oratio versatur in genere *Demonstrativo*: laudat enim Cæsarem: & habet tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

In *Exordio* sibi dicendum esse probat, cum usque ad illud tempus tacuerit, *a Causæ remotione*: *Diuturni silentii*; & gloriam restituti Marcelli amplificat *ab Adjunctis* personarum: *Ille quidem fructum*.

In prima parte *Contentionis* præfert laudem clemen-

mentiæ bellicis laudibus. 1. *ab Adjunctis*, quod ea laus sit tota Cæsaris: *Sed tamen sunt alia*; 2. *a Causa formali*, quia difficilis est acquisitu: *Domuisti gentes*; 3. *a Comparatione minorum*, quod eam laudamus etiam in fabulis: *Itaque, C. Cæsar.*

Sequitur deinde amplificatio beneficii collati: *Et cæteros quidem*; laudat Cæsarem *ab Effectis*, ut pacis cupidum: *Quo quidem in bello*; & *a Comparatione dissimilium*, hoc est Pompejanorum, ut clementem victorem: *Non enim jam causæ.*

In secunda parte, Cæsaris suspicionem falsam esse probat *ab Adjunctis* personarum: *Sed quisnam est*; Monet, ut caveat ob Reip. salutem: *Sed tamen.*

Cæsaris dictum redarguit, ostenditque eum non satis patriæ vixisse: *At, quod maximum est*; sed neque gloriæ, quod restaret constituenda Resp. *Quid si istud ne gloriæ quidem tuæ.*

In *Peroratione* gratias agit tum communi omnium nomine, tum privatim suo: *Sed, ut unde.*

E X O R D I U M.

I. DIuturni (*a*) silentii, Patres Conscripti, quo eram his temporibus (1) usus, non timore aliquo (2), sed partim dolore (3), par-

(1) *His temporibus*) Hoc anno qui a pugna Pharsalica jam effluxit. Ait *his temporibus*, non *hoc tempore*, quia tempora calamitatem aliquam, aut certe periculum indicant. *Abramus.*

(2) *Non timore aliquo*) Captat a Cæsare benevolentiam, cum se non timuisse ostendit, ne liberius de repub. loquens, eum offenderet. *Idem.*

(3) *Dolore*) Vel luctu meorum qui bello civili perierant, vel dolore & pœnitentia, quod contra Cæsarem tam benignum & humanum virum, adhæserim Cn. Pompejo. *Abram.*

ANALYSIS.

(a) *Diuturni*) Exponit in *Exordio*, quare eo die redeat ad pristinum suum dicendæ sententiæ morem propter restitutum per summam clementiam Cæsaris M. Marcellum; & ita disputat *a Causæ remotione*:

Ideo tacebam, quia M. Marcellus exularet;
Sed illum benignissime hodie restituit;
Ergo hodiernus dies finem afferre debuit mei silentii.

partim verecundia (1), finem hodiernus dies attulit: idemque initium, quæ vellem, quæque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam ac pene divinam, tacitus nullo modo præterire possum. M. enim Marcello vobis, Patres Conscripti, reique publicæ reddito, non solum illius, sed meam etiam vocem, & auctoritatem, & vobis, & reipublicæ conservatam ac restitutam puto.

Dolebam (*a*) enim, Patres Conscripti, ac vehementer angebar, cum viderem, virum talem, qui in eadem causa, in qua ego *, fuisset, non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in nostro veteri curriculo, illo æmulo atque imitatore studiorum, ac laborum meorum quasi quodam socio, a me & comite distracto. Ergo (*b*) & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem, C. Cæsar, interclusam aperuisti, & his omnibus ad bene de omni republica sperandum, quasi signum aliquod sustulisti. Intellectum est enim mihi quidem in multis, & maxime in me ipso, sed paulo ante omnibus (2), cum M. Marcellum senatui populoque Romano ** concessisti, commemoratis præsertim offen-

* Al. *causa esset, inqua ego fuissem.*
** In vulg. additur *&* *Reip.*
(1) *Verecundia*) Contra quem enim armis pugnassem, eo præsente verba facere verecundia prohibebat. *Manut.*
(2) *Paulo ante omnibus*) Vide Petri Victorii, Var. Lect. XVIII. 6.

ANALYSIS.

(a) *Dolebam*) *Propositio* ; & causam silentii justam fuisse ostendit *a Congruo*.
(b) *Ergo*) *Complexio*, quam illustrat *a Consequentibus*, quod bene jam de Rep. sperandum sit ; non enim restituisset Cæsar M. Marcellum, deprecante Senatu, nisi maximi faceret illius ordinis auctoritatem.

fensionibus (1), te auctoritatem hujus ordinis, dignitatemque reipublicæ tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre. Ille quidem (*a*) fructum omnis vitæ ante actæ hodierno die maximum cepit, cum summo consensu senatus, tum præterea judicio tuo gravissimo & maximo: ex quo (*b*) profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Est vero fortunatus ille, cujus ex salute non minor pene ad omnes, quam ad illum ventura sit, lætitia pervenerit. Quod ei quidem merito, atque optimo jure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo genere laudis præstantior? Nullius tantum (*c*) est flumen ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tanta copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit. Tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno die consecutus es.

CONTENTIONIS I. PARS.

II. Soleo (*d*) sæpe ante oculos ponere, idque li-

(1) *Commemoratis præsertim offensionibus*) Malim *commemoratis præsertim ejus offensionibus*. *Patric.* Al. *condonatis* vulg. *præsertim etiam*.

ANALYSIS.

(a) *Ille quidem*) Deinde probat, maxima cum gloria Marcellum fuisse restitutum; sic igitur *ab Adjunctis:*

Illius maxima est gloria, quem salvum esse omnes voluerunt, & lætantur, & cui vir inimicissimus salutem concessit;
Sed Marcelli salutem omnes optarunt, & nunc gratulantur, eamque Cæsar indulsit vir Marcello inimicissimus;
Ergo maxima cum gloria Marcellus hodierno die restitutus est.

(b) *Ex quo*) Brevis *Digressio*, qua Cæsaris laudes attingit *a Contrariis*, cum hoc beneficium dedit, quod tanta sit illius gloria, qui accepit.

(c) *Nullius tantum*) *Propositio* Orationis; Cæsarem magis esse gloriosum, quod clementia utatur in victos, quam quod innumera bella confecerit.

(d) *Soleo*) Quo magis amplificatio crescat, bellicas Cæsaris laudes extollit per reliquorum Imperatorum comparationem; ad suum

(*a*) in miserrimis rebus, huic tamen tribuenda est maxima. Nisi vero hoc mediocri virtute effici potest, ut tantus ille vir tanti ducat hunc, & afflictum præsertim, & absentem, & in tanta fortuna sua, ut aliena respicere magnum sit; tanta* occupatione maximarum rerum, quas gerit, atque gessit, ut vel oblivisci aliorum non sit mirum, vel si meminerit, oblitum esse facile possit probare.

Multas equidem (*b*) C. Cæsaris virtutes, magnas, incredibilesque cognovi. Sed sunt cæteræ majoribus quasi theatris propositæ, & pene populares: castris locum capere, exercitum instruere, expugnare urbes, aciem hostium profligare, hanc vim frigorum, hiememque, quam nos vix hujus urbis tectis sustinemus, excipere, his ipsis diebus hostem persequi, tum, cum etiam feræ latibulis se tegant, atque omnia bella jure gentium conquiescant: sunt ea quidem magna, quis negat? sed magnis excitata sunt præmiis ad memoriam hominum sempiternam: quo minus admirandum est, eum facere illa, qui immortalitatem concupiverit.

XVI. Hæc mira laus est, quæ non poetarum carminibus, non annalium monumentis celebratur, sed prudentium judicio expenditur. Equitem Romanum, veterem amicum suum, studiosum, amantem, observantem sui, non libidine, non turpibus impensis cupiditatum, atque jacturis (1), sed expe-

* Vict. Man. Grut. *oppugnatione*.

(1) *Jacturis*) Est sumptibus, ut sæpius apud Cæsarem & Tullium. *Grævius*.

ANALYSIS.

IV (a) *Quæ quidem*) Secundo etiam a Judicibus sustentandam esse Postumi dignitatem ostendit, quippe viri summa virtute præditi; Postumi autem virtutem non mediocrem amplificat *ab Adjunctis*, quod hac una de causa amicum inopem Cæsar tueretur vir tantus, tantisque implicatus rebus.

(b) *Multas equidem*) Tertio hanc Cæsaris liberalitatem, & memoriam amicitiæ reliquis omnibus illius virtutibus anteponit.

perientia patrimonii amplificandi labentem excepit, corruere non sivit, fulsit & sustinuit re, fortuna, fide: hodieque sustinet: nec amicum pendentem corruere patitur, nec illius animi aciem perstringit splendor sui nominis (1), nec mentis quasi luminibus officit altitudo fortunæ & gloriæ.

Sint sane illa magna, quæ re vera magna sunt. De judicio animi mei, ut volet, quisque sentiat. Ego enim hanc in tantis opibus, tanta fortuna, liberalitatem in suos, memoriam amicitiæ, reliquis virtutibus omnibus antepono. Quam quidem (a) vos, Judices, in novo genere bonitatem inusitatam claris ac præpotentibus viris, non modo non aspernari ac refutare, sed complecti etiam & augere debetis: & eo magis, quod videtis, hos quasi sumptos dies ad labefactandam illius dignitatem (2): ex qua illi nihil detrahi potest, quod non aut fortiter ferat, aut facile restituat. Amicissimum hominem si honestate spoliatum audierit, nec sine magno dolore feret, nec id amiserit, quod posse spe-

(1) *Animi aciem* præstinguit *splendor sui nominis*) Sic esse legendum, in commentariis & Lucretianis, & Horatianis γεωμετρικῶς demonstravi. Quod si qui adhuc negant, cum rationes, & exempla a me collecta legerint, suadeo eis, ut porcos sacros, & sinceros emant, eosque Laribus Grundalibus immolent. Sin nesciunt, discant. *Lambin.* Obtemperare tamen Gruterus & Grævius noluerunt; quos equidem sequor, ut Lambinianæ huic elegantiæ sit locus in nostro Commentariorum delectu. *Olivetus.*

(2) *Ad labefactandam illius dignitatem*) Non constat quid adversarii tum temporis moliti sint contra Cæsaris dignitatem: nisi forte illud est, quod tradit Appianus II. bellorum civilium: *Pompejus . . . tulit legem ut ex eo tempore, quo ipse primum consul fuerat, usque in præsentem consulatum, liceret ab iis qui magistratus gesserant, rationem actorum expeti. Erat autem id tempus annorum pene viginti, quod & Cæsaris consulatum complectebatur. Id factum Cæsariani interpretabantur in patroni sui sigillationem ac contumeliam, dum tam longe repetuntur elapsa tempora.* Abram.

ANALYSIS.

(a) *Quam quidem*) Quarto judices hortatur, ut in gratiam Cæsaris lenes, & misericordes Postumo esse velint.

speret recuperari. Satis (*a*) multa hominibus non iniquis hæc esse debent: nimis etiam multa vobis, quos æquissimos esse confidimus.

XVII. Sed, ut omnium vel suspicioni, vel malevolentiæ, vel crudelitati satis fiat, occultat pecuniam Postumus, latent regiæ divitiæ. Ecquis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Postumi nummo sestertio sibi addici velit? Sed, miserum me! quanto hæc dixi cum dolore? hem, Postume, tune es Curii (1) filius, C. Rabirii judicio & voluntate filius, natura sororis filius? tune ille in omnes tuos liberalis? cujus multos bonitas locupletavit? qui nihil profudisti? nihil ullam in libidinem contulisti? tua, Postume, nummo sestertio a me addicuntur?

O meum miserum acerbumque præconium! At hoc etiam (*b*) optat miser, ut condemnetur a vobis (2): ita bona veneant, ut solidum suum cui-

(1) *Curii*) Dixi jam, duos Postumo patres fuisse, a quibus etiam duo ei lauta, & copiosa patrimonia relicta sunt, Curium naturalem, adoptivum Rabirium, matris fratrem: a quo prænomen, & nomen accepit, ut in adoptionibus mos erat. *Manut.*

(2) *At hoc etiam optat miser, ut condemnetur a vobis*) Suspicor mendosum ac mutilatum esse locum. Neque enim adduci possum ut credam dicere oratorem C. Rabirium optare ut peculatus damnetur: a quo eum quam alienissimum esse docere conatus est. Præterea non cohæret quod de fide creditoribus præstanda sequitur: nam si reliqua Gabinianæ pecuniæ serventur, ex ejus bonis (id quod ex condemnatione sequitur) tam exigua sunt ejus bona, ut nihil superfuturum sit, quo ejus creditores absolvantur. Locum igitur ad hunc modum emendandum esse arbitror: *At hoc tamen optat miser, ut si condemnetur a vobis, ita bona veneant*, &c. Et sane continuo subjungit, *nihil aliud nisi fidem curat*: quod & cum ea lectione convenientissimum videtur, & ad nostram tuendam sententiam vehementissimum. *Hotom.*

ANALYSIS.

(a) *Satis*) Ut opinionem celatæ a Postumo pecuniæ omnino tollat, dat cuilibet optionem, qui minimo pretio velit emere illius bona; & *misericordiam* excitat, tum quod ex ditissimo factus sit egens, tum quod bene usus divitiis nullo suo vitio egere cœperit.

(b) *At hoc etiam*) Alterum a Judicibus petit, ut condemnent ea conditione Postumum, ut prius suis Creditoribus satisfiat. Ex quo palam fit, non celari a Postumo regiam pecuniam, si ejus facultates non erant satis persolvendæ creditoribus fidei.

cuique solvatur (1). Nihil jam aliud nisi fidem curat: nec vos huic, si jam oblivisci vestræ mansuetudinis volueritis, quidquam præterea potestis eripere. Quod, Judices, ne faciatis, oro obtestorque vos, atque eo magis, si adventitia pecunia petitur ab eo, cui sua non redditur. Nam in eum, cui misericordia opitulari debebat *, invidia quæsita est.

Sed jam (*a*), quoniam, ut spero, fidem, quam potui, tibi præstiti, Postume, reddam etiam lacrymas, quas debeo. Quas quidem ego tuas in meo casu plurimas vidi. Versatur ante oculos luctuosa nox meis omnibus, cum tu totum te cum tuis copiis ad me detulisti. Tu comitibus, tu præsidio, tu etiam tanto pondere auri, quantum tempus illud postulabat, discessum illum sustentasti: tu nunquam meis, me absente, liberis, nunquam conjugi meæ defuisti. Possum excitare multos reductos testes (2) liberalitatis tuæ: quod sæpe audi-

* Vulg. *debeat*.

(1) *Ut solidum suum cuique solvatur*) Creditoribus nempe, a quibus pecuniam sumpserat mutuo, quam Alexandrino Regi crederet. Sed hoc tamen loco quæri illud potest, cum suprà nummum sestertium in bonis Postumi fuisse neget, quomodo ex iisdem bonis absolvi creditores poterunt. Nec me latet hanc multis impeditam videri posse quæstionem, quo lubentius quid de ea sentiam explicabo. Arbitror equidem intelligendum hoc loco ac subaudiendum esse regulam, quæ in libris Juris civilis usurpatur, & sermone Jurisconsultorum trita est: ea duntaxat in bonis esse cujusque videri, quæ deducto ære alieno supersunt. Tanta autem fuisse Rabirii debita, ut iis exsolutis ac deductis, ne unus quidem sestertius in ejus bonis superesset. *Idem*.

(2) *Excitare ... testes*) Idem est quod producere testes, & jubere surgere ad testimonium dicendum; sedebant enim testes in subselliis. Sed qui sint *reducti testes*, fateor, me non intelligere. *Grævius*. Hunc locum, in quo Grævius negat se scire, qui sint *reducti*, sic interpretor: Possum adducere multos testes liberalitatis tuæ, quos tu, cum ære alieno concidissent, & solum vertissent, reduxisti, restituisti, ære alieno ipsorum tua liberalitate dissoluto; quod cum pater tuus fecisset, ei opem tulit in judicio capitis, adeoque tibi etiam prodesse debet. *Ernestus*.

A N A L Y S I S.

(a) *Sed jam*) Ultimo deprecator ipse Cicero accedit, & commemorat Rabirii in se merita, quo tempore in exilium a Clodio pulsus est; præterea liberalitatem in amicos, suorumque in eum benevolentiam, ne cum omnia reliqua amiserit, amittat etiam dignitatem,

audivi patri tuo, qui id fecisset, magno adjumento in judicio capitis fuisse. Sed jam omnia timeo: bonitatis ipsius invidiam reformido. Jam indicat tot hominum fletus, quam sis carus tuis: & me dolor debilitat, includitque vocem. Vos obsecro, Judices, ut huic optimo viro, quo nemo melior unquam fuit, nomen equitis Romani, & usuram hujus lucis, & vestrum conspectum ne eripiatis. Hic vos aliud nihil orat, nisi ut rectis oculis hanc urbem (1) sibi intueri, atque in hoc foro vestigium facere liceat: quod ipsum fortuna eripuerat, nisi unius amici opes subvenissent.

(1) *Rectis oculis hanc urbem*) Hoc est, sine pudore ac dolore, quo exules solent, & foro ejecti. *Idem*.



PRO

PRO M. MARCELLO,

ORATIO XL.

ARGUMENTUM.

M. *Claudius Marcellus, plebeji generis, (nam & Claudii, Pulchrorum, Neronumque cognomine, patricii fuere) nobilis tamen ex majoribus, & sua virtute clarus, gesto consulatu cum Ser. Sulpicio Rufo, jurisconsulto celeberrimo, civili bello Pompejum secutus est: victusque Pharsalica pugna, neque cum iis, qui bellum in Africa renovandum putarunt, sua consilia conjunxit, neque ad Cæsarem victorem, impetrandæ veniæ causa, supplex ire voluit: Mitylenas, urbem a bello, & a belli suspicione remotam, se contulit: ibi satis diu, nullo revertendi in patriam studio, commoratus, cum in publica calamitate conscientia se mentis optimæ consolaretur, & in literis viveret, reditum ei senatus a Cæsare impetravit, quo beneficio gratiæ sunt a multis actæ; Cicero autem, Marcelli amantissimus, luculenta, quæ exstat, oratione, & gratias egit, & ita Cæsarem laudavit, ut accedere nihil posset. Qua de re non alienum videtur ea recitare, quæ ad Sulpicium scripsit his verbis*: Fecerat hoc senatus, ut cum a L. Pisone mentio esset facta de Marcello, & cum C. Marcellus se ad Cæsaris pedes abjecisset, cunctus consurgeret, & ad Cæsarem supplex accederet. Noli quærere: ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem videre aliquam viderer, quasi reviviscentis Reip. Itaque, cum omnes ante me rogati gratias Cæsari egissent, ego rogatus mutavi meum

meum consilium. Nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinæ dignitatis in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium & Cæsaris magnitudo animi, & senatus officium. Itaque pluribus verbis egi Cæsari gratias. *Hic de Marcelli summa eloquentia, quia non pertinet ad orationis argumentum, nihil addam. Illud omittendum non videtur, cum in patriam rediret, a P. Magio Chilone, familiari suo, interfectum esse. De quo Sulpicii ad Ciceronem exstat epistola. Et quanquam propter Marcellum habita oratio sit, ad conciliandam tamen, & colligendam Cæsaris benevolentiam digreditur Cicero in eam partem, ut de querela ejus, & de suspicione, qui se insidias metuere dixerat, accurate disputet: ac primum, non esse timendum, ostendat; cum nemo tam ingratus, tamque injustus esse possit, qui, cujus in anima resp. consistit, & a cujus vita omnium vita pendet, eum exstinctum velit; deinde & suo, & reipublicæ nomine hortetur atque obsecret, ut suæ vitæ consulat: postremo non excubias modo custodiasque bonorum civium pro salute illius, verum etiam laterum & corporum oppositus contra vim polliceatur. Habita est, Cæsare III. & M. Lepido Coss. victis jam iterum in Africa cum Juba rege Pompejanis.* MANUTIUS.

ORATIONIS SYNOPSIS.

HÆc Oratio versatur in genere *Demonstrativo*: laudat enim Cæsarem: & habet tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

In *Exordio* sibi dicendum esse probat, cum usque ad illud tempus tacuerit, *a Causæ remotione*: *Diuturni silentii*; & gloriam restituti Marcelli amplificat *ab Adjunctis* personarum: *Ille quidem fructum*.

In prima parte *Contentionis* præfert laudem clemen-

mentiæ bellicis laudibus. 1. *ab Adjunctis*, quod ea laus sit tota Cæsaris: *Sed tamen sunt alia*; 2. *a Causa formali*, quia difficilis est acquisitu: *Domuisti gentes*; 3. *a Comparatione minorum*, quod eam laudamus etiam in fabulis: *Itaque*, C. *Cæsar*.

Sequitur deinde amplificatio beneficii collati: *Et cæteros quidem*; laudat Cæsarem *ab Effectis*, ut pacis cupidum: *Quo quidem in bello*; & *a Comparatione dissimilium*, hoc est Pompejanorum, ut clementem victorem: *Non enim jam causæ*.

In secunda parte, Cæsaris suspicionem falsam esse probat *ab Adjunctis* personarum: *Sed quisnam est*; Monet, ut caveat ob Reip. salutem: *Sed tamen*.

Cæsaris dictum redarguit, ostenditque eum non satis patriæ vixisse: *At, quod maximum est*; sed neque gloriæ, quod restaret constituenda Resp. *Quid si istud ne gloriæ quidem tuæ*.

In *Peroratione* gratias agit tum communi omnium nomine, tum privatim suo: *Sed, ut unde*.

EXORDIUM.

I. DIuturni (*a*) silentii, Patres Conscripti, quo eram his temporibus (1) usus, non timore aliquo (2), sed partim dolore (3), par-

(1) *His temporibus*) Hoc anno qui a pugna Pharsalica jam effluxit. Ait *his temporibus*, non *hoc tempore*, quia tempora calamitatem aliquam, aut certe periculum indicant. *Abramus*.

(2) *Non timore aliquo*) Capiat a Cæsare benevolentiam, cum se non timuisse ostendit, ne liberius de repub. loquens, eum offenderet. *Idem*.

(3) *Dolore*) Vel luctu meorum qui bello civili perierunt, vel dolore & pœnitentia, quod contra Cæsarem tam benignum & humanum virum, adhæserim Cn. Pompejo. *Abram*.

ANALYSIS.

(a) *Diuturni*) Exponit in *Exordio*, quare eo die redeat ad pristinum suum dicendæ sententiæ morem propter restitutum per summam clementiam Cæsaris M. Marcellum; & ita disputat *a Causæ remotione*:

Ideo tacebam, quia M. Marcellus exularet;
Sed illum benignissime hodie restituit;
Ergo hodiernus dies finem afferre debuit mei silentii.

partim verecundia (1), finem hodiernus dies attulit: idemque initium, quæ vellem, quæque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam ac pene divinam, tacitus nullo modo præterire possum. M. enim Marcello vobis, Patres Conscripti, reique publicæ reddito, non solum illius, sed meam etiam vocem, & auctoritatem, & vobis, & reipublicæ conservatam ac restitutam puto.

Dolebam (*a*) enim, Patres Conscripti, ac vehementer angebar, cum viderem, virum talem, qui in eadem causa, in qua ego *, fuisset, non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in nostro veteri curriculo, illo æmulo atque imitatore studiorum, ac laborum meorum quasi quodam socio, a me & comite distracto. Ergo (*b*) & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem, C. Cæsar, interclusam aperuisti, & his omnibus ad bene de omni republica sperandum, quasi signum aliquod sustulisti. Intellectum est enim mihi quidem in multis, & maxime in me ipso, sed paulo ante omnibus (2), cum M. Marcellum senatui populoque Romano ** concessisti, commemoratis præsertim offen-

* Al. *causa esset, inqua ego fuissem.*
** In vulg. additur *&* *Reip.*
(1) *Verecundia*) Contra quem enim armis pugnassem, eo præsente verba facere verecundia prohibebat. *Manut.*
(2) *Paulo ante omnibus*) Vide Petri Victorii, Var. Lect. XVIII. 6.

ANALYSIS.

(a) *Dolebam*) *Propositio* ; & causam silentii justam fuisse ostendit *a Congruo*.
(b) *Ergo*) *Complexio*, quam illustrat *a Consequentibus*, quod bene jam de Rep. sperandum sit ; non enim restituisset Cæsar M. Marcellum, deprecante Senatu, nisi maximi faceret illius ordinis auctoritatem.

fensionibus (1), te auctoritatem hujus ordinis, dignitatemque reipublicæ tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre. Ille quidem (*a*) fructum omnis vitæ ante actæ hodierno die maximum cepit, cum summo consensu senatus, tum præterea judicio tuo gravissimo & maximo: ex quo (*b*) profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Est vero fortunatus ille, cujus ex salute non minor pene ad omnes, quam ad illum ventura sit, lætitia pervenerit. Quod ei quidem merito, atque optimo jure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo genere laudis præstantior? Nullius tantum (*c*) est flumen ingenii, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tanta copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit. Tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno die consecutus es.

CONTENTIONIS I. PARS.

II. Soleo (*d*) sæpe ante oculos ponere, idque li-

(1) *Commemoratis præsertim offensionibus*) Malim *commemoratis præsertim ejus offensionibus*. *Patric.* Al. *condonatis* vulg. *præsertim etiam*.

A N A L Y S I S.

(a) *Ille quidem*) Deinde probat, maxima cum gloria Marcellum fuisse restitutum; sic igitur *ab Adjunctis*:

Illius maxima est gloria, quem salvum esse omnes voluerunt,
& lætantur, & cui vir inimicissimus salutem concessit;
Sed Marcelli salutem omnes optarunt, & nunc gratulantur,
eamque Cæsar indulsit vir Marcello inimicissimus;
Ergo maxima cum gloria Marcellus hodierno die restituтus est.

(b) *Ex quo*) Brevis *Digressio*, qua Cæsaris laudes attingit *a Contrariis*, cum hoc beneficium dedit, quod tanta sit illius gloria, qui accepit.

(c) *Nullius tantum*) *Propositio* Orationis; Cæsarem magis esse gloriosum, quod clementia utatur in victos, quam quod innumera bella confecerit.

(d) *Soleo*) Quo magis amplificatio crescat, bellicas Cæsaris laudes extollit per reliquorum Imperatorum comparationem; ad suum

libenter crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum regum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri. Nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis lustratæ sunt.

Quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia majora. Nam bellicas (a) laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum multis *, ne propriæ sint imperatorum. Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum juvant. Maximam vero partem quasi suo jure Fortuna sibi vindicat: & quidquid est prospere gestum, id pene omne ducit suum **.

At vero hujus gloriæ, C. Cæsar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem. Totum hoc, quantumcunque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina, Fortuna, in istius se societatem glo-

* Vulg. *militibus*. ** Al. *dicit suum*.

ANALYSIS.

suum deinde institutum accedit, & sic *ab Adjunctis* argumentatur:

Illud gloriosius est Cæsari, cujus tota laus in ipsum redundat, quam cujus alii multi participes sunt;
Sed rei militaris gloria in alios etiam redundat, clementiæ in unum Cæsarem;
Ergo clementiæ laus longe major est, quam quæ ex re militari proficiscitur.

(a) *Nam bellicas*) *Assumptionis* prima pars, quam deinde secunda subsequitur.

gloriæ non offert: tibi cedit, tuam * esse totam & propriam fatetur. Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

III. Domuisti (*a*) gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; sed tamen ea ** vicisti, quæ & naturam, & conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla est enim tanta vis ***, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem, hæc qui faciat ****, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum deo judico.

Itaque (*b*), C. Cæsar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non solum nostris, sed pene omnium gentium literis, atque linguis, neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen ejusmodi res, nescio quomodo, etiam cum leguntur (1), obstrepi clamore militum videntur, & tuba-

* Græv. *tuam se esse*. ** Vulg. *ea tamen*.
*** Vulg. *tanta vis, tanta copia*. **** Vul. *facit*.
(1) Vulg. *etiam dum audiuntur, aut dum leguntur*.

ANALYSIS.

(a) *Domuisti*) Secundo idem probat *a Causa formali*, hac ratione:
Gloriosius est ea superare, quæ vinci non solent; quam quæ vinci quoquo modo possunt;
Sed iracundia vinci non solet, quilibet hostis vinci utcunque potest;
Ergo gloriosius est iracundiam clementia vincere, quam hostes potentissimos virtute rei militaris.
Hoc etiam loco amplificatur utrumque *Assumptionis* membrum.
(b) *Itaque*) *Complexio*, & prima pars *Assumptionis* Syllogismi *ab Adjunctis* repetitur, ut inde transitus fiat ad tertium argumentum, quod sic se habet sumptum *a Comparatione minorum*:
Magis laudamus vera, & quæ videmus, quam ficta, & quæ legimus, aut audimus;
Sed quorumdam clementiam, quam vel in fabulis, vel in historiis legimus, mirari solemus, & amare;
Ergo multo magis clementiam Cæsaris, quem præsentem habemus.

tubarum sono. At vero cum aliquid clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter factum, in iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, & in victoria, quæ natura insolens & superba est, aut audimus, aut legimus, quo studio incendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos sæpe, quos nunquam vidimus, diligamus? Te vero, quem præsentem intuemur, cujus mentem, sensusque, & os cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum reipublicæ fecerit, id esse salvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? Parietes (*a*), medius fidius, C. Cæsar, ut mihi videtur, hujus curiæ, tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suorum, & suis sedibus.

IV. Equidem cum C. Marcelli (1), viri optimi, & commemorabili pietate * præditi, lacrymas modo vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit (2). Quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conservato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimamque familiam, jam ad paucos redactam, pene ab interitu vindicasti. Hunc tu igitur diem tuis maximis & innumerabilibus gratulationibus jure antepones. Hæc enim res unius est propria C. Cæsaris, cæteræ duce te gestæ, magnæ illæ quidem, sed tamen multo magnoque comitatu. Hujus autem rei tu idem es & dux, & comes:

* In vulg. additur *ac virtute*.

(1) *C. Marcelli*) Qui se ad Cæsaris pedes abjecerat. Is est, qui cum L. Lentulo consul fuit anno primo civilis belli. Alter autem C. Marcellus M. Marcelli frater patruelis, non germanus, ut Suetonius docet, consulatum gesserat anno proximo superiore cum L. Paulo. *Manutius*.

(2) *Memoria effodit*) h. e. omnium Marcellorum mihi in mentem veniebat cum singulari quadam animi mei acerbitate. *Abram.* al. *offudit*. Faer. *memoriam effudit*.

ANALYSIS.

(*a*) *Parietes*) Gratias agit, amplificat beneficium collatum familiæ Marcellorum, & iterum cum bellicis laudibus virtutem clementiæ comparat.

mes: quæ quidem tanta est, ut tropæis, monumentisque * tuis allatura sit finem ætas: nihil est enim opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat & consumat vetustas: at vero hæc tua justitia, & lenitas animi florescet quotidie magis, ita, ut, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus. Et cæteros (*a*) quidem omnes victores bellorum civilium jam ante æquitate & misericordia viceras; hodierno vero die te ipsum vicisti. Vereor, ut hoc, quod dicam (1), non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse videris (2), cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, vi-

S 2   ctis

* Vict. Man. *tuis nulla unquam*.
Lamb. *tuis nonnulla unquam*.

(1) *Vereor, ut hoc, quod dicam*) Quod alibi docuimus, tota sententia differunt, *vereor ut*, &, *vereor ne*. Vereor ut, de re dicitur, quam cupimus contingere, sed veremur, ne non contingat: ut ad Terentiam; *sin homo amens diripiendam urbem daturus est; vereor, ut Dolabella ipse satis vobis prodesse possit*. Vereor ne, de re dicitur, quæ si eveniat, doleamus; sed veremur, ne eveniat: ut ad Cæcinam: *Vereor, ne desideres officium meum*. Lego igitur hic cum uno Cardinalis Borromæi, & altero Maffejorum libro, *Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse intelligens sentio*. Nec aliter legit, hunc locum recitans, in Divinat. Pedianus. Fulvii Ursini liber dissentit in verbis, non tamen in sententia: habet enim: *Vereor, ne hoc quod dicam, non perinde*. Quod idem valet. Nam, *ne non* sunt pro *ut*. Manutius.

(2) *Ipsam victoriam vicisse videris*) Durum hoc videri possit, nisi antecedentibus leniatur. Quo de genere quid senserit Asconius, ostendam. Nam cum illud in Divin. interpretaretur, *Etiam si tacent, satis dicunt*: subjunxit: *Tale illud est: cum tacent, clamant*: &, *Victoriam ipsam vicisse videris*: &, *Philosophandum est, etiam si non est philosophandum*. Hæc in loco nec ὀξύμωρα, nec κακόζηλα judicanda sunt: aut enim inferioribus dictis, aut

ANALYSIS.

(*a*) *Et cæteros*) Cum hac laude clementiæ jam ante vicerit Cæsar reliquos omnes, in restituendo Marcello se quoque vicit; adeoque concludit ipsam victoriam a Cæsare fuisse victam, quod tali ratione explicat:

Ille victoriam ipsam vincere videtur, qui præmia victoriæ victis remittit;
Cæsar salutem omnium nostrum, qui victi fuimus, suæ victoriæ debitam, nobis remisit;
Ergo suam ipsius victoriam vicisse videtur.

ctis remisisti. Nam cum ipsius victoriæ conditione jure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ judicio conservati sumus. Recte igitur unus invictus es, a quo etiam ipsius victoriæ conditio, visque devicta est.

V. Atque hoc (*a*) C. Cæsaris judicium, Patres Conscripti, quam late pateat, attendite. Omnes enim, qui ad illa arma fato sumus * nescio quo reipublicæ misero funestoque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus. Nam cum M. Marcellum, deprecantibus vobis, reipublicæ Cæsar ** conservavit, memet mihi, & item reipublicæ (1), nullo deprecante, reliquos amplissimos viros, & sibi ipsis, & patriæ reddidit, quorum & frequentiam, & dignitatem hoc ipso in consessu videtis: non ille hostes (*b*) induxit in curiam, sed judicavit, a plerisque ignoratione potius, & falso atque inani metu, quam cupiditate, aut crudelitate civile bellum esse susceptum (2). Quo quidem (*c*) in bello semper

aut supra positis leniuntur: ut est illud: *Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio*. Man.

* Al. *fuimus*. ** In vulg. deest *Cæsar*.

(1) *Et item reipublicæ*) Erfurtensis verius, memet mihi & iterum reip. Semel restitutus fuit reip. cum ab exilio revocaretur, nunc iterum, cum ei, qui a Pompejo steterat, veniam dedit, & pristinam dignitatem restituit. *Grævius*.

(2) *Civile bellum esse susceptum*) Expunsi *civile* volentibus Erfurtensi, Pithœano, Dresdensi, Francii utroque, ut & editione prima, aliisque vetustioribus. Parum etiam considerate, & non sine culpa reprehensionis & offensæ hic Tullius civilis belli meminisset. *Grævius*. Infra tamen, *arma civilia*. Quapropter non recta omnibus & certa doctissimi Grævii censura videbitur. *Olivetus*.

ANALYSIS.

(a) *Atque hoc*) Amplificat etiam beneficium *a Consequentibus*, hoc modo:

Magnum nobis beneficium Cæsar facit, si judicat, nos contra illum stetisse non odio, sed errore lapsos;
Sed restituto Marcello tale fuit illius de nobis judicium;
Ergo non Marcello solum, sed nobis omnibus fecit beneficium.

(b) *Non ille hostes*) *Assumptionis* approbatio; nam suos hostes nunquam ille induxisset in Curiam, adeoque non putavit nos hostes, quos induxit.

(c) *Quo quidem*) Duo sequuntur argumenta in laudem Cæsaris,

per de pace agendum, audiendumque putavi, semperque dolui non modo pacem, sed orationem etiam civium pacem efflagitantium repudiari. Neque enim ego illa, nec ulla unquam secutus sum arma civilia, semperque mea consilia pacis & togæ socia, non belli atque armorum fuerunt. Hominem sum secutus privato officio, non publico (1): tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens & sciens, tanquam ad interitum ruerem voluntarium.

Quod quidem meum consilium minime obscurum fuit. Nam & in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, & in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. Ex quo nemo erit tam injustus rerum æstimator, qui dubitet, quæ Cæsaris voluntas de bello fuerit, cum pacis auctores conservandos statim censuerit, cæteris fuerit iratior. Atque id minus mirum * fortasse tum, cum esset incertus exitus, & anceps fortuna belli. Qui vero victor pacis auctores diligit, is profecto declarat, se maluisse non dimicare, quam vincere.

VI. Atque hujus quidem rei M. Marcello sum testis. Nostri enim sensus, ut in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum, & quanto cum dolore vidi, cum insolentiam certorum hominum, tum etiam ipsius victoriæ ferocitatem extimescentem? Quo gratior (a) tua li-

* Vulg. *mirum videretur*.

(1) *Privato officio, non publico*) Quia Pompejo debebam: non quia Cæsaris causam condemnarem: *Manutius*.

ANALYSIS.

saris, quorum primum ita se habet *ab Effectis*:

Qui victor pacis auctores servat, ante victoriam paci studuit magis, quam bello;
Sed Cæsar victor pacis auctores servavit, cum cæteris esset iratior;
Ergo ante victoriam paci studuit magis, quam bello.

Quo efficitur, ut alius quicunque potius, quam Cæsar videatur auctor fuisse belli Civilis.

(a) *Quo gratior*) Alterum argumentum, quo victoris Cæsaris

liberalitas, C. Cæsar, nobis, qui illa vidimus, debet esse. Non enim jam causæ sunt inter se, sed victoriæ comparandæ.

Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam, gladium vagina vacuum in urbe non vidimus. Quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret, quoniam ex eadem acie conservat, quos potest. Alterius vero partis nihil amplius dicam, quam id, quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. Quidam enim non modo armatis, sed interdum etiam otiosis minabantur: nec, quid quisque sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esse dicebant: ut mihi quidem videantur dii immortales, etiam si pœnas a populo Romano ob aliquod delictum expetiverunt, qui civile bellum tantum, & tam luctuosum excitaverunt, vel placati jam, vel etiam satiati aliquando, omnem spem salutis ad clementiam victoris & sapientiam contulisse.

Quare (*a*) gaude tuo isto tam excellenti bono, & fruere cum fortuna & gloria, tum etiam natura & moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus, jucunditasque sapienti. Cætera cum tua recordabere, etsi persæpe virtuti, tamen plerumque felicitati tuæ gratulabere. De nobis, quos in republica tecum simul * salvos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia

* In vulg. deest *simul*.

ANALYSIS.

saris laudatur clementia, sumitur *a Dissimilium Comparatione*; eo laudabilior est in victore Cæsare clementia, quo crudelior futura erat alterius partis victoria; utramque vero Comparationis partem pertractat.

(a) *Quare*) Concludit pulcherrima gratulatione, & hortatione ad Cæsarem, ut aliis etiam bonis viris conservandis libenter animum adjiciat.

tia tua cogitabis: quæ non modo summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere. Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & consilii dignitas, ut hæc a virtute donata cætera a fortuna commodata esse videantur. Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate præsertim aut pravitate aliqua lapsis, sed opinione officii, stulta fortasse, certe non improba, & specie quadam reipublicæ. Non enim tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt: contraque summa laus, quod plerique minime timendum fuisse senserunt.

CONTENTIONIS II. PARS.

VII. Nunc vero (*a*) venio ad gravissimam querelam, & atrocissimam suspicionem tuam, quæ non tibi ipsi magis, quam cum omnibus civibus, tum maxime nobis, qui a te conservati sumus, providenda est. Quam etsi spero esse falsam, nunquam tamen verbis extenuabo. Tua enim cautio, nostra cautio est: ut, si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quam parum prudens. Sed quisnam est iste tam demens? De tuisne? (*b*) tametsi qui magis sunt tui, quam quibus tu salutem insperantibus reddidisti? An ex eo (*c*) numero, qui una tecum fuerunt? non

ANALYSIS.

(a) *Nunc vero*) Senatu pro Marcello deprecante, questus fuerat Cæsar, sibi a quibusdam insidias parari. Cicero hujusmodi suspicionem non esse negligendam affirmat; deinde falsam esse probat *ab Adjunctis*:

Improbabile est, tibi a tuis, & de quibus bene meruisti, insidias strui;

Sed omnes tui sunt, & de quibus bene meruisti;

Ergo improbabile est, esse qui tibi insidias struant.

(b) *De tuisne?*) *Assumptionis* prima pars.

(c) *An ex eo*) Secunda pars, & in primis quoad Cæsarianos; sequitur postea idem etiam ostendere de Pompejanis a Cæsare servatis.

est credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia summa sit adeptus, hujus vitam non anteponat suæ. At si tui nihil cogitant sceleris, cavendum est, ne quid inimici. Qui? omnes enim qui fuerunt, aut sua pertinacia vitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerunt: ut aut nulli supersint de inimicis, aut qui superfuerunt, amicissimi sint.

Sed tamen (*a*), cum in animis hominum tantæ latebræ sint, & tanti recessus, augeamus sane suspicionem tuam: simul enim augebimus & diligentiam. Nam quis est (*b*) omnium tam ignarus rerum, tam rudis in republica, tam nihil unquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat, tua salute contineri suam? & ex unius tua vita * pendere omnium? Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, & incertos eventus valetudinis, & naturæ communis fragilitatem extimesco; doleoque, cum respublica immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere. Si vero ad humanos casus, incertosque eventus valetudinis, sceleris etiam accedat insidiarumque consensio, quem deum, si ** cupiat, opitulari posse reipublicæ credamus?

VIII. Omnia sunt (*c*) excitanda tibi, C. Cæsar, uni, quæ jacere sentis, belli ipsius impetu, quod

* Vulg. *vitam*. ** Vulg. *etiamsi*.

ANALYSIS.

(a) *Sed tamen*) Suspicionem auget, & ad cavendum hortatur, pariter ab *Adjunctis*:
Ille sibi cavere maxime debet, e cujus vita pendet Reip. salus;
Sed vita Cæsaris continetur salus Reip.;
Ergo sibi cavere maxime Cæsar debet.

(b) *Nam quis est*) *Assumptio*; unde Cicero suum profitetur timorem, ne morbo oppressus Cæsar intereat, ne dum circumventus insidiis.

(c) *Omnia sunt*) *Assumptionis* approbatio; ideo vita Cæsaris Reip. salus continetur, quia Resp. infirma non poterat curari, nisi a Cæsare.

quod necesse fuit, perculsa atque prostrata: constituenda judicia, revocanda fides (1), comprimendæ libidines, propaganda soboles (2): omnia, quæ dilapsa jam fluxerunt *, severis legibus vincienda sunt. Non fuit recusandum in tanto civili bello, tantoque animorum ardore, & armorum, quin quassata respublica, quicunque belli eventus fuisset, multa perderet, & ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ: multaque uterque dux faceret armatus, quæ idem togatus fieri prohibuisset. Quæ quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda sunt **, quibus, præter te, mederi nemo potest.

Itaque (*a*) illam tuam præclarissimam & sapientissimam vocem invitus audivi: satis te diu vel naturæ vixisse ***, vel gloriæ. Satis, si ita vis, naturæ fortasse; addo etiam, si placet, gloriæ: at, quod maximum est, patriæ certe parum. Quare omitte, quæso, istam doctorum omnium in contemnenda morte prudentiam: noli nostro periculo sapiens esse. Sæpe enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse. Credo: sed tum id audirem, si tibi soli viveres, aut si tibi etiam soli natus esses. Nunc, cum omnium salutem civium, cunctamque rempublicam

res

* Vulg. *defluxerunt*. ** Vulg. *sananda*.
*** Vulg. *satis diu vel naturæ vixi, vel gloriæ*.

(1) *Revocanda fides*) Cicero secundo Officiorum: *Quamobrem ne sit æs alienum quod reipublicæ noceat, providendum est. Si hoc non fuerit ut locupletes suum perdant, debitores lucrentur alienum. Nec enim ulla res vehementius rempublicam continet, quam fides, quæ esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum*. Quomodo autem Cæsar fidem revocarit, tradit Suetonius, cap. 42. *Abram*.

(2) *Propaganda soboles*) Diu multumque non Cæsari solum, sed etiam Augusto cum profligatis hominum moribus luctandum fuit, ut cives suos ad veras legitimasque nuptias, & propagationem sobolis, educationemque liberorum inducerent. Vide Tranquillum in Julio, cap. 42. nec non in Octavio, cap. 34. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Itaque*) Hinc redarguit Cæsaris dictum, dum quereretur de insidiis; & contendit, illum non satis vixisse Patriæ, licet satis & naturæ vixerit, & gloriæ; hoc autem pendet ex supra dictis.

res tuæ gestæ complexæ sint, tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum jeceris. Hic tu modum tuæ vitæ, non salute reipublicæ, sed æquitate animi definies (1)? Quid, si (*a*) istud ne gloriæ quidem tuæ satis est? cujus te esse avidissimum, quamvis sis sapiens, non negabis.

Parumne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? Immo vero aliis, quamvis multis, satis, tibi uni parum. Quidquid enim (*b*) est, quamvis amplum sit, id certe parum est tum, cum est aliquid amplius. Quod si rerum tuarum immortalium, C. Cæsar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adversariis, rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est, vide, quæso, ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura, quam gloriæ: siquidem gloria est illustris, ac pervagata multorum, & magnorum, vel in suos *, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum.

IX. Hæc igitur (*c*) tibi reliqua pars est, hic re-

* Vulg. *suos cives*.

(1) *Hic tu modum tuæ vitæ .... æquitate animi definies?*) Id est, putasne te propterea satis vixisse, quod æquo animo, & citra indignationem mori potes, & annos præteritos non requiris? Æquitatem animi dicimus, rectam animi constitutionem, tranquillamque affectionem omni indignatione vacantem. *Budæus*.

ANALYSIS.

(a) *Quid, si*) Probat ne gloriæ quidem satis diu eum vixisse, tali ratione:

Ille non satis diu gloriæ vixit, cui restat id agendum, ex quo maxima gloria pendet:

Sed Cæsari restat constituenda Resp. unde maxima gloria futura est;

Ergo satis diu gloriæ Cæsar non vixit.

(b) *Quidquid enim*) *Propositionis* approbatio, quam præterea illustrat *a Definitione* gloriæ, non esse negligendum id, ex quo summa gloria proficiscitur.

(c) *Hæc igitur*) *Assumptio*, & ostendit cæteras res Cæsaris gestas multum admirationis apud omnes habituras, apud quosdam malevolos parum gloriæ; at si Remp. bene constituat, futurum neminem, qui non illud summa gloria dignum existimet.

restat actus (1), in hoc elaborandum est, ut rempublicam constituas, eaque tu in primis cum summa tranquillitate & otio perfruare: tum te, si voles, cum & patriæ, quod debes, solveris, & naturam ipsam expleveris satietate vivendi, satis diu vixisse dicito. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum, quod cum venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit? Quanquam iste tuus animus nunquam his angustiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, semperque immortalitatis amore flagravit.

Nec vero hæc tua vita ducenda * est, quæ corpore & spiritu continetur. Illa, inquam, illa vita est tua, Cæsar, quæ vigebit memoria seculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper tuebitur **. Huic tu inservias, huic te ostentes, oportet: quæ quidem, quæ miretur, jam pridem multa habet, nunc, etiam quæ laudet, expectat. Obstupescent posteri certe imperia, provincias, Rhenum (2), Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes & legentes tuos. Sed, nisi hæc urbs stabilita tuis consiliis & institutis erit, vagabitur modo nomen tuum longe atque late: sedem quidem stabilem, & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio, cum alii laudibus ad cælum res tuas gestas efferent: alii fortasse aliquid requirent, idque vel maximum, nisi belli civilis incendium salute patriæ restrinxeris, ut illud fati fuisse videatur, hoc consilii ***. Servi igitur iis etiam

iam

* Vulg. *dicenda*. ** Al. *intuebitur*. *** Vulg. *hoc fuisse consilii*.

(1) *Hic restat actus*) Tanquam fabulæ; qui debet esse ultimo loco perfectissimus. Qua sententia scripsit ad Q. fratrem: *Illud te ad extremum & oro, & hortor, ut, tanquam poetæ boni, & actores industrii solent, sic tu in extrema parte, & conclusione muneris, ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui, tanquam tertius actus, perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur.* Man.

(2) *Rhenum*) Germanos a te victos. *Oceanum*, Britannos, *Nilum*, Alexandrinos. *Monumenta*, a te extructa. *Munera*, a te publice data. *Idem*.

iam judicibus, qui multis post seculis de te judicabunt: & quidem haud scio, an incorruptius, quam nos. Nam & sine amore, & sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine invidia judicabunt. Id autem etiam si tunc ad te, ut quidam falso putant (1), non pertinebit, nunc certe pertinet, esse te talem, ut tuas laudes obscuratura nulla unquam sit oblivio.

X. Diversæ voluntates civium fuerunt, distractęque sententiæ. Non enim consiliis solum & studiis, sed armis etiam & castris dissidebamus. Erat autem obscuritas quędam, erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant, quid optimum esset, multi, quid sibi expediret, multi, quid deceret, nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta respublica est hoc misero fatalique bello: vicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret: nec qui * omnes, quibus iratus esset, eosdem etiam exilio, aut morte dignos judicaret. Arma ab aliis posita, aliis erepta sunt (2). Ingratus est injustusque civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: ut etiam ** ille sit melior, qui in acie cecidit, quam qui in causa animam profudit. Quæ enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest. Sed jam (3) omnis fracta dissensio est armis, & extincta æquitate victoris, restat, ut omnes unum velint, qui modo habent aliquid non solum sapientiæ, sed etiam sanitatis. Nisi te, C. Cæsar, salvo, & in ista sententia, qua cum antea, tum hodie vel maxime usus es, manente, salvi esse non possumus. Quare (a) omnes te, qui hæc salva esse volumus,

* Vulg. *neque*. ** Vulg. *ut jam*.

(1) *Falso putant*) Mori cum corpore animum credentes. *Idem*.

(2) *Arma ab aliis posita, aliis erepta sunt.*) Alii post pugnam Pharsalicam deposuerunt arma, ut Cicero & plures alii: aliis vero detracta & erepta sunt arma, nimirum qui illa resumpserunt, & in Africa renovarunt bellum civile, hic cum vincerentur extorta sunt arma, ut cogerentur illa abjicere. *Grævius*. Vulg. *ab aliis erepta*.

(3) *Sed jam*) Vulg. *sed quia jam*, & postea. *Quia nisi*.

ANALYSIS.

(a) *Quare*) Concludit hortando, ut caveat, suamque, & Senatus operam ad illius præsidium pollicetur.

mus, & hortamur & obsecramus, ut vitæ, ut saluti tuæ consulas: omnesque tibi, ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipse sentio, quoniam subesse aliquid putas, quod cavendum sit, non modo excubias & custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus & corporum pollicemur.

PERORATIO.

XI. Sed, unde (*a*) est orsa, in eodem terminetur oratio; maximas tibi omnes gratias agimus, C. Cæsar, majores etiam habemus. Nam omnes idem sentiunt, quod ex omnium precibus & lacrymis sentire potuisti. Sed quia non est stantibus omnibus (1) necesse dicere, a me certe dici volunt, cui necesse est quodammodo, & quod volunt *, & quod M. Marcello a te huic ordini, populoque Romano & reipublicæ reddito **, præcipue id a me fieri debere intelligo. Nam lætari omnes, non ut de unius solum, sed ut de communi omnium salute, sentio.

Quod autem summæ benevolentiæ est, quæ mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo & amantissimo fratri, præter eum quidem, cederem nemini, cum id sollicitudine, cura, labore tamdiu præstiterim, quamdiu est de illius salute dubitatum: certe hoc tempore, magnis curis, molestiis, doloribus liberatus, præstare debeo. Itaque, C. Cæsar, sic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus a te non conservato solum, sed etiam

* Al. addunt *& quod decet*. ** Al. *reip. reddito, fieri intelligo*.

(1) *Stantibus omnibus*) E more veteri Senatorum, qui aut sententiam suam ipsi, & si quid vellent præterea, dicebant, idque stantes: aut quibus videbatur, assentiebantur sedentes. Epistola ad Q. Metellum *Gulielmius*.

ANALYSIS.

(a) *Sed unde*) Cæsari gratias agit, tum communi omnium nomine, tum deinde suo.

etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me unum merita (1), quod fieri jam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

(1) *Ad tua innumerabilia in me unum merita*) Vis est in singulis verbis. Primum, *merita*, vocat; quæ majora sunt, quam studia, officia, beneficia: deinde addit, *innumerabilia*: postremo, *in me unum*. Hæc augeri non videntur posse: augentur tamen subjectis verbis, *maximus cumulus accesserit*. Non enim aliquid ait accessisse, sed cumulum; nec simpliciter cumulum, sed maximum. Eodem id pertinet, *quod fieri jam posse non arbitrabar*. Nec illud sine judicio prolatum, *hoc tuo facto*. Nam, *hoc tuo merito* languidius esse videbatur, præsertim cum dixisset, *Ad tua innumerabilia in me unum merita*; quæ Marcelli salute vehementer aucta significat. *Manutius*.



PRO

PRO
Q. LIGARIO.
AD C. CÆSAREM.
ORATIO XLI.
ARGUMENTUM.

Hanc orationem M. Tullius in Foro apud Cæsarem dixit extremo anno Urbis DCCVII. *Julio Cæsare* III. *M. Æmilio Lepido Coss. pridie Kal. intercalares priores, qui fuit ultimus dies prioris mensis illorum duorum, quos Cæsar hoc anno Fastos corrigens, inter Novembrem ac Decembrem interjecit: de quibus Suetonius in Julio.*

Fratres, & propinqui Ligarii prostrati ad pedes Cæsaris domi ejus jacuerunt, ut est in epist. XV. *libri* VI. *Famil. & in hac oratione. Postea vero in Foro hæc Cicero dixit.*

Pompejanis hoc anno devictis a Cæsare in Africa (in quam Ligarius ante bellum civile profectus, tempore belli remanserat) Ligario vita concessa fuit, ut est in Comment. de bello Africo. Sed dum Cæsare Romam reverso, Ligarius extra Italiam in exilio manet, ac fratres, propinqui, itemque C. Pansa & M. Cicero de ejus reditu laborant, Q. Ælius Tubero, qui cum patre suo Africa ora, triennio ante a Ligario prohibitus fuerat, eum apud Cæsarem accusavit, & orationem in Ligarium edidit: cujus Quintilianus, lib. X. *cap.* I. *meminit. Cicero eum concessione defendit. Cum autem Concessionis duæ partes a Rhetoribus proponantur, Purgatio & Deprecatio, M. Cicero illis primum utitur, atque ἀν-*

τι-

πεγκλήμασι aliquot locis miſcet: ad extremum vero Deprecationem adhibet. Hanc orationem pulcherrimam, ut a Pomponio Juriſconſul. nominatur in L. II. D. de orig. juris, Cicero bello Hiſpanienſi ſcriptam edidit: quæ quantopere Attico, Balbo, Oppio, aliiſque placuerit, cognoſces epiſt. XII. & XVIII. *libri* XIII. *Ad Attic.* FABRITIUS.

ORATIONIS SYNOPSIS.

ORatio eſt in genere *Judiciali*, ſitne Ligarius exilio puniendus, quod in Africa fuerit contra Cæſarem; partes quatuor, *Exordium*, *Narratio*, *Contentio*, *Peroratio*.

Exordium ironicum eſt, & habet criminis confeſſionem ad parandam *attentionem*, & *lenitatem*: *Novum crimen*.

In *Narratione* exponit, ut venerit in Africam Ligarius, utque in ea permanſerit: *Q. igitur Ligarius*; præmiſſa diviſione trium temporum, tertium *a Cauſis* defendit, quod neceſſitate fuerit in Africa: *Adhuc*, *C. Cæſar*.

1. In *Contentione* præmittit argumentum *a Comparatione minorum*, clementia Cæſaris magis eſſe dignum Ligarium, quam fuerit Cicero: *Nullum igitur habes*.

2. Deinde arguit *ab Adjunctis* perſonæ, quod ipſe accuſator eidem eſſet crimini obnoxius: *Atque hæc propterea de me*.

3. Genus cauſæ reprehendit, quod petat adverſarius, ut Ligarius necetur: *Atque in hac cauſa*; vel ſaltem ne illi ignoſcatur: *An ne ignoſcatur?*

4. Coarguit Tuberonem *ab Adjunctis* appellantem ſcelus Pompejanorum cauſam; nemo enim, ne Cæſar quidem ita appellaverat: *At primus aditus*.

5. Probat facilius Tuberoni fuiſſe non ire in Africam,

ſricam, quam Ligario inde exire, *ab Adjunctis* temporis: *Sed ut omittam*; eundem autem voluiſſe ire in Africam, ut eam contra Cæſarem obtineret, oſtendit *a turpi*, & *a Conſequentibus: Sed quoquo modo*.

In *Peroratione* octo potiſſimum rationibus clementiam, & miſericordiam Cæſaris implorat: *Cauſas egi multas*.

EXORDIUM.

I. NOvum (*a*) crimen, C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus (1) ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe: idque C. Panſa (2), præſtanti vir ingenio, fretus fortaſſe ea familiaritate, quæ eſt ei tecum, auſus eſt confiteri. Itaque, quo me vertam, neſcio. Paratus enim veneram, cum tu id neque per te ſcires, neque audire aliunde potuiſſes, ut ignoratione tua ad hominis miſeri ſalutem abuterer: ſed quoniam diligentia inimici inveſtigatum eſt, quod latebat, confitendum eſt, ut opinor: præſertim cum meus neceſſarius, C. Panſa, fecerit, ut id jam integrum non eſſet: omiſſaque controverſia, omnis oratio ad miſericor-

(1) *Propinquus meus*) Affinis, non cognatus: ut infra patet. Propinquitatem appellat, ne cum inimico homine diſputare videatur; & ut eo major orationi fides accedat; quod Ligarii innocentiam, & cauſæ bonitatem propinquitati Tuberonis anteponat. *Manut.*

(2) *C. Panſa*) C. Vibius Panſa, qui biennio poſt conſul fuit. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *Novum*) Totum *Exordium* ironicum eſt; fingit enim novum eſſe, & inauditum crimen, quod reus ipſe fatebatur, & erat notum omnibus; magnum habere pondus Panſæ teſtimonium, quod tamen non erat neceſſarium in re manifeſta; ſe ad neganda crimina veniſſe paratum, cum Judicis tantum clementiæ confideret. Hæc & ad *attentionem* valent, & ad avertendam Cæſaris iram.

diam tuam conferenda est, qua plurimi sunt conservati, cum a te non * liberationem culpæ, sed errati veniam impetravissent.

Habes igitur (*a*), Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum; sed tamen ita confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis.

N A R R A T I O.

Q. igitur (*b*) Ligarius, cum esset adhuc nulla belli suspicio, legatus in Africam cum C. Considio ** profectus est: qua in legatione & civibus, & sociis ita se probavit, ut decedens Considius provincia satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium provinciæ præfecisset. Itaque Q. Ligarius, cum diu recusans nihil profecisset, provinciam accepit invitus: cui sic præfuit in pace, ut & civibus, & sociis gratissima esset ejus integritas, & fides. Bellum subito exarsit; quod, qui erant in Africa, ante audierunt geri, quam parari. Quo audito, partim cupiditate (1) inconsiderata, partim

* Vulg. *non solum*.

** Vulg. *cum proconf. C. Considio*.

(1) *Cupiditate*) Quod faverent Pompejo. *Patricius*. Manutius, *cupiditate belli gerendi*. Sed istius ellipseos exemplum non reperies. Uterque nescivit, quid sit *cupiditas*, nimirum studium partium, sive, ut barbari loquuntur, partialitas. Sic *cupidus judex*, *testis*, ut alibi vidimus. Pro *cupiditate*, in sequentibus verbis statim dicit *studium*. Græv.

A N A L Y S I S.

(a) *Habes igitur*) Confessio criminis, unde *lenitas* ex Arist. l. 2. c. 3. t. 16. & ejusdem culpæ reum facit accusatorem; ex quo in eum excitatur invidia.

(b) *Q. igitur*) Exponit, ut venerit in Africam Ligarius legatus cum C. Considio proconsule, & ut præpositus provinciæ fuerit ab eodem Considio; illius quoque animum ab armis Civilibus alienum commemorat.

tim cæco quodam timore (1), primo salutis (2), post etiam studii sui quærebant aliquem ducem: cum * Ligarius, domum spectans, & ad suos redire cupiens, nullo se implicari negotio passus est. Interim P. Attius Varus (3), qui prætor Africam obtinuerat, Uticam venit. Ad eum statim concursum est. Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, si illud imperium esse potuit, quod ad privatum clamore multitudinis imperitæ, nullo publico consilio, deferebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paulum adventu Vari conquievit (4).

II. Adhuc (*a*), C. Cæsar, Q. Ligarius omni culpa vacat. Domo est egressus non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli: legatus in pace profectus, in provincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expedi-

* Vulg. *tum*.

(1) *Cæco quodam timore*) Timebant Cæsarem, sed, cur timerent, causæ nihil videbant. *Manut.*

(2) *Salutis*) Hæc sententia est: Primo salutis ducem quærebant, deinde etiam studii sui. *Lambinus*. Vulg. *salutis causa*.

(3) *P. Attius Varus*) Varus hic cum Sex. Pompejo, & Labieno ex Africana pugna, devictis Scipione Pompeji socero, & Juba Mauritaniæ rege, in Hispaniam profugit: ubi renovato simul cum Pompeji liberis bello, Mundensi prælio a Cæsare victus interiit. *Manut.*

(4) *Conquievit*) Ideo festinabat decedere provincia, ne dux eligeretur contra Cæsarem: ubi timor ille evanuit adventu Vari, non erat, cur adeo festinaret illinc discedere: itaque parumper conquievit. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *Adhuc*) Præmissa divisione trium temporum, 1. quo venit in Africam legatus, 2. quo Provinciam administravit, 3. quo remansit post adventum P. Attii Vari, duo prima vacare omni culpa certum esse ait, tertium defendit *a Causis*, quod necessitate coactus remanserit in Africa cum Varo; idque ostendit hoc argumento sumpto *ab Adjunctis*:

Non est probabile maluisse Ligarium Uticæ, & cum Varo esse, quam Romæ, & cum fratribus;

Sed illud ei contigit, quod in Africa permanserit;

Ergo remansit in Africa non voluntate, sed necessitate coactus.

ret (1). Profectio certe animum tuum non debet offendere. Num igitur remansio? Multo minus. Nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio etiam necessitatem honestam. Ergo hæc duo tempora carent crimine: unum, cum est legatus profectus, alterum, cum, efflagitatus a provincia, præpositus Africæ est.

Tertium est tempus, quo post adventum Vari in Africa restitit. Quod si est criminosum, necessitatis (2) crimen est, non voluntatis. An ille, si potuisset illinc ullo modo evadere, Uticæ potius, quam Romæ, cum P. Attio, quam cum concordissimis fratribus, cum alienis esse, quam cum suis maluisset? Cum ipsa (*a*) legatio plena desiderii ac sollicitudinis fuisset, propter incredibilem quendam fratrum amorem, hic æquo animo esse potuit, belli discidio distractus a fratribus?

CONTENTIO.

Nullum (*b*) igitur habes, Cæsar, adhuc in Q. Ligario signum alienæ a te voluntatis. Cujus ego

(1) *Expediret*) Ii cupere bellum solent, qui male gesta provincia judicium timent. *Idem*.

(2) *Necessitatis*) Coactus enim parere P. Varo novo Proconsuli. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Cum ipsa*) *Propositionis* approbatio *a minori ad majus*; si enim ægre tulit disjungi a fratribus legitima legatione, quanto magis vi Civilium armorum?

(b) *Nullum*) Supra Cicero probabili ratione ostendit, non fuisse in Ligario alienam a Cæsare voluntatem, cum in Africa permansit. Hinc pergit illius causam defendere, & sic in primis a persona sua *per Comparationem minorum*:

Lenior esse debes in eum, de cujus aliena voluntate non constat, quam in illum, quem certo scis fuisse in te male animatum;
Sed in me lenis fuisti, qui in te fui male animatus;
Ergo multo magis in Ligarium, de cujus aliena voluntate non constat.

Assumptionem amplificat exaggerando, quam Cæsaris clementiæ confidat, quanta sua culpa fuerit, quantum illius beneficium.

ego causam animadverte, quæso, qua fide defendam, cum prodo meam. O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis, monumentisque decorandam! M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuisse, in qua seipsum confitetur fuisse: nec tuas tacitas cogitationes extimescit: nec, quid tibi de alio audienti, de se ipso occurrat, reformidat.

III. Vide, quam non reformidem, vide quanta lux liberalitatis, & sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur. Quantum potero voce contendam, ut hoc populus Romanus exaudiat. Suscepto bello, Cæsar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, judicio * ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui, cum hoc sciret, tamen me, antequam vidit, reipublicæ reddidit: qui ad me ex Ægypto literas misit, ut essem idem, qui fuissem: qui cum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est (1): a quo, hoc ipso C. Pansa mihi nuntium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos (2) putavi: qui

 mihi

* Vulg. *judicio meo.*

(1) *Esse me alterum passus est*) M. Tullius Ser. Sulpicio & M. Marcello Coss. in Ciliciam pro consule profectus, Amano pacato, perpetuoque hoste inde sublato, rem satis prospere gessit, Imperatorque salutatus fuit. Lib. v. ad Attic. epist. x. Lib. 2. & 3, & Lib. 15. famil. Unde Plutarchus exponens res a Cicerone in Cilicia gestas, *Gessit etiam*, inquit, *bellum*, *latronibus*, *qui Amanum tenebant*, *devictis*: *justaque victoria Imperator a militibus appellatus est*. Anno sequente, L. Paulo & C. Marcello Coss. e provincia in Italiam reversus, ad urbem accessit pridie Non. Januarii, cum jam Lentulo & Marcello Coss. bellum civile conflatum esset. *Epist.* x, lib. xvi. *Famil.* Verum quia urbem ingressus non fuit, imperium retinuit, & pro consule mansit. Nam, ut ait Appianus, lib. 1. Proconsulibus imperii retinendi tamdiu potestas est, quoad Romam reversi fuerint. *Proconsul* autem *portam Romæ ingressus*, *deponit imperium*, inquit Ulpianus in L. ult. de Officio procos. *Fabric.*

(2) *Quoad tenendos*) Tenuisse lictores laureatos M. Tullius videtur usque ad mensem Octobrem, Cæsare Dictatore iterum, anno urbis DCCVII. quo demum tempore in urbem venisse, imperi-

mihi tum denique se salutem putavit dare *, si eam nullis spoliatam ornamentis dedisset.

Vide, quæso (*a*), Tubero, ut, qui de meo facto (1) non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri. Atque hæc (*b*) propterea de me dixi, ut mihi Tubero, cum de se eadem dicerem, ignosceret. Cujus ego industriæ gloriæque faveo, vel propter propinquam cognationem, vel quod ejus ingenio studiisque delector, vel quod laudem adolescentis propinqui existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. Sed hoc (*c*) quæro, quis putet esse crimen **, fuisse in Africa Ligarium? nempe is, qui & ipse in eadem Africa esse voluit, & prohibitum se a Ligario queritur, & certe contra ipsum Cæsarem est congressus armatus. Quid enim (*d*), Tubero, destrictus ille tuus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo: com-

periumque deposuisse videtur ex epist. ult. lib. IX. ad Attic. & epist. XX, lib. XIV. Fam. ita ut cum imperio fuerit annis quatuor. *Idem*.

* Vulg. *reddere... redderet*. ** Al. *fuisse crimen, esse in*

(1) *Ut, qui de meo facto &c.*) Conjungo: *ut non audeam confiteri de Ligarii facto, qui de meo non dubitem dicere. Ut*, positum pro *quam*. Patric.

ANALYSIS.

(a) *Vide, quæso*) Colligit argumentum pro Ligarii innocentia; non dubitarem, inquit, fateri culpam Ligarii, si qua esset, cum meam ipse confitear.

(b) *Atque hæc*) Secundo, præmissa excusatione quadam, cum in ipsum Tuberonem eamdem culpam transferat, ita arguit *ab Adjunctis* personæ.

Id objicere alteri accusator non debet, quod suum etiam est crimen;

Sed ipse Tubero & voluit esse in Africa, & fuit in Pharsalia contra Cæsarem;

Ergo idem non debet criminari in Ligario.

(c) *Sed hoc*) *Assumptio*.

(d) *Quid enim*) Ejusdem secunda pars vehementer amplificata, ut ad hunc locum Cæsar libellos ejecerit, quos de damnatione Ligarii manu tenebat, teste Quintiliano. Primam partem post alia multa pertractat.

commoveri videtur adolescens (1): ad me revertar. Iisdem in armis fui.

IV. Quid autem aliud egimus, Tubero, nisi, ut, quod hic potest, nos possemus? Quorum (*a*) igitur impunitas, Cæsar, tuæ clementiæ laus est, eorum ipsorum ad crudelitatem te acuet oratio? Atque in hac (*b*) causa nonnihil equidem, Tubero, etiam tuam, sed multo magis patris tui prudentiam desidero: quod homo, cum ingenio, tum etiam doctrina excellens, genus hoc causæ quod esset, non viderit. Nam si vidisset, quovis profecto, quam isto modo a te agi maluisset. Arguis fatentem: non est satis. Accusas eum, qui causam habet, aut, ut ego dico, meliorem, quam tu, aut, ut tu vis, parem.

Hæc non modo mirabilia sunt, sed prodigii simile est * quod dicam. Non habet (*c*) eam vim ista ac-

* Vulg. *sed prodigiis similia, quæ dicam.*

(1) *Commoveri videtur adolescens*) Tubero scilicet. Atque etiam Cæsar ipse, ut est apud Quintilianum, magnopere verbis iisdem illis commotus fuisse fertur. Cum diceret Cicero: *Quid enim, Tubero*, inquit, *tuus ille in acie Pharsalica destrictus gladius agebat?* &c. Et Plutarchus in vita Ciceronis scribit, ad hanc solam Pharsalicæ aciei mentionem, tam commotum fuisse Cæsarem, ut cum prius dicis tantum causa audire Ciceronem pro eo dicentem voluerit, ipsum Ligarium pro condemnato jam habuerit, hoc loco perturbatum corripuisse se, & schedas, quas tum forte gerebat, abjecisse, & denique contra quam statuerat, reum absolvisse. *Patric.*

ANALYSIS.

(a) *Quorum*) *Complexionis* loco brevis est ad Cæsarem admonitio, ne sinat excitari se ad crudelitatem ab iis, quibuscum ipse clementia usus fuerit.

(b) *Atque in hac*) Tertio genus causæ reprehendit, tum quod reum confitentem accusator arguat, & de eo crimine, cui multo magis ipse sit obnoxius (hæc autem in superioribus egit) tum maxime ad excitandam *Misericordiam* hac ratione:

Impium est Rei sanguinem quærere, aut impedire, ne supplex veniam petat;

Sed Tubero hac sua accusatione Ligarii sanguinem quærit, aut certe petit, ne supplici eidem ignoscatur;

Ergo impium est hanc agi ab illo causam.

(c) *Non habet*) Leni quadam reprehensione præmissa, subdit *Assumptionis* primam partem; nam duo Syllogismi membra separatim petractat.

περικλήματα aliquot locis miſcet: ad extremum vero Deprecationem adhibet. Hanc orationem pulcherrimam, ut a Pomponio Juriſconſul. nominatur in L. II. D. de orig. juris, Cicero bello Hiſpanienſi ſcriptam edidit: quæ quantopere Attico, Balbo, Oppio, aliiſque placuerit, cognoſces epiſt. XII. *&* XVIII. *libri* XIII. *Ad Attic.* FABRITIUS.

ORATIONIS SYNOPSIS.

ORatio eſt in genere *Judiciali*, ſitne Ligarius exilio puniendus, quod in Africa fuerit contra Cæſarem; partes quatuor, *Exordium*, *Narratio*, *Contentio*, *Peroratio*.

Exordium ironicum eſt, & habet criminis confeſſionem ad parandam *attentionem*, & *lenitatem*: *Novum crimen*.

In *Narratione* exponit, ut venerit in Africam Ligarius, utque in ea permanſerit: *Q. igitur Ligarius*; præmiſſa diviſione trium temporum, tertium *a Cauſis* defendit, quod neceſſitate fuerit in Africa: *Adhuc, C. Cæſar*.

1. In *Contentione* præmittit argumentum *a Comparatione minorum*, clementia Cæſaris magis eſſe dignum Ligarium, quam fuerit Cicero: *Nullum igitur habes*.

2. Deinde arguit *ab Adjunctis* perſonæ, quod ipſe accuſator eidem eſſet crimini obnoxius: *Atque hæc propterea de me*.

3. Genus cauſæ reprehendit, quod petat adverſarius, ut Ligarius necetur: *Atque in hac cauſa*; vel ſaltem ne illi ignoſcatur: *An ne ignoſcatur?*

4. Coarguit Tuberonem *ab Adjunctis* appellantem ſcelus Pompejanorum cauſam; nemo enim, ne Cæſar quidem ita appellaverat: *At primus aditus*.

5. Probat facilius Tuberoni fuiſſe non ire in Africam,

ſricam, quam Ligario inde exire, *ab Adjunctis* temporis: *Sed ut omittam*; eundem autem voluisſe ire in Africam, ut eam contra Cæſarem obtineret, oſtendit *a turpi*, & *a Conſequentibus*: *Sed quoquo modo*.

In *Peroratione* octo potiſſimum rationibus clementiam, & miſericordiam Cæſaris implorat: *Cauſas egi multas*.

EXORDIUM.

I. NOvum (*a*) crimen, C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus (1) ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe: idque C. Panſa (2), præſtanti vir ingenio, fretus fortaſſe ea familiaritate, quæ eſt ei tecum, auſus eſt confiteri. Itaque, quo me vertam, neſcio. Paratus enim veneram, cum tu id neque per te ſcires, neque audire aliunde potuiſſes, ut ignoratione tua ad hominis miſeri ſalutem abuterer: ſed quoniam diligentia inimici inveſtigatum eſt, quod latebat, confitendum eſt, ut opinor: præſertim cum meus neceſſarius, C. Panſa, fecerit, ut id jam integrum non eſſet: omiſſaque controverſia, omnis oratio ad miſericordiam

(1) *Propinquus meus*) Affinis, non cognatus: ut infra patet. Propinquitatem appellat, ne cum inimico homine diſputare videatur; & ut eo major orationi fides accedat; quod Ligarii innocentiam, & cauſæ bonitatem propinquitati Tuberonis anteponat. *Manut.*

(2) *C. Panſa*) C. Vibius Panſa, qui biennio poſt conſul fuit. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *Novum*) Totum *Exordium* ironicum eſt; fingit enim novum eſſe, & inauditum crimen, quod reus ipſe fatebatur, & erat notum omnibus; magnum habere pondus Panſæ teſtimonium, quod tamen non erat neceſſarium in re manifeſta; ſe ad neganda crimina veniſſe paratum, cum Judicis tantum clementiæ confideret. Hæc & ad *attentionem* valent, & ad avertendam Cæſaris iram.

diam tuam conferenda est, qua plurimi sunt conservati, cum a te non * liberationem culpæ, sed errati veniam impetravissent.

Habes igitur (*a*), Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum; sed tamen ita confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis.

NARRATIO.

Q. igitur (*b*) Ligarius, cum esset adhuc nulla belli suspicio, legatus in Africam cum C. Considio ** profectus est: qua in legatione & civibus, & sociis ita se probavit, ut decedens Considius provincia satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium provinciæ præfecisset. Itaque Q. Ligarius, cum diu recusans nihil profecisset, provinciam accepit invitus: cui sic præfuit in pace, ut & civibus, & sociis gratissima esset ejus integritas, & fides. Bellum subito exarsit; quod, qui erant in Africa, ante audierunt geri, quam parari. Quo audito, partim cupiditate (1) inconsiderata, partim

* Vulg. *non solum*.

** Vulg. *cum proconf. C. Considio*.

(1) *Cupiditate*) Quod faverent Pompejo. *Patricius*. Manutius, *cupiditate belli gerendi*. Sed istius ellipseos exemplum non reperies. Uterque nescivit, quid sit *cupiditas*, nimirum studium partium, sive, ut barbari loquuntur, partialitas. Sic *cupidus judex*, *testis*, ut alibi vidimus. Pro *cupiditate*, in sequentibus verbis statim dicit *studium*. Græv.

ANALYSIS.

(a) *Habes igitur*) Confessio criminis, unde *lenitas* ex Arist. l. 2. c. 3. t. 16. & ejusdem culpæ reum facit accusatorem; ex quo in eum excitatur invidia.

(b) *Q. igitur*) Exponit, ut venerit in Africam Ligarius legatus cum C. Considio proconsule, & ut præpositus provinciæ fuerit ab eodem Considio; illius quoque animum ab armis Civilibus alienum commemorat.

tim cæco quodam timore (1), primo salutis (2), post etiam studii sui quærebant aliquem ducem: cum * Ligarius, domum spectans, & ad suos redire cupiens, nullo se implicari negotio passus est. Interim P. Attius Varus (3), qui prætor Africam obtinuerat, Uticam venit. Ad eum statim concursum est. Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, si illud imperium esse potuit, quod ad privatum clamore multitudinis imperitæ, nullo publico consilio, deferebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paulum adventu Vari conquievit (4).

II. Adhuc (*a*), C. Cæsar, Q. Ligarius omni culpa vacat. Domo est egressus non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli: legatus in pace profectus, in provincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expedi-

* Vulg. *tum*.

(1) *Cæco quodam timore*) Timebant Cæsarem, sed, cur timerent, causæ nihil videbant. *Manut.*

(2) *Salutis*) Hæc sententia est: Primo salutis ducem quærebant, deinde etiam studii sui. *Lambinus*. Vulg. *salutis causa*.

(3) *P. Attius Varus*) Varus hic cum Sex. Pompejo, & Labieno ex Africana pugna, devictis Scipione Pompeji socero, & Juba Mauritaniæ rege, in Hispaniam profugit: ubi renovato simul cum Pompeji liberis bello, Mundensi prælio a Cæsare victus interiit. *Manut.*

(4) *Conquievit*) Ideo festinabat decedere provincia, ne dux eligeretur contra Cæsarem: ubi timor ille evanuit adventu Vari, non erat, cur adeo festinaret illinc discedere: itaque parumper conquievit. *Ferrat.*

A N A L Y S I S.

(a) *Adhuc*) Præmissa divisione trium temporum, 1. quo venit in Africam legatus, 2. quo Provinciam administravit, 3. quo remansit post adventum P. Attii Vari, duo prima vacare omni culpa certum esse ait, tertium defendit *a Causis*, quod necessitate coactus remanserit in Africa cum Varo; idque ostendit hoc argumento sumpto *ab Adjunctis*:

Non est probabile maluisse Ligarium Uticæ, & cum Varo esse, quam Romæ, & cum fratribus;

Sed illud ei contigit, quod in Africa permanserit;

Ergo remansit in Africa non voluntate, sed necessitate coactus.

ret (1). Profectio certe animum tuum non debet offendere. Num igitur remansio? Multo minus. Nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio etiam necessitatem honestam. Ergo hæc duo tempora carent crimine: unum, cum est legatus profectus, alterum, cum, efflagitatus a provincia, præpositus Africæ est.

Tertium est tempus, quo post adventum Vari in Africa restitit. Quod si est criminosum, necessitatis (2) crimen est, non voluntatis. An ille, si potuisset illinc ullo modo evadere, Uticæ potius, quam Romæ, cum P. Attio, quam cum concordissimis fratribus, cum alienis esse, quam cum suis maluisset? Cum ipsa (*a*) legatio plena desiderii ac sollicitudinis fuisset, propter incredibilem quendam fratrum amorem, hic æquo animo esse potuit, belli discidio distractus a fratribus?

CONTENTIO.

Nullum (*b*) igitur habes, Cæsar, adhuc in Q. Ligario signum alienæ a te voluntatis. Cujus ego

(1) *Expediret*) Ii cupere bellum solent, qui male gesta provincia judicium timent. *Idem*.

(2) *Necessitatis*) Coactus enim parere P. Varo novo Proconsuli. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Cum ipsa*) *Propositionis* approbatio *a minori ad majus*; si enim ægre tulit disjungi a fratribus legitima legatione, quanto magis vi Civilium armorum?

(b) *Nullum*) Supra Cicero probabili ratione ostendit, non fuisse in Ligario alienam a Cæsare voluntatem, cum in Africa permansit. Hinc pergit illius causam defendere, & sic in primis a persona sua *per Comparationem minorum*:

Lenior esse debes in eum, de cujus aliena voluntate non constat, quam in illum, quem certo scis fuisse in te male animatum;
Sed in me lenis fuisti, qui in te fui male animatus;
Ergo multo magis in Ligarium, de cujus aliena voluntate non constat.

Assumptionem amplificat exaggerando, quam Cæsaris clementiæ confidat, quanta sua culpa fuerit, quantum illius beneficium.

ego causam animadverte, quæso, qua fide defendam, cum prodo meam. O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis, monumentisque decorandam! M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuisse, in qua seipsum confitetur fuisse: nec tuas tacitas cogitationes extimescit: nec, quid tibi de alio audienti, de se ipso occurrat, reformidat.

III. Vide, quam non reformidem, vide quanta lux liberalitatis, & sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur. Quantum potero voce contendam, ut hoc populus Romanus exaudiat. Suscepto bello, Cæsar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, judicio * ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui, cum hoc sciret, tamen me, antequam vidit, reipublicæ reddidit: qui ad me ex Ægypto literas misit, ut essem idem, qui fuissem: qui cum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est (1): a quo, hoc ipso C. Pansa mihi nuntium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos (2) putavi: qui

 mihi

* Vulg. *judicio meo.*

(1) *Esse me alterum passus est*) M. Tullius Ser. Sulpicio & M. Marcello Coss. in Ciliciam pro consule profectus, Amano pacato, perpetuoque hoste inde sublato, rem satis prospere gessit, Imperatorque salutatus fuit. Lib. v. ad Attic. epist. x. Lib. 2. & 3, & Lib. 15. famil. Unde Plutarchus exponens res a Cicerone in Cilicia gestas, *Gessit etiam*, inquit, *bellum*, *latronibus*, *qui Amanum tenebant*, *devictis*: *justaque victoria Imperator a militibus appellatus est*. Anno sequente, L. Paulo & C. Marcello Coss. e provincia in Italiam reversus, ad urbem accessit pridie Non. Januarii, cum jam Lentulo & Marcello Coss. bellum civile conflatum esset. *Epist.* x, lib. xvi. *Famil.* Verum quia urbem ingressus non fuit, imperium retinuit, & pro consule mansit. Nam, ut ait Appianus, lib. 1. Proconsulibus imperii retinendi tamdiu potestas est, quoad Romam reversi fuerint. *Proconsul* autem *portam Romæ ingressus*, *deponit imperium*, inquit Ulpianus in L. ult. de Officio procos. *Fabric.*

(2) *Quoad tenendos*) Tenuisse lictores laureatos M. Tullius videtur usque ad mensem Octobrem, Cæsare Dictatore iterum, anno urbis DCCVII. quo demum tempore in urbem venisse, imperi-

mihi tum denique se salutem putavit dare *, si eam nullis spoliatam ornamentis dedisset.

Vide, quæso (*a*), Tubero, ut, qui de meo facto (1) non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri. Atque hæc (*b*) propterea de me dixi, ut mihi Tubero, cum de se eadem dicerem, ignosceret. Cujus ego industriæ gloriæque faveo, vel propter propinquam cognationem, vel quod ejus ingenio studiisque delector, vel quod laudem adolescentis propinqui existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. Sed hoc (*c*) quæro, quis putet esse crimen **, fuisse in Africa Ligarium? nempe is, qui & ipse in eadem Africa esse voluit, & prohibitum se a Ligario queritur, & certe contra ipsum Cæsarem est congressus armatus. Quid enim (*d*), Tubero, destrictus ille tuus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo: com-

periumque deposuisse videtur ex epist. ult. lib. IX. ad Attic. & epist. XX, lib. XIV. Fam. ita ut cum imperio fuerit annis quatuor. *Idem*.

* Vulg. *reddere... redderet*. ** Al. *fuisse crimen*, *esse in*

(1) *Ut*, *qui de meo facto &c.*) Conjungo: *ut non audeam confiteri de Ligarii facto*, *qui de meo non dubitem dicere*. *Ut*, positum pro *quam*. Patric.

ANALYSIS.

(a) *Vide*, *quæso*) Colligit argumentum pro Ligarii innocentia; non dubitarem, inquit, fateri culpam Ligarii, si qua esset, cum meam ipse confitear.

(b) *Atque hæc*) Secundo, præmissa excusatione quadam, cum in ipsum Tuberonem eamdem culpam transferat, ita arguit *ab Adjunctis* personæ.

Id objicere alteri accusator non debet, *quod suum etiam est crimen*;

Sed ipse Tubero & voluit esse in Africa, *& fuit in Pharsalia contra Cæsarem*;

Ergo idem non debet criminari in Ligario.

(c) *Sed hoc*) *Assumptio*.

(d) *Quid enim*) Ejusdem secunda pars vehementer amplificata, ut ad hunc locum Cæsar libellos ejecerit, quos de damnatione Ligarii manu tenebat, teste Quintiliano. Primam partem post alia multa pertractat.

commoveri videtur adolescens (1): ad me revertar. Iisdem in armis fui.

IV. Quid autem aliud egimus, Tubero, nisi, ut, quod hic potest, nos possemus? Quorum (*a*) igitur impunitas, Cæsar, tuæ clementiæ laus est, eorum ipsorum ad crudelitatem te acuet oratio? Atque in hac (*b*) causa nonnihil equidem, Tubero, etiam tuam, sed multo magis patris tui prudentiam desidero: quod homo, cum ingenio, tum etiam doctrina excellens, genus hoc causæ quod esset, non viderit. Nam si vidisset, quovis profecto, quam isto modo a te agi maluisset. Arguis fatentem: non est satis. Accusas eum, qui causam habet, aut, ut ego dico, meliorem, quam tu, aut, ut tu vis, parem.

Hæc non modo mirabilia sunt, sed prodigii simile est * quod dicam. Non habet (*c*) eam vim ista ac-

* Vulg. *sed prodigiis similia, quæ dicam.*

(1) *Commoveri videtur adolescens*) Tubero scilicet. Atque etiam Cæsar ipse, ut est apud Quintilianum, magnopere verbis iisdem illis commotus fuisse fertur. Cum diceret Cicero: *Quid enim, Tubero*, inquit, *tuus ille in acie Pharsalica destrictus gladius agebat?* &c. Et Plutarchus in vita Ciceronis scribit, ad hanc solam Pharsalicæ aciei mentionem, tam commotum fuisse Cæsarem, ut cum prius dicis tantum causa audire Ciceronem pro eo dicentem voluerit, ipsum Ligarium pro condemnato jam habuerit, hoc loco perturbatum corripuisse se, & schedas, quas tum forte gerebat, abjecisse, & denique contra quam statuerat, reum absolvisse. *Patric.*

ANALYSIS.

(a) *Quorum*) *Complexionis* loco brevis est ad Cæsarem admonitio, ne sinat excitari se ad crudelitatem ab iis, quibuscum ipse clementia usus fuerit.

(b) *Atque in hac*) Tertio genus causæ reprehendit, tum quod reum confitentem accusator arguat, & de eo crimine, cui multo magis ipse sit obnoxius (hæc autem in superioribus egit) tum maxime ad excitandam *Misericordiam* hac ratione:

Impium est Rei sanguinem quærere, aut impedire, ne supplex veniam petat;
Sed Tubero hac sua accusatione Ligarii sanguinem quærit, aut certe petit, ne supplici eidem ignoscatur;
Ergo impium est hanc agi ab illo causam.

(c) *Non habet*) Leni quadam reprehensione præmissa, subdit *Assumptionis* primam partem; nam duo Syllogismi membra separatim petractat.

accusatio, ut Q. Ligarius condemnetur, sed ut necetur. Hoc egit (*a*) civis Romanus ante te nemo. Externi isti sunt mores. Usque ad sanguinem (1) incitari solet odium aut levium Græcorum, aut immanium barbarorum. Nam quid (*b*) aliud agis? Ut Romæ ne sit? ut domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Broccho, avunculo suo, ne cum ejus filio, consobrino suo, ne nobiscum vivat? ne sit in patria? Num est *? num potest magis carere his omnibus, quam caret? Italia prohibetur, exulat. Non tu ergo hunc patria privare, qua caret, sed vita vis. At istud (*c*) ne apud eum quidem dictatorem, qui omnes, quos oderat, morte multabat, quisquam egit isto modo. Ipse jubebat occidi, nullo postulante: præmiis etiam invitabat (2). Quæ tamen crudelitas ab hoc eodem aliquot annis (3) post, quem tu nunc crudelem esse vis, vindicata est.

V. Ego vero (*d*) istud non postulo, inquies. Ita

* Vulg. *num in patria est?*

(1) *Usque ad sanguinem*) Hoc est, leves Græci, aut immanes barbari, more istiusmodi suo, nobis externo & peregrino, solent incitare odium usque ad sanguinem, fervere odio usque ad cædem. *J. F. Gronovius*. al. *externi isti mores usque ad sanguinem incitare solent*.

(2) *Premiis etiam invitabat*) Præmium a Sylla propositum iis, qui proscriptum interfecissent, duo talenta fuerunt. Plutarchus in Sylla. *Fabricius*.

(3) *Aliquot annis*) Annis XVII. nam Sylla Dictator fuit anno ab U. C. DCLXXII. Cæsar quæstionem inter sicarios exercuit anno DCXC. L. Julio Cæsare, & C. Figulo Coss. Vide Dionem. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Hoc egit*) *Propositionis* prima illa pars approbata *a Dissimili*.

(b) *Nam quid*) *Assumptionis* approbatio a sufficienti *Distributione*:

Vel petis ut exulet, vel ut moriatur;
Non ut exulet, jam enim est exul;
Ergo ut moriatur.

(c) *At istud*) *Propositionem* iterum confirmat *a Comparatione majorum*; si id non tulit Sylla, multo minus pati Cæsar debet.

(d) *Ego vero*) Transit ad alteram Syllogismi partem, quam gregie amplificat *ab adjunctis* rei, & loci; illustrat etiam figura maxime *Prosopopœja*.

Ita mehercle existimo, Tubero. Novi enim te, novi patrem, novi domum, nomenque vestrum, studia denique generis ac familiæ vestræ, virtutis, humanitatis, doctrinæ, plurimarum artium atque optimarum; nota sunt mihi omnia. Itaque certo scio, vos non petere sanguinem: sed parum attenditis. Res enim eo spectat, ut ea pœna, in qua adhuc Q. Ligarius sit, non videamini esse contenti. Quæ est igitur alia, præter mortem? Si enim in exilio est, sicuti est, quid amplius postulatis? An, ne ignoscatur? Hoc vero multo acerbius, multoque est durius. Quod nos domi petimus (1), precibus & lacrymis prostrati ad pedes, non tam nostræ causæ fidentes, quam hujus humanitati, id ne impetremus, pugnabis? & in nostrum fletum irrumpes? & nos jacentes ad pedes supplicum voce prohibebis?

Si, cum hoc domi faceremus, quod & fecimus, &, ut spero, non frustra fecimus, tu derepente irrupisses, & clamare cœpisses, C. Cæsar *, cave ignoscas, cave te fratrum pro fratris salute obsecrantium misereatur **, nonne omnem humanitatem exuisses? Quanto hoc durius, quod nos domi petimus (1), id a te inforo oppugnari? & in tali miseria multorum, perfugium misericordiæ tollere?

Dicam plane (*a*), C. Cæsar, quod sentio. Si in

* In vulg. additur *cave credas*. ** Vulg. *misereat*.

(1) *Quod nos domi petimus*) Imo in foro non domi Cæsarem jam deprecabantur. Quare vel, *petiimus* legendum, ut ad illud tempus referatur, de quo statim, vel potius vox *domi* tollenda, quam ex sequentibus hic temere inculcatam arbitror. *Fabrit.*

ANALYSIS.

(a) *Dicam plane*) Cæsarem laudat, qui perseverabat uti clementia, licet multi non ex victoribus tantum, sed etiam ex victis proni essent ad iracundiam; deinde sic in accusatorem insurgit *per comparationem minorum*;

Turpius est petere, ne reo fatenti ignoscatur, quam se excusantis mendacium refellere;

Sed, si se mendacio Ligarius purgaret, Tuberoni turpe esset mendacium illud refellere;

Ergo est multo turpius petere, ne Ligario fatenti ignoscatur.

in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu per te, per te, inquam, obtines, (intelligo quid loquar) acerbissimo luctu redundaret ista victoria. Quam multi enim essent de victoribus, qui te crudelem esse vellent, cum etiam de victis reperiantur? quam multi, qui, cum a te nemini ignosci vellent, impedirent clementiam tuam, cum etiam ii, quibus ipse ignovisti, nolint te in alios esse misericordem?

Quod si (*a*) probare Cæsari possemus, in Africa Ligarium omnino non fuisse, si honesto & misericordi mendacio saluti civi calamitoso esse vellemus (1); tamen hominis non esset, in tanto discrimine & periculo civis refellere & coarguere nostrum mendacium: &, si esset alicujus, ejus certe non esset, qui in eadem causa & fortuna fuisset. Sed tamen (*b*) aliud est errare Cæsarem nolle, aliud nolle misereri. Tu * diceres, Cave, Cæsar, credas: fuit in Africa Ligarius: tulit arma contra te. Nunc quid dicis? cave ignoscas. Hæcne hominis ** ad hominem vox est? qua qui apud te, C. Cæsar, utetur, suam citius abjiciet humanitatem, quam extorquebit tuam.

VI. Ac primus (*c*) aditus & postulatio Tuberonis hæc

* Vulg. *Tum*. ** Vul. *hæc nec hominis, nec ad hominem vox est.*

(1) *Saluti civi calamitoso esse vellemus*) Nihil videbatur lectione vulgata integrius, quæ talis est, *saluti civis calamitosi consultum esse vellemus*. Sed cum antiqua comparata clamat se esse corruptam. Reperitur autem hæc antiqua, quam secuti sumus, in duobus codicibus Memm. & in Cleric. & aliis. *Lambin.* Miror non auditum fuisse Lambinum, cum codicum, quos ille inspexit, scripturam stabiliant optimi quique, & editiones vetustiores. *Calamitoso civi saluti esse*, est calamitosum civem servare. *Græv.*

ANALYSIS.

(a) *Quod si*) *Assumptio.*

(b) *Sed tamen*) *Propositio.*

(c) *Ac primus*) Quarto Tuberonem reprehendit appellantem scelus Ligarii culpam: sic igitur *ab Adjunctis*:

Tubero non debet pejus sentire de causa Pompejanorum, quam cæteri omnes, & ipse Cæsar sentiunt;

Sed nemo hactenus, ne ipse quidem Cæsar, appellavit illud scelus;

Ergo multo minus Tubero, qui fuit in eadem causa.

hæc, ut opinor, fuit, velle se de Q. Ligarii scelere dicere. Non dubito (*a*), quin admiratus sis, vel quod de nullo alio quisquam, vel quod is, qui in eadem causa fuisset, vel quidnam novi facinoris afferret. Scelus tu illud vocas, Tubero? cur? isto enim (*b*) nomine illa adhuc causa caruit. Alii errorem appellant, alii timorem: qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam; qui gravissime, temeritatem; scelus, præter te, adhuc nemo. Ac mihi quidem, si proprium & verum nomen nostri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidisse videtur, & improvidas hominum mentes occupavisse, ut nemo mirari debeat, humana consilia divina necessitate esse superata.

Liceat esse miseros, * quanquam hoc victore esse non possumus. Sed non loquor de nobis: de illis loquor, qui occiderunt. Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces: sceleris vero crimine, furoris, parricidii, liceat Cn. Pompejo (1) mortuo, liceat multis aliis carere. Quando hoc (*c*) quisquam ex te, Cæsar, audivit? aut tua quid aliud arma voluerunt, nisi a te contumeliam propulsare (2)? quid egit tuus ille invictus exercitus,

* Lamb. *quanquam victore te.*

(1) *Cn. Pompejo*) Non dubitat Pompejum, præsente Cæsare, nominare, cum ipse Cæsar nunquam eum nisi honorificentissime appellaret. De quo ad Cæcinam: *Admirari soleo gravitatem, & justitiam, & sapientiam Cæsaris: nunquam nisi honorificentissime Pompejum appellat. At in ejus persona multa fecit asperius: armorum ista, & victoriæ sunt facta non Cæsaris.* Manut.

(2) *Nisi a te contumeliam propulsare*) Quod eripi tibi diceres inimicorum injuria beneficium a populo Romano datum; id est, quod tibi non liceret absenti alterum consulatum petere, quemadmodum jusserat. Cæsar ipse, lib. 1. Bell. civ. *Doluisse se* ait, *quod populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur.* Idem. Al. *propulsari.*

ANALYSIS.

(a) *Non dubito*) *Propositio.*

(b) *Isto enim*) *Assumptionis* prima pars; suam autem affert sententiam, quo revera nomine causa Pompejanorum appellanda sit, eamque pietate tuetur.

(c) *Quando hoc*) Secunda pars de Cæsare, quam tribus rationibus confirmat; 1. a *Causa finali*, quia suam injuriam ulcisci Cæsar voluit, non aliorum scelus.

tus, nisi ut suum jus tueretur (1), & dignitatem tuam? Quid? (a) tu, cum pacem esse cupiebas, idne agebas, ut tibi cum sceleratis, an ut cum bonis civibus conveniret?

Mihi vero (*b*), Cæsar, tua in me maxima merita tanta certe non viderentur, si me, ut sceleratum, a te conservatum putarem. Quomodo autem tu de republica bene meritus esses, si tot sceleratos incolumi dignitate esse voluisses? Secessionem tu illam existimavisti, Cæsar, initio, non bellum: non hostile odium, sed civile discidium*: utrisque cupientibus rempublicam salvam, sed partim consiliis, partim studiis a communi utilitate aberrantibus. Principum dignitas erat pene par: non par fortasse eorum, qui sequebantur (2): causa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari posset; nunc melior certe ea judicanda est, quam etiam dii adjuverunt. Cognita vero clementia tua, quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo, nisi armatus?

VII. Sed, ut (*c*) omittam communem causam,

* Vulg. *Dissidium*.

(1) *Ut suum jus tueretur*) Jus populi Romani. Multi enim ex iis, qui cum Cæsare militabant, suffragium tulerant in illa lege, quæ absenti Cæsari consulatus petendi potestatem dabat. *Manut.*

(2) *Non par fortasse eorum, qui sequebantur*) Hic certe Pompejanos Cæsarianis dignitate præfert. Consularis enim cum Cæsare, ut arbitror, nemo fuit; cum Pompejo multi, præter ipsos consules, & magistratus. *Idem*.

A N A L Y S I S.

(a) *Quid?*) 2. *Ab Adjunctis*, quia cum sceleratis nulla pax esse potest, adeoque non putavit Cæsar sceleratos Pompejanos, quibuscum egit de pace ante bellum.

(b) *Mihi vero*) 3. Eodem modo, quia scelerati neque restituendi erant, neque iis dandus in Senatu locus; rem igitur explicat, & Cæsarem laudat.

(c) *Sed, ut*) Quinto majorem fuisse ostendit culpam Tuberonis, quod voluerit ire in Africam, quam Ligarii, quod in eadem fuerit provincia; sic *ab Adjunctis:*

Magis est excusandus, qui paruit Senatui, cum parere necesse erat, quam qui paruit, cum licebat non parere;
Sed primo modo Ligarius Senatui paruit, altero L. Tubero
Ergo magis est excusandus Ligarius, quam Tubero.

ſam, veniamus ad noſtram: utrum tandem exiſtimas facilius fuiſſe, Tubero, Ligario * ex Africa exire, an vobis in Africam non venire? Poteramuſne, inquies, cum ſenatus cenſuiſſet? Si me conſulis, nullo modo. Sed tamen Ligarium ſenatus idem legaverat. Atque ille eo tempore paruit, cum parere ſenatui neceſſe erat: vos tum paruiſtis, cum paruit nemo, qui noluit. Reprehendo igitur? minime vero. Neque enim licuit aliter veſtro generi, nomini, familiæ, diſciplinæ. Sed hoc non concedo, ut, quibus rebus gloriemini in vobis, eaſdem in aliis reprehendatis.

Tuberonis ſors (*a*) conjecta eſt (1) ex ſenatus conſulto, cum ipſe non adeſſet, morbo etiam impediretur: ſtatuerat ſe excuſare. Hæc ego novi propter omnes ** neceſſitudines, quæ mihi ſunt cum L. Tuberone. Domi una eruditi, militiæ contubernales, poſt affines, in omni denique vita familiares. Magnum etiam vinculum, quod iiſdem ſtudiis ſemper uſi ſummus. Scio igitur Tuberonem domi manere voluiſſe. Sed ita quidam agebant, ita reipublicæ ſanctiſſimum nomen opponebant, ut etiam ſi aliter ſentiret, verborum tamen ipſorum pondus ſuſtinere non poſſet. Ceſſit auctoritati ampliſſimi viri (2), vel potius paruit. Una eſt profectus cum iis (3), quorum erat una cauſa. Tardius iter fecit. Itaque in Africam venit jam occupatam (4). Hinc in Ligarium crimen oritur, vel ira potius.

* Vulg. *Ligarium*, & infra *vos*. ** Vulg. *communes*.

(1) *Tuberonis ſors conjecta eſt*) In urnam, cum provinciarum ſortitio fieret. De qua conſule Cæſaris commentarium primum de bello civili, ubi poſt hanc ſortitionèm expoſitam hoc quoque leges: *Africam ſorte Tubero obtinere debebat*. Fabrit.

(2) *Ampliſſimi viri*) Pompeji, non Catonis, ut quidam putarunt. *Fa.*

(3) *Cum iis*) Eodem tempore quo reliqui Prætores ad obtinendas reliquas imperii Romani provincias juſſu Pompeji & Senatus exibant paludati, votis prius in Capitolio nuncupatis, ipſe etiam Tubero Roma profectus eſt. *Abram.*

(4) *Occupatam*) A P. Varro.

ANALYSIS.

(a) *Tuberonis ſors*) Ita rem narrat, ut innuat L. Tuberonem ob-.

potius. Nam, si crimen (1) est ullum, voluisse, non minus magnum est, vos Africam, omnium provinciarum, arcem, natam ad bellum contra hanc urbem gerendum, obtinere voluisse, quam * aliquem se maluisse. Atque is tamen aliquis, Ligarius non fuit. Varus imperium se habere dicebat: fasces certe habebat. Sed quoquo modo (2) sese (*a*) illud habet, hæc querela vestra, Tubero, quid valet? Recepti in provinciam non sumus. Quid si essetis? Cæsarine eam tradituri fuissetis, an contra Cæsarem ** retenturi?

VIII. Vide, quid (*b*) licentiæ, Cæsar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciæ. Si responderit Tubero, Africam, quo senatus eum, sorsque miserat, tibi patrem suum traditurum fuisse, non dubitabo apud ipsum te, cujus id eum facere interfuit, gravissimis verbis ejus consilium reprehendere. Non enim si tibi ea res grata fuisset, esset etiam probata. Sed jam hoc totum omitto, non tam ut ne offendam tuas patientissimas aures, quam ne

* Vulg. *aliquem se imperatorem esse maluisse.*
** Vulg. *contra eum.*
(1) *Nam, si crimen*) Si criminii, inquit, datis Ligario, quod vos Africa prohibere voluerit, nihilominus eodem vos atque etiam pari condemnabo crimine, quod vos eam obtinere voluistis. Ergo, *non minus magnum est*, crimen, subaudio. Atque hic jam ferire adversarium incipit, cum hactenus parcere ei videretur. *Patric.* Vulg. *Nam si crimen est prohibere illum voluisse, non minus.*
(2) *Quoquo modo*) Sive imperium Ligariu, sive Varus habuerit. *Manut.*

ANALYSIS.

obtinere Africam voluisse non studio belli, sed auctoritate Senatus adductum, ut illi provinciæ præesset contra Cæsarem; hinc minuitur culpa Ligarii, qui eum prohibuerat.

(a) *Sed quoquo modo sese*) Repetit hoc loco argumentum, quod supra habetur, sumptum a persona Accusatoris, tali ratione:

Non debet objicere Ligario, fuisse in Africa contra Cæsarem, qui voluit ire in Africam, ut eam contra Cæsarem obtineret;
Sed Tubero voluit ire in Africam; ut eam contra Cæsarem obtineret;
Ergo non debet Ligario objicere, quod in Africa fuerit.

(b) *Vide, quid*) *Assumptionis* approbatio *a turpi;* fuisset enim Tuberoni turpe tradere Cæsari provinciam, quam a Pompejo, & Senatu accepisset.

ne Tubero, quod nunquam cogitavit, facturus fuisse videatur. Veniebatis (*a*) igitur in Africam provinciam, unam ex omnibus huic victoriæ maxime infestam, in qua erat rex (1) potentissimus, inimicus huic causæ (2), aliena voluntas (3), conventus firmi atque magni. Quæro, quid facturi fuissetis? quanquam, quid facturi fueritis, non dubitem, cum videam, quid feceritis (4). Prohibiti estis in provincia vestra pedem ponere, & prohibiti *, ut perhibetis, summa cum injuria.

Quomodo id tulistis? acceptæ injuriæ querelam ad quem detulistis? nempe ad eum (5), cujus auctoritatem secuti (6) in societatem belli veneratis. Quod si Cæsaris causa in provinciam veniebatis, ad eum profecto exclusi provincia venissetis. Venistis ad Pompejum. Quæ est ergo apud Cæ-

* In vulg. deest *& prohibiti*.

(1) *Rex*) Juba. *Idem*.

(2) *Inimicus huic causæ*) Cn. Pompeji beneficio, qui patrem ejus Hiempsalem, Mauritaniæ regem constituerat. *Idem*.

(3) *Aliena voluntas*) Cujus? Africæ videlicet ipsius. Hoc autem est, omnium qui Africam scilicet incolebant. Sed auget rem, cum absolute & precise loquitur, non homines ibi fuisse aliena voluntate, non terram ipsam alienæ voluntatis, sed ipsam alienam voluntatem. Quamquam ego quidem propemodum legerem sic: *Aliena voluntate conventus firmi*. Ut significet, non tam in privatis hominibus indicia extitisse alienæ voluntatis a Cæsare, quam in conventibus ipsis hominum. At in qualibus conventibus? num in solitariis aut in imbecillis? respondet, conventus illos fuisse & *firmos*, ne quis putet animis & voluntatibus fluctuabundos, & *magnos*, ut significet fuisse frequentissimos. *Patric.*

(4) *Cum videam, quid feceritis*) Video enim vos, Africa prohibitos in Græciam ad Pompejum ivisse. *Idem*.

(5) *Ad eum*) Ad Pompejum.

(6) *Cujus auctoritatem secuti*) Neque hoc artificio vacat. Latenter enim id significat: Auctoritas amplissimi viri, non causa, vos ad belli societatem adduxit. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Veniebatis*) Alia approbatio *a Consequentibus*; nam illi favisset admissus in provinciam, cui favit ejectus: amplificat autem ingeniose Tuberonis constantiam in Pompejum tum *ab Adjunctis* ipsius provinciæ aptissimæ ad bellum gerendum, tum *ab Adjunctis* injuriæ acceptæ, quam non tanti fecit, ut causam proderet.

Cæsarem querela (1), cum eum accusatis, a quo queramini vos prohibitos contra Cæsarem bellum gerere? Atque in hoc quidem vel cum mendacio, si vultis, gloriari per me licet, vos provinciam fuisse Cæsari tradituros, etiam si a Varo (2), & quibusdam aliis prohibiti essetis. Ego autem confitebor culpam esse Ligarii, qui vos tantæ laudis occasione privaverit.

IX. Sed vide, quæso, C. Cæsar, constantiam ornatissimi viri, L. Tuberonis, quam ego, quamvis ipse * probarem, ut probo, tamen non commemorarem, nisi a te cognovissem in primis eam virtutem solere laudari. Quæ fuit igitur unquam in illo homine tanta constantia? Constantiam dico? nescio, an melius patientiam possem dicere. Quotus enim istud quisque fecisset, ut a quibus ** partibus in dissensione civili non esset receptus, essetque etiam cum crudelitate (3) rejectus ***, ad eas ipsas rediret? Magni cujusdam animi, atque ejus viri est, quem de suscepta causa, propositaque sententia, nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum posset depellere.

Ut enim cætera paria Tuberoni cum Varo fuissent, honos, nobilitas, splendor, ingenium, quæ nequaquam fuerunt; hoc certe præcipuum Tuberonis fuit, quod justo cum imperio ex senatusconsulto in provinciam suam venerat. Hinc prohibitus,

* Grut. *probarim*.
** Grut. *partibus*, delet. *** Vulg. *ejectus*.

(1) *Quæ est ergo apud Cæsarem querela*) Queri vobis apud Cæsarem de Ligario non licet, quia vos Africa prohibuerit. Id est, quia fecerit, ne bellum in Africa contra Cæsarem gerere possetis. *Idem*.

(2) *Etiam si a Varo*) Suspicor hoc loco esse mendum. Legerem. *Si a Varo, & quibusdam aliis prohibiti non essetis*. Patet enim concedi ironice, quod infra falsum esse ostenditur. *Ferratius*.

(3) *Cum crudelitate*) Ex Pomponio D. de origine juris: *Infirmum Tuberonem applicare non permisit, nec aquam haurire*. Ex Cæsare, *Tuberonem portu atque oppido prohibet, neque affectum valetudine filium exponere patitur*. Abram.

tus, non ad Cæsarem, ne iratus, non domum, ne iners, non aliquam in regionem, ne condemnare causam illam, quam secutus esset, videretur, in Macedoniam, in Cn. Pompeji castra venit, in eam ipsam causam, a qua erat rejectus cum injuria.

Quid? cum ista res nihil commovisset ejus animum, ad quem veneratis: languidiore, credo, studio in causa fuistis. Tantummodo (1) in præsidiis eratis, animi vero a causa abhorrebant. An, ut fit in civilibus bellis, nec in vobis magis, quam in reliquis, omnes vincendi studio tenebamur? Pacis equidem semper auctor fui, sed tum sero: erat enim amentis, cum aciem videres, pacem cogitare. Omnes, inquam, vincere volebamus: tu certe præcipue, qui in eum locum (2) venisses, ubi tibi esset pereundum, nisi vicisses. Quanquam, ut nunc se res habet, non dubito, quin hanc salutem anteponas illi victoriæ.

X. Hæc ego non dicerem, Tubero, si aut vos constantiæ vestræ, aut Cæsarem beneficii sui pœniteret. Nunc quæro (*a*), utrum vestras injurias, an reipublicæ persequamini. Si reipublicæ (3), quid de vestra in ea causa perseverantia respondebitis? si vestras, videte, ne erretis, qui Cæsarem vestris inimicis iratum fore putetis, cum ignoverit suis. Itaque num tibi videor, Cæsar, in causa Ligarii

(1) *Tantummodo*) Tantummodo videlicet in castris Pompeji corpore versabamini: causam autem ejus animis vestris non probabatis. *Patricius*.

(2) *In eum locum*) In ipsa Pompeji castra. Nam Cicero, cum in Pharsalia dimicatum est, abfuit, Dyrrhachii cum M. Varrone, & M. Catone commoratus, ut narrat de Divin. lib. 1. *Manutius*.

(3) *Si reipublicæ*) Ejus, quæ nunc est, & Cæsaris consilio, ac sapientia gubernatur. *Idem*.

ANALYSIS.

(*a*) *Nunc quæro*) Concludit, privatam fuisse illam injuriam, non publicam; Cæsarem autem non debere persequi aliorum injurias, cum remiserit suas.

garii occupatus esse? num de ejus facto dicere? Quidquid dixi, ad unam summam referri volo vel humanitatis, vel clementiæ, vel misericordiæ tuæ.

PERORATIO.

Causas (*a*), Cæsar, egi multas, & quidem tecum (1), dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certe nunquam hoc modo, *Ignoscite, Judices: erravit: lapsus est: non putavit: si unquam posthac* (2). Ad parentem sic agi solet. Ad judices, *Non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen*. Dic te, Cæsar, de facto Ligarii judicem esse: quibus in præsidiis fuerit, quære. Taceo: Ne hæc quidem colligo, quæ fortasse valerent etiam apud judicem. Legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppressus, in eo non acerbus; tum etiam* totus animo & studio tuus. Ad judicem sic agi solet. Sed ego ad parentem loquor: Erravi, temere feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, ut ignoscas oro. Si nemo impetravit, arroganter: si plurimi, tu idem fer opem, qui spem dedisti. An sperandi (*b*) Liga-

* Vulg. *etiam fuit*.

(1) *Et quidem tecum*) Cæsar etiam inter Oratores in foro versatus est. Fabius libro x. *C. vero Cæsar si tantum foro vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat*. Sed Atticum Ciceronianum libro de claris Oratoribus loquentem audiamus: *Splendidam quandam, minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica & generosa quodammodo*. Vide Tranquillum in Julio, cap. LV, LVI. Plutarchum in Cæsare. *Abram*.

(2) *Si unquam posthac*) Ex Plauto, Casina, actu v, scen. IV, vers. 22.

ANALYSIS.

(a) *Causas*) *Misericordiam* implorat multis rationibus; 1. a persona Cæsaris, qui parentem malebat, quam Judicem agere, & alios multos conservaverat.

(b) *An sperandi*) 2. A persona Ciceronis, qui causam agebat.

Ligario causa non sit, cum mihi apud te sit locus etiam pro altero deprecandi? Quanquam (a) neque in hac oratione spes est posita causæ, nec in eorum studiis, qui a te pro Ligario petunt, tui necessarii.

XI. Vidi enim, & cognovi, quid maxime spectares, cum pro alicujus salute multi laborarent: causas apud te rogantium gratiosiores (1) esse, quam vultus: neque spectare, quam tuus esset necessarius is, qui te oraret, sed quam illius (2), pro quo laboraret. Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, ut mihi beatiores illi esse videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quam tu ipse, qui illis tam multa concedis. Sed video tamen apud te causas, ut dixi, rogantium valere plus, quam preces, ab iisque te moveri maxime, quorum justissimum dolorem videas in petendo.

In Q. Ligario conservando multis tu quidem gratum facies necessariis tuis; sed hoc, quæso, con-

sidera,

(1) *Gratiosiores*) Non intellecta est vis hujus vocis ab iis, qui in *gratiores* eam mutarunt. *Gratiosi homines* sunt, qui multum possunt apud illos, a quibus amantur. Sic & *gratiosæ preces*, quæ plurimum valent, & blanda vi expugnant illum, cui fiunt, ut *gratiosa suffragatio* in II. ad Famil. 6: *Habemus hæc omnia: bonorum studium*, &c. *nostram suffragationem, si minus potentem*, (sic modeste de se loquitur) *at probatam tamen, & justam, & debitam, & propterea fortasse etiam gratiosam*. Grævius. Vulg. *gratiores esse quam preces*. al. *graviores*.

(2) *Quam illius*) Repete ἀπὸ κοινοῦ *sit necessarius*. Horum causas maxime spectat, quas *justas* vocat & *officio* incensas in Fam. lib. VI, epist. 6. & epist. 12. ejusdem libri, *necessarias*, quas propter necessitudinis conjunctionem non possumus negligere, nisi impii velimus in nostros esse, aut ingrati: causas vero deprecandi, quæ tantum ad captandum alicujus favorem & gratiam sunt comparatæ, Cicero ibidem vocat, *ambitiosas rogationes*, & *inanes ac ambitiosas voluntates*. Idem.

ANALYSIS.

(a) *Quanquam*) 3. Per figuram *Præteritionem*, a personis amicorum Cæsaris, qui pro Ligario deprecabantur.

in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu per te, per te, inquam, obtines, (intelligo quid loquar) acerbissimo luctu redundaret ista victoria. Quam multi enim essent de victoribus, qui te crudelem esse vellent, cum etiam de victis reperiantur? quam multi, qui, cum a te nemini ignosci vellent, impedirent clementiam tuam, cum etiam ii, quibus ipse ignovisti, nolint te in alios esse misericordem?

Quod si (*a*) probare Cæsari possemus, in Africa Ligarium omnino non fuisse, si honesto & misericordi mendacio saluti civi calamitoso esse vellemus (1); tamen hominis non esset, in tanto discrimine & periculo civis refellere & coarguere nostrum mendacium: &, si esset alicujus, ejus certe non esset, qui in eadem causa & fortuna fuisset. Sed tamen (*b*) aliud est errare Cæsarem nolle, aliud nolle misereri. Tu * diceres, Cave, Cæsar, credas: fuit in Africa Ligarius: tulit arma contra te. Nunc quid dicis? cave ignoscas. Hæcne hominis ** ad hominem vox est? qua qui apud te, C. Cæsar, utetur, suam citius abjiciet humanitatem, quam extorquebit tuam.

VI. Ac primus (*c*) aditus & postulatio Tuberonis hæc

* Vulg. *Tum*. ** Vul. *hæc nec hominis, nec ad hominem vox est.*

(1) *Saluti civi calamitoso esse vellemus*) Nihil videbatur lectione vulgata integrius, quæ talis est, *saluti civis calamitosi consultum esse vellemus*. Sed cum antiqua comparata clamat se esse corruptam. Reperitur autem hæc antiqua, quam secuti sumus, in duobus codicibus Memm. & in Cleric. & aliis. *Lambin.* Miror non auditum fuisse Lambinum, cum codicum, quos ille inspexit, scripturam stabiliant optimi quique, & editiones vetustiores. *Calamitoso civi saluti esse*, est calamitosum civem servare. *Græv.*

ANALYSIS.

(a) *Quod si*) *Assumptio*.

(b) *Sed tamen*) *Propositio*.

(c) *Ac primus*) Quarto Tuberonem reprehendit appellantem scelus Ligarii culpam: sic igitur *ab Adjunctis*:

Tubero non debet pejus sentire de causa Pompejanorum, quam cæteri omnes, & ipse Cæsar sentiunt;

Sed nemo hactenus, ne ipse quidem Cæsar, appellavit illud scelus;

Ergo multo minus Tubero, qui fuit in eadem causa.

hæc, ut opinor, fuit, velle se de Q. Ligarii scelere dicere. Non dubito (*a*), quin admiratus sis, vel quod de nullo alio quisquam, vel quod is, qui in eadem causa fuisset, vel quidnam novi facinoris afferret. Scelus tu illud vocas, Tubero? cur? isto enim (*b*) nomine illa adhuc causa caruit. Alii errorem appellant, alii timorem: qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam; qui gravissime, temeritatem; scelus, præter te, adhuc nemo. Ac mihi quidem, si proprium & verum nomen nostri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidisse videtur, & improvidas hominum mentes occupavisse, ut nemo mirari debeat, humana consilia divina necessitate esse superata.

Liceat esse miseros, * quanquam hoc victore esse non possumus. Sed non loquor de nobis: de illis loquor, qui occiderunt. Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces: sceleris vero crimine, furoris, parricidii, liceat Cn. Pompejo (1) mortuo, liceat multis aliis carere. Quando hoc (*c*) quisquam ex te, Cæsar, audivit? aut tua quid aliud arma voluerunt, nisi a te contumeliam propulsare (2)? quid egit tuus ille invictus exercitus,

* Lamb. *quanquam victore te*.

(1) *Cn. Pompejo*) Non dubitat Pompejum, præsente Cæsare, nominare, cum ipse Cæsar nunquam eum nisi honorificentissime appellaret. De quo ad Cæcinam: *Admirari soleo gravitatem, & justitiam, & sapientiam Cæsaris: nunquam nisi honorificentissime Pompejum appellat. At in ejus persona multa fecit asperius: armorum ista, & victoriæ sunt facta non Cæsaris*. Manut.

(2) *Nisi a te contumeliam propulsare*) Quod eripi tibi diceres inimicorum injuria beneficium a populo Romano datum; id est, quod tibi non liceret absenti alterum consulatum petere, quemadmodum jusserat. Cæsar ipse, lib. 1. Bell. civ. *Doluisse se* ait, *quod populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur*. Idem. Al. *propulsari*.

ANALYSIS.

(a) *Non dubito*) *Propositio*.

(b) *Isto enim*) *Assumptionis* prima pars; suam autem affert sententiam, quo revera nomine causa Pompejanorum appellanda sit, eamque pietate tuetur.

(c) *Quando hoc*) Secunda pars de Cæsare, quam tribus rationibus confirmat; 1. *a Causa finali*, quia suam injuriam ulcisci Cæsar voluit, non aliorum scelus.

tus, nisi ut suum jus tueretur (1), & dignitatem tuam? Quid? (a) tu, cum pacem esse cupiebas, idne agebas, ut tibi cum sceleratis, an ut cum bonis civibus conveniret?

Mihi vero (b), Cæsar, tua in me maxima merita tanta certe non viderentur, si me, ut sceleratum, a te conservatum putarem. Quomodo autem tu de republica bene meritus esses, si tot sceleratos incolumi dignitate esse voluisses? Secessionem tu illam existimavisti, Cæsar, initio, non bellum: non hostile odium, sed civile discidium*: utrisque cupientibus rempublicam salvam, sed partim consiliis, partim studiis a communi utilitate aberrantibus. Principum dignitas erat pene par: non par fortasse eorum, qui sequebantur (2): causa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari posset; nunc melior certe ea judicanda est, quam etiam dii adjuverunt. Cognita vero clementia tua, quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo, nisi armatus?

VII. Sed, ut (c) omittam communem caussam,

* Vulg. *Dissidium*.

(1) *Ut suum jus tueretur*) Jus populi Romani. Multi enim ex iis, qui cum Cæsare militabant, suffragium tulerant in illa lege, quæ absenti Cæsari consulatus petendi potestatem dabat. *Manut.*

(2) *Non par fortasse eorum, qui sequebantur*) Hic certe Pompejanos Cæsarianis dignitate præfert. Consularis enim cum Cæsare, ut arbitror, nemo fuit; cum Pompejo multi, præter ipsos consules, & magistratus. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Quid?*) 2. *Ab Adjunctis*, quia cum sceleratis nulla pax esse potest, adeoque non putavit Cæsar sceleratos Pompejanos, quibuscum egit de pace ante bellum.

(b) *Mihi vero*) 3. Eodem modo, quia scelerati neque restituendi erant, neque iis dandus in Senatu locus; rem igitur explicat, & Cæsarem laudat.

(c) *Sed, ut*) Quinto majorem fuisse ostendit culpam Tuberonis, quod voluerit ire in Africam, quam Ligarii, quod in eadem fuerit provincia; sic *ab Adjunctis:*

Magis est excusandus, qui paruit Senatui, cum parere necesse erat, quam qui paruit, cum licebat non parere;
Sed primo modo Ligarius Senatui paruit, altero L. Tubero
Ergo magis est excusandus Ligarius, quam Tubero.

sam, veniamus ad nostram: utrum tandem existimas facilius fuisse, Tubero, Ligario * ex Africa exire, an vobis in Africam non venire? Poteramusne, inquies, cum senatus censuisset? Si me consulis, nullo modo. Sed tamen Ligarium senatus idem legaverat. Atque ille eo tempore paruit, cum parere senatui necesse erat: vos tum paruistis, cum paruit nemo, qui noluit. Reprehendo igitur? minime vero. Neque enim licuit aliter vestro generi, nomini, familiæ, disciplinæ. Sed hoc non concedo, ut, quibus rebus gloriemini in vobis, easdem in aliis reprehendatis.

Tuberonis sors (*a*) conjecta est (1) ex senatus consulto, cum ipse non adesset, morbo etiam impediretur: statuerat se excusare. Hæc ego novi propter omnes ** necessitudines, quæ mihi sunt cum L. Tuberone. Domi una eruditi, militiæ contubernales, post affines, in omni denique vita familiares. Magnum etiam vinculum, quod iisdem studiis semper usi sumus. Scio igitur Tuberonem domi manere voluisse. Sed ita quidam agebant, ita reipublicæ sanctissimum nomen opponebant, ut etiam si aliter sentiret, verborum tamen ipsorum pondus sustinere non posset. Cessit auctoritati amplissimi viri (2), vel potius paruit. Una est profectus cum iis (3), quorum erat una causa. Tardius iter fecit. Itaque in Africam venit jam occupatam (4). Hinc in Ligarium crimen oritur, vel ira potius.

* Vulg. *Ligarium*, & infra *vos*. ** Vulg. *communes*.

(1) *Tuberonis sors conjecta est*) In urnam, cum provinciarum sortitio fieret. De qua consule Cæsaris commentarium primum de bello civili, ubi post hanc sortitionem expositam hoc quoque leges: *Africam sorte Tubero obtinere debebat*. Fabrit.

(2) *Amplissimi viri*) Pompeji, non Catonis, ut quidam putarunt. *Fa.*

(3) *Cum iis*) Eodem tempore quo reliqui Prætores ad obtinendas reliquas imperii Romani provincias jussu Pompeji & Senatus exibant paludati, votis prius in Capitolio nuncupatis, ipse etiam Tubero Roma profectus est. *Abram.*

(4) *Occupatam*) A P. Varro.

ANALYSIS.

(*a*) *Tuberonis sors*) Ita rem narrat, ut innuat L. Tuberonem ob-.

potius. Nam, si crimen (1) est ullum, voluisse, non minus magnum est, vos Africam, omnium provinciarum, arcem, natam ad bellum contra hanc urbem gerendum, obtinere voluisse, quam * aliquem se maluisse. Atque is tamen aliquis, Ligarius non fuit. Varus imperium se habere dicebat: fasces certe habebat. Sed quoquo modo (2) sese (*a*) illud habet, hæc querela vestra, Tubero, quid valet? Recepti in provinciam non sumus. Quid si essetis? Cæsarine eam tradituri fuissetis, an contra Cæsarem ** retenturi?

VIII. Vide, quid (*b*) licentiæ, Cæsar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciæ. Si responderit Tubero, Africam, quo senatus eum, sorsque miserat, tibi patrem suum traditurum fuisse, non dubitabo apud ipsum te, cujus id eum facere interfuit, gravissimis verbis ejus consilium reprehendere. Non enim si tibi ea res grata fuisset, esset etiam probata. Sed jam hoc totum omitto, non tam ut ne offendam tuas patientissimas aures, quam ne

* Vulg. *aliquem se imperatorem esse maluisse.*
** Vulg. *contra eum.*

(1) *Nam, si crimen*) Si crimini, inquit, datis Ligario, quod vos Africa prohibere voluerit, nihilominus eodem vos atque etiam pari condemnabo crimine, quod vos eam obtinere voluistis. Ergo, *non minus magnum est*, crimen, subaudio. Atque hic jam ferire adversarium incipit, cum hactenus parcere ei videretur. *Patric.* Vulg. *Nam si crimen est prohibere illum voluisse, non minus.*

(2) *Quoquo modo*) Sive imperium Ligariu, sive Varus habuerit. *Manut.*

ANALYSIS.

obtinere Africam voluisse non studio belli, sed auctoritate Senatus adductum, ut illi provinciæ præesset contra Cæsarem; hinc minuitur culpa Ligarii, qui eum prohibuerat.

(a) *Sed quoquo modo sese*) Repetit hoc loco argumentum, quod supra habetur, sumptum a persona Accusatoris, tali ratione:
Non debet objicere Ligario, fuisse in Africa contra Cæsarem, qui voluit ire in Africam, ut eam contra Cæsarem obtineret;
Sed Tubero voluit ire in Africam; ut eam contra Cæsarem obtineret;
Ergo non debet Ligario objicere, quod in Africa fuerit.

(b) *Vide, quid*) *Assumptionis* approbatio *a turpi*; fuisset enim Tuberoni turpe tradere Cæsari provinciam, quam a Pompejo, & Senatu accepisset.

ne Tubero, quod nunquam cogitavit, facturus fuisse videatur. Veniebatis (a) igitur in Africam provinciam, unam ex omnibus huic victoriæ maxime infestam, in qua erat rex (1) potentissimus, inimicus huic causæ (2), aliena voluntas (3), conventus firmi atque magni. Quæro, quid facturi fuissetis? quanquam, quid facturi fueritis, non dubitem, cum videam, quid feceritis (4). Prohibiti estis in provincia vestra pedem ponere, & prohibiti *, ut perhibetis, summa cum injuria.

Quomodo id tulistis? acceptæ injuriæ querelam ad quem detulistis? nempe ad eum (5), cujus auctoritatem secuti (6) in societatem belli veneratis. Quod si Cæsaris causa in provinciam veniebatis, ad eum profecto exclusi provincia venissetis. Venistis ad Pompejum. Quæ est ergo apud Cæ-

* In vulg. deest *& prohibiti*.

(1) *Rex*) Juba. *Idem*.

(2) *Inimicus huic causæ*) Cn. Pompeji beneficio, qui patrem ejus Hiempsalem, Mauritaniæ regem constituerat. *Idem*.

(3) *Aliena voluntas*) Cujus? Africæ videlicet ipsius. Hoc autem est, omnium qui Africam scilicet incolebant. Sed auget rem, cum absolute & precise loquitur, non homines ibi fuisse aliena voluntate, non terram ipsam alienæ voluntatis, sed ipsam alienam voluntatem. Quamquam ego quidem propemodum legerem sic: *Aliena voluntate conventus firmi*. Ut significet, non tam in privatis hominibus indicia extitisse alienæ voluntatis a Cæsare, quam in conventibus ipsis hominum. At in qualibus conventibus? num in solitariis aut in imbecillis? respondet, conventus illos fuisse & *firmos*, ne quis putet animis & voluntatibus fluctuabundos, & *magnos*, ut significet fuisse frequentissimos. *Patric.*

(4) *Cum videam, quid feceritis*) Video enim vos, Africa prohibitos in Græciam ad Pompejum ivisse. *Idem*.

(5) *Ad eum*) Ad Pompejum.

(6) *Cujus auctoritatem secuti*) Neque hoc artificio vacat. Latenter enim id significat: Auctoritas amplissimi viri, non causa, vos ad belli societatem adduxit. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Veniebatis*) Alia approbatio *a Consequentibus*; nam illi favisset admissus in provinciam, cui favit ejectus: amplificat autem ingeniose Tuberonis constantiam in Pompejum tum *ab Adjunctis* ipsius provinciæ aptissimæ ad bellum gerendum, tum *ab Adjunctis* injuriæ acceptæ, quam non tanti fecit, ut causam proderet.

Cæsarem querela (1), cum eum accusatis, a quo queramini vos prohibitos contra Cæsarem bellum gerere? Atque in hoc quidem vel cum mendacio, si vultis, gloriari per me licet, vos provinciam fuisse Cæsari tradituros, etiam si a Varo (2), & quibusdam aliis prohibiti essetis. Ego autem confitebor culpam esse Ligarii, qui vos tantæ laudis occasione privaverit.

IX. Sed vide, quæso, C. Cæsar, constantiam ornatissimi viri, L. Tuberonis, quam ego, quamvis ipse * probarem, ut probo, tamen non commemorarem, nisi a te cognovissem in primis eam virtutem solere laudari. Quæ fuit igitur unquam in illo homine tanta constantia? Constantiam dico? nescio, an melius patientiam possem dicere. Quotus enim istud quisque fecisset, ut a quibus ** partibus in dissensione civili non esset receptus, essetque etiam cum crudelitate (3) rejectus ***, ad eas ipsas rediret? Magni cujusdam animi, atque ejus viri est, quem de suscepta causa, propositaque sententia, nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum posset depellere.

Ut enim cætera paria Tuberoni cum Varo fuissent, honos, nobilitas, splendor, ingenium, quæ nequaquam fuerunt; hoc certe præcipuum Tuberonis fuit, quod justo cum imperio ex senatusconsulto in provinciam suam venerat. Hinc prohibitus,

* Grut. *probarim*.
** Grut. *partibus*, delet. *** Vulg. *ejectus*.

(1) *Quæ est ergo apud Cæsarem querela*) Queri vobis apud Cæsarem de Ligario non licet, quia vos Africa prohibuerit. Id est, quia fecerit, ne bellum in Africa contra Cæsarem gerere possetis. *Idem*.

(2) *Etiam si a Varo*) Suspicor hoc loco esse mendum. Legerem. *Si a Varo, & quibusdam aliis prohibiti non essetis*. Patet enim concedi ironice, quod infra falsum esse ostenditur. *Ferratius*.

(3) *Cum crudelitate*) Ex Pomponio D. de origine juris: *Infirmum Tuberonem applicare non permisit, nec aquam haurire*. Ex Cæsare, *Tuberonem portu atque oppido prohibet, neque affectum valetudine filium exponere patitur*. Abram.

tus, non ad Cæsarem, ne iratus, non domum, ne iners, non aliquam in regionem, ne condemnare causam illam, quam secutus esset, videretur, in Macedoniam, in Cn. Pompeji castra venit, in eam ipsam causam, a qua erat rejectus cum injuria.

Quid? cum ista res nihil commovisset ejus animum, ad quem veneratis: languidiore, credo, studio in causa fuistis. Tantummodo (1) in præsidiis eratis, animi vero a causa abhorrebant. An, ut fit in civilibus bellis, nec in vobis magis, quam in reliquis, omnes vincendi studio tenebamur? Pacis equidem semper auctor fui, sed tum sero: erat enim amentis, cum aciem videres, pacem cogitare. Omnes, inquam, vincere volebamus: tu certe præcipue, qui in eum locum (2) venisses, ubi tibi esset pereundum, nisi vicisses. Quanquam, ut nunc se res habet, non dubito, quin hanc salutem anteponas illi victoriæ.

X. Hæc ego non dicerem, Tubero, si aut vos constantiæ vestræ, aut Cæsarem beneficii sui poeniteret. Nunc quæro (*a*), utrum vestras injurias, an reipublicæ persequamini. Si reipublicæ (3), quid de vestra in ea causa perseverantia respondebitis? si vestras, videte, ne erretis, qui Cæsarem vestris inimicis iratum fore putetis, cum ignoverit suis. Itaque num tibi videor, Cæsar, in causa Li-

 garii

(1) *Tantummodo*) Tantummodo videlicet in castris Pompeji corpore versabamini: causam autem ejus animis vestris non probabatis. *Patricius*.

(2) *In eum locum*) In ipsa Pompeji castra. Nam Cicero, cum in Pharsalia dimicatum est, abfuit, Dyrrhachii cum M. Varrone, & M. Catone commoratus, ut narrat de Divin. lib. 1. *Manutius*.

(3) *Si reipublicæ*) Ejus, quæ nunc est, & Cæsaris consilio, ac sapientia gubernatur. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Nunc quæro*) Concludit, privatam fuisse illam injuriam, non publicam; Cæsarem autem non debere persequi aliorum injurias, cum remiserit suas.

garii occupatus esse? num de ejus facto dicere? Quidquid dixi, ad unam summam referri volo vel humanitatis, vel clementiæ, vel misericordiæ tuæ.

P E R O R A T I O.

Causas (*a*), Cæsar, egi multas, & quidem tecum (1), dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certe nunquam hoc modo, *Ignoscite, Judices: erravit: lapsus est: non putavit: si unquam posthac* (2). Ad parentem sic agi solet. Ad judices, *Non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen*. Dic te, Cæsar, de facto Ligarii judicem esse: quibus in præsidiis fuerit, quære. Taceo: Ne hæc quidem colligo, quæ fortasse valerent etiam apud judicem. Legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppressus, in eo non acerbus; tum etiam* totus animo & studio tuus. Ad judicem sic agi solet. Sed ego ad parentem loquor: Erravi, temere feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, ut ignoscas oro. Si nemo impetravit, arroganter: si plurimi, tu idem fer opem, qui spem dedisti. An sperandi (*b*) Liga-

* Vulg. *etiam fuit*.

(1) *Et quidem tecum*) Cæsar etiam inter Oratores in foro versatus est. Fabius libro x. *C. vero Cæsar si tantum foro vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat*. Sed Atticum Ciceronianum libro de claris Oratoribus loquentem audiamus: *Splendidam quandam, minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica & generosa quodammodo*. Vide Tranquillum in Julio, cap. LV, LVI. Plutarchum in Cæsare. *Abram*.

(2) *Si unquam posthac*) Ex Plauto, Casina, actu v, scen. IV, vers. 22.

A N A L Y S I S.

(a) *Causas*) *Misericordiam* implorat multis rationibus; 1. a persona Cæsaris, qui parentem malebat, quam Judicem agere, & alios multos conservaverat.

(b) *An sperandi*) 2. A persona Ciceronis, qui causam agebat.

Ligario causa non sit, cum mihi apud te sit locus etiam pro altero deprecandi? Quanquam (a) neque in hac oratione spes est posita causæ, nec in eorum studiis, qui a te pro Ligario petunt, tui necessarii.

XI. Vidi enim, & cognovi, quid maxime spectares, cum pro alicujus salute multi laborarent: causas apud te rogantium gratiosiores (1) esse, quam vultus: neque spectare, quam tuus esset necessarius is, qui te oraret, sed quam illius (2), pro quo laboraret. Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, ut mihi beatiores illi esse videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quam tu ipse, qui illis tam multa concedis. Sed video tamen apud te causas, ut dixi, rogantium valere plus, quam preces, ab iisque te moveri maxime, quorum justissimum dolorem videas in petendo.

In Q. Ligario conservando multis tu quidem gratum facies necessariis tuis; sed hoc, quæso, considera,

(1) *Gratiosiores*) Non intellecta est vis hujus vocis ab iis, qui in *gratiores* eam mutarunt. *Gratiosi homines* sunt, qui multum possunt apud illos, a quibus amantur. Sic & *gratiosæ preces*, quæ plurimum valent, & blanda vi expugnant illum, cui fiunt, ut *gratiosa suffragatio* in II. ad Famil. 6: *Habemus hæc omnia: bonorum studium*, &c. *nostram suffragationem, si minus potentem*, (sic modeste de se loquitur) *at probatam tamen, & justam, & debitam, & propterea fortasse etiam gratiosam*. Grævius. Vulg. *gratiores esse quam preces*. al. *graviores*.

(2) *Quam illius*) Repete *ἀπὸ κοινοῦ sit necessarius*. Horum causas maxime spectat, quas *justas* vocat & *officio* incensas in Fam. lib. VI, epist. 6. & epist. 12. ejusdem libri, *necessarias*, quas propter necessitudinis conjunctionem non possumus negligere, nisi impii velimus in nostros esse, aut ingrati: causas vero deprecandi, quæ tantum ad captandum alicujus favorem & gratiam sunt comparatæ, Cicero ibidem vocat, *ambitiosas rogationes*, & *inanes ac ambitiosas voluntates*. Idem.

ANALYSIS.

(a) *Quanquam*) 3. Per figuram *Præteritionem*, a personis amicorum Cæsaris, qui pro Ligario deprecabantur.

sidera, quod soles. Possum (*a*) fortissimos viros, Sabinos, tibi probatissimos, totumque agrum Sabinum, florem Italiæ, ac robur reipublicæ, proponere. Nosti optime homines. Animadverte horum omnium mœstitiam & dolorem. Hujus T. Brocchi, de quo non dubito quid existimes, lacrymas, squaloremque ipsius, & filii vides.

Quid de fratribus dicam? Noli, Cæsar, putare de unius capite nos agere. Aut tres tibi * Ligarii retinendi in civitate sunt, aut tres ex civitate exterminandi. Quodvis exilium his est optatius, quam patria, quam domus, quam dii penates, uno illo exulante. Si fraterne, si pie, si cum dolore faciunt, moveant te horum lacrymæ, moveat pietas, moveat germanitas: valeat tua vox illa, quæ vicit. Te enim dicere audiebamus, Nos, omnes adversarios putare, nisi qui nobiscum essent: te, omnes, qui contra te non essent, tuos. Videsne igitur hunc splendorem, omnem hanc Brocchorum domum, hunc L. Marcium, C. Cæsetium, L. Corfidium **, hosce omnes equites Romanos, qui adsunt veste mutata, non solum notos tibi, verum etiam probatos viros, qui tecum fuerunt (1)? Atque his maxime irascebamur, & hos requirebamus, & his nonnulli etiam minabantur. Conserva igitur tuis suos,

* In vulg. deest *tibi*. ** Vulg. *Cornificium*.

(1) *Qui tecum fuerunt*) Ex antecedentibus & sequentibus intelligitur, *qui tecum fuerunt*, hic dici non de iis, qui eum secuti sunt ad bellum, sed de Q. Ligarii fratribus, deque ejus avunculo T. Broccho, & aliis, supra nominatis, qui, suscepto civili bello, domi remanere, quam alterutram partem sequi, maluerunt. Nam eos æque suos Cæsar appellabat, atque illos, qui cum eo in bello fuerant. Dixit enim supra: *Te enim dicere audiebamus, nos omnes adversarios putare, nisi qui nobiscum essent: te omnes, qui contra te non essent, tuos*. Eos autem significari, qui domi remanserant, sequentibus quoque verbis ita constat, ut dubitare prorsus nemo possit. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Possum*) 4. A personis necessariorum Ligarii, qui pro Cæsare steterant.

ſuos, ut, quemadmodum cætera, quæ dicta ſunt a te, ſic hoc veriſſimum reperiatur.

XII. Quod ſi penitus perſpicere poſſes concordiam Ligariorum, omnes fratres tecum judicares fuiſſe. An poteſt (*a*) quiſquam dubitare, quin, ſi Q. Ligarius in Italia eſſe potuiſſet, in eadem ſententia futurus fuerit, in qua fratres fuerunt? quis eſt, qui horum conſenſum conſpirantem & pene conflatum, in hac prope æqualitate fraterna non noverit? qui hoc non ſentiat, quidvis prius futurum fuiſſe, quam ut hi fratres diverſas ſententias fortunaſque ſequerentur? Voluntate igitur omnes tecum fuerunt: tempeſtate abreptus eſt unus, qui ſi conſilio id feciſſet, eſſet eorum ſimilis, quos tu tamen ſalvos eſſe voluiſti.

Sed ierit ad bellum: diſceſſerit * non a te ſolum, verum etiam a fratribus. Hi te orant tui. Equidem (*b*) cum tuis omnibus negotiis intereſſem, memoria teneo, qualis tum T. Ligarius, quæſtor urbanus (1), fuerit erga te & dignitatem tuam. Sed parum eſt me hoc meminiſſe: ſpero etiam te, qui oblivifci nihil ſoles, niſi injurias, quoniam hoc eſt animi, quoniam etiam ingenii tui, te aliquid de hujus illo quæſtorio ** officio cogitantem, etiam de aliis quibuſdam quæſtoribus reminiſcentem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud, (neque enim hæc divinabat) niſi ut tu eum tui ſtudioſum, & bonum virum judicares, nunc a te ſupplex fratris ſalutem petit. Quam hujus admonitus

* Vulg. *diſſenſerit*. ** Vulg. *de hujus quæſtoris officio*.

(1) *Quæſtor urbanus*) *Quæſtores urbani ærarium curabant, ejuſque pecunias expenſas & acceptas in tabulas publicas referre conſueverant*. Aſconius in Verrinam tertiam. *Fabric.*

ANALYSIS.

(a) *An poteſt*) 5. A neceſſitate, quæ invitum Ligarium coegit ferre arma contra Cæſarem.

(b) *Equidem*) 6. A meritis T. Ligarii fratris.

nitus officio cum utrisque his dederis (1), tres fratres optimos & integerrimos, non solum sibi ipsos, neque his tot ac talibus viris, neque nobis necessariis suis, sed etiam reipublicæ condonaveris.

Fac igitur (*a*), quod de homine nobilissimo & clarissimo, M. Marcello *, fecisti nuper in curia, nunc idem in foro de optimis, & huic omni frequentiæ probatissimis fratribus. Ut concessisti illum senatui, sic da hunc populo, cujus voluntatem carissimam semper habuisti: &, si ille dies tibi gloriosissimus, populo Romano gratissimus fuit, noli, obsecro, dubitare, C. Cæsar, similem illi gloriæ laudem quam sæpissime quærere. Nihil est (*b*) enim tam populare, quam bonitas: nulla de virtutibus tuis plurimis, nec admirabilior, nec gratior misericordia est. Homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua majus, quam ut possis, nec natura tua melius, quam ut velis conservare quam plurimos. Longiorem orationem causa forsitan postulat, tua certe natura breviorem. Quare, cum utilius esse arbitrer, te ipsum, quam aut me, aut quemquam, loqui tecum, finem jam faciam. Tantum te admonebo, si illi absenti salutem dederis, præsentibus his omnibus te daturum.

* In vulg. additur *restituto*.
(1) *Utrisque his dederis*) Duobus fratribus, qui adsunt, & pro tertio deprecantur. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Fac igitur*) 7. A gloria, quam in restituendo Marcello consecutus fuerat Cæsar.
(b) *Nihil est*) 8. *A genere*, quod nulla virtus pluris facienda sit, quam clementia.

EVEN-

EVENTUS.

Plutarchus, in vita Ciceronis: „ Cum Q. Ligarius reus factus „ esset, quod in numero hostium Cæsaris fuisset, ejusque patro- „ cinium Cicero suscepisset, tum Cæsarem dixisse ferunt, Quid est „ causæ, cur Ciceronem orantem aliquandiu non audiamus? Nam „ reum quidem hominem improbum & hostem esse, jampridem „ certum est. Ubi vero Cicero ingressus dicere, mirificos motus „ concitavit, & oratio progressa cum affectibus varia, tum venu- „ state admirabilis fuit, perspicue cognitum ajunt, varios colores „ Cæsaris vultum subire, ejusque animum omnibus modis com- „ mutari: ac tandem, cum Pharsalici prælii mentionem facere „ Orator cœpisset, immodicis perturbationibus incitatum, corpo- „ re contremuisse, & libellos quosdam e manu ejecisse. Victus „ igitur orationis vi, Ligarium crimine liberavit. Hactenus Plu- tarchus. Unde perspicitur, quantus ardor Ciceronis in agendo fuerit: qui Cæsaris animum Ligario infensissimum ita commoverit, ut absolveret eum, quem jampridem hominem improbum & ho- stem judicaverat. Tuberoni vero Ligarii accusatori hac oratione forensis gloriæ spes omnis ita præcisa fuit, ut in hac causa victus, cum eloquentiæ laudem desperasset, e foro se ad jus civile tran- stulerit. Qua de re Pomponius, de Origine Juris. *Fabric.*

In eum tamen ingratus fuit a quo salutem acceperat. De quo Plutarchus in Bruto: *Erat quidam Q. Ligarius Pompeji amicus, quem eo nomine accusatum exemerat Cæsar noxa. Hic non quod ab judicio liberatus fuisset, gratiam Cæsari tribuens, sed propter quam vocatus in periculum fuerat, dominationem prorsus ei in- fensus erat, Bruto autem in primis familiaris. Hunc Brutus invisens ægrotum, cum socios conjurationis in Cæsarem quære- ret,* Quali, *inquit*, tempore, Ligari, ægrotas? *Ille statim cubito innixus, arrepta dextera ejus,* At ego, *inquit*, si quid te, Bru- te, dignum cogitas, valeo. *Abram.*

PRO REGE DEJOTARO.

AD C. CÆSAREM.

ORATIO XLII.

ARGUMENTUM.

UT eas regiones in quibus versamur, & eos homines quibuscum vivimus, ita ea loca, eosque homines, de quibus quotidie audimus, nosse jucundum est: principio quædam de Gallogræcia, in qua regnavit Dejotarus, tum de ipso Dejotaro nonnulla dicam, quæ neque ipsa per se cognitu indigna sint, & quasi facem præferant nobis ad hanc orationem facilius intelligendam. Galatia igitur, qua alio nomine Gallogræcia vocatur, Asiæ regio est, Phrygiæ, Bithyniæ, & Armeniæ minori contermina: dicta ex eo, quod illam antiquissimis temporibus, Tectosages, & alii quidam Galliæ populi, pulsis indigenis occuparunt. Ita enim apud Suidam legimus. Cum tanta hominum multitudo excrevisset in Gallia, ut regio ipsa, quamvis ferax, vix eis alendis suffectura videretur, trecenta Gallorum millia in Asiam venisse, & sedes posuisse ea in parte, quæ ex ipsis Galatia, aut Gallogræcia vocata est. Qua de re verba hæc sunt Lactantii libro tertio ad Probum: Galli antiquitus a candore corporis Galatæ nuncupabantur: & Sibylla siccos appellat, *Quod significare voluit Poeta, cum ait:*

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris, & dono noctis opacæ.
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis.

Vir-

Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur. *Æn. VIII. 657.*

Cum posset dicere, candida. *Hinc utique Gallia provincia, in quam Galli aliquando venientes, cum Græcis se miscuerunt. Unde primum ea regio Gallogræcia, post Galatia nominata est. S. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis:* Galatia provincia Asiæ, a Gallis vocabulum trahens, qui in auxilium a rege Bithyniæ evocati, regnum cum eo, parta victoria, diviserunt. Sicque deinde Græcis admixti, primo Gallogræci, post Galatæ sunt appellati. Eorum metropolis est Ancyra. *Temporibus Sancti Hieronymi non Græce, sed Trevirorum lingua adhuc loquebantur, post tantum temporis intervallum, adhuc ipso vocis sono testantes originem suam. Eum, quo duce profecti sunt, alii Leonem, Strabo Leonorium vocat. Qui & ipse lib.* XII. *iisdem narratis, ait eam olim divisam fuisse in 4. tetrarchias: inde in tres, in duas, totam tandem cessisse Dejotaro: ac postremo in provinciæ formam redactam esse. Sed Hirtius, eam occupatam fuisse a Dejotaro, aliis tetrarchis id injuria fieri querentibus. De quo ipso Dejotaro tempus est pauca dicendi.*

Adjuverat imperatores Romanos toto vitæ suæ tempore in iis bellis, quæ Rom. in Asia gesserant. Et ipse vicissim a Rom. rex ex tetrarcha factus, & magna parte regni auctus fuerat. Donaverat etiam ei sive Pompejus, sive Senatus, Armeniam minorem. Et multa decreta honorificentissima in eum facta erant. Auctor tum idem Strabo, lib. XII. *tum Cicero, cujus hæc sunt ad finem hujus orationis:* Quæ enim fortuna, aut quis casus, aut quæ tanta possit injuria omnium imperatorum de Dejotaro decreta delere? Ab omnibus enim est ornatus, qui postquam in castris esse potuit per ætatem, in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria bella gesserunt, *&c. Eundem in orat. de Harusp. resp. sæpe a senatu,*

tu, *regali nomine dignum existimatum*, *clarissimorum imperatorum testimoniis ornatum esse dicit*. *In hac ipsa*: Habebatur autem non solum tetrarches nobilis, sed etiam optimus paterfamilias, & diligentissimus agricola, & pecuarius. *De eo*, *de Harusp. responsis*: quem unum habemus in orbe terrarum fidelissimum huic imperio, atque amantissimum nostri nominis regem. *Et Philip. II.* Dejotari regis, & patris, & filii, & magnus, & nostro more instructus exercitus. Summa in filio spes, summa ingenii indoles, summa virtus. Quid de patre dicam? cujus benevolentia in populum Romanum est ipsius æqualis ætati. Qui non solum socius imperatorum nostrorum fuit in bellis, verum etiam dux copiarum suarum? quæ de illo viro Sylla, quæ Murena, quæ Servilius, quæ Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quam graviter sæpe in senatu prædicaverunt? Quid de Cn. Pompejo loquar, qui unum Dejotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum, vereque benevolum, unum fidelem populo Romano judicavit? *Inter cætera autem Pompejum in Mithridatico bello egregie adjuverat*: & *ob id ab eo Armeniæ minoris regno donatus erat*. Eutrop. *lib.* VI. *Fuit peritissimus auspiciorum*. *Nihil nisi auspicato gerebat*. *Vide lib.* I. de Divin. *cap.* 15. *Adjuvit Pompejum in bello civili*, & *ipse in pugna Pharsalica præsens fuit*. *Cumque ob id a Cæsare* & *pecunia* & *parte regni multatus esset*, *negabat tamen se auspiciorum*, *quæ sibi ad Pompejum proficiscenti facta essent*, *pœnitere*. Ibidem. *Ignovit tamen ei Cæsar*, *cum Pharnaci ignoscere noluerit*, Hirtius, & *ei partem dedit eorum*, *quæ Pharnaci abstulerat*. *Dejotarus mortuo Cæsare sua recuperavit*: Philippica *II.* 37. *Adjuvit Brutum*, *cum Cassium novisset extreme senex*. Dio *libro quadragesimo septimo*. *Dictum ipsius in Crassum adversus Parthos proficiscentem*, *refert Plutarchus in Crasso*. *Crudelitas*

tas

tas in filios: *Plutarchus* de Stoicis contrariet. *Ego cap. pen. lib.* VIII. Variarum lect. *Item in Castorem Saocondarium generum*, *& in filiam suam*, *Strabo lib.* XII. *Accusatus est a nepote*, *quod Cæsarem domi suæ interficere voluisset*. *Defenderunt Cicero & Brutus*. MURETUS.

ORATIONIS SYNOPSIS.

ORatio est in genere *Judiciali*, an Dejotarus fecerit insidias Cæsari; partes tres, *Exordium*, *Contentio*, & *Peroratio*.

Exorditur *a Causis* sui timoris, quas quinque affert: *Cum in omnibus*, ad *attentionem*, & *benevolentiam* Cæsaris conciliandam.

In *Contentionis* prima parte Cæsarem placat *ab Adjunctis*, quod semel ignoverit Dejotaro: *Quamobrem hoc nos*: & quia levissima erat illius culpa: *Quanquam*, *cui sunt*; deinde etiam a meritis Dejotari in Cæsarem: *Itaque Pharsalico prælio*.

In secunda parte *ab Adjunctis* probat, non fuisse factas insidias a Dejotaro, qui vir esset prudens, & sanctus: *Ut enim omittam*. Crimen ipsum pariter *ab Adjunctis* ostendit minime esse credibile: *Ego mehercule*, *C. Cæsar*.

Deinde reliqua diluit objecta eodem modo: *Reliqua pars accusationis*; & quæ arguebant alienum a Cæsare animum, refellit, quippe minime credibilia, & in primis *a Repugnantibus*: *Alieno autem a te animo*. Invehitur in Castorem: *Imitari potius*; & de literis Blesamii respondet: *At quam acute*.

In *Peroratione* probat Dejotarum non esse iratum Cæsari: *Nihil a me arbitror*; Dejotarum clementiæ Cæsaris commendat: *Non debeo*, *C. Cæsar*; & illius innocentiam fide Legatorum confirmat: *Corpora vero sua*.

EXOR-

EXORDIUM.

I. CUm in (*a*) omnibus caussis gravioribus, C. Cæsar, initio dicendi commoveri soleam vehementius, quam videtur vel usus, vel ætas mea postulare, tum in hac caussa ita me multa perturbant, ut, quantum mea fides studii mihi afferat ad salutem regis Dejotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. Primum dico pro capite, fortunisque (1) regis: quod ipsum etsi non iniquum est, in tuo duntaxat periculo (2), tamen est

(1) *Pro capite fortunisque*) Etiam alibi notavimus in hujusmodi locutionibus non degenerare orationem: plusque esse de fortunis, quam de capite dimicare. Quod verum est tantum in minima capitis minutione, aut etiam in media. Paulus D. de Capite minutis: *Capitis deminutionis tria genera sunt, maxima, media, minima. Tria enim sunt quæ habemus, libertatem, civitatem, familiam. Igitur cum omnia hæc amittimus, hoc est libertatem & civitatem & familiam, maximam esse capitis deminutionem: cum vero amittimus civitatem, libertatem retinemus, mediam esse capitis deminutionem: cum & libertas & civitas retinetur, familia tantum mutatur, minimam tantum capitis deminutionem constat*. De capite igitur fortunisque Dejotarus dimicabat, quia si fuisset convictus, statum fortasse mutasset, & e rege factus fuisset privatus: quæ videtur esse quædam capitis minutio: vel etiam civitatem perdidisset, in exilium actus: quod minus est quam fortunas omnes amittere: multi enim exules secum fortunas suas auferebant. Cum igitur dicit Orator, *pro capite fortunisque*, auget vim orationis: quia omnis qui capite minuitur, etiam fortunas suas amittit. *Abram.*

(2) *In tuo duntaxat periculo*) Iniquum esset, si de quapiam alia re ageretur; at cum de tuo periculo agatur, insuetatum quidem, sed non iniquum putandum est. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *Cum in*) *Attentionem* sibi, & *benevolentiam* Cæsaris conciliat, sumpto argumento *ab Adjunctis* sui timoris, hoc modo:

Timidus & perturbatus Orator attente, & benevole audiendus est;
Sed me pro Dejotaro dicentem multa perturbant;
Ergo Cæsar attente, & benevole audire debet.

Quinque autem caussas affert sui timoris; 1. naturam suam; 2. quod de capite Regis dicat; id enim erat insuetatum; 3. quod nepos, & servus avum, & dominum accusarent; 4. quod Cæsar sui ipsius judex esset; 5. quod non in foro, sed intra domesticos parietes caussa ageretur.

est ita inusitatum, regem capitis reum esse, ut ante hoc tempus non sit auditum. Deinde eum regem, quem ornare antea cuncto cum senatu solebam * pro perpetuis ejus in nostram rempublicam meritis, nunc contra atrocissimum crimen cogor defendere. Accedit, ut accusatorum alterius crudelitate, alterius indignitate conturber **. Crudelis Castor est, ne dicam sceleratum & impium, qui nepos avum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiæque suæ terrorem intulerit ei, cujus senectutem tueri & tegere debebat: commendationemque ineuntis ætatis ab impietate, & scelere duxerit: avi servum, corruptum præmiis, ad accusandum dominum impulerit, & a legatorum pedibus abduxerit. Fugitivi autem dominum accusantis, & dominum absentem, & dominum amicissimum nostræ reipublicæ, cum os videbam, cum verba audiebam, non tam afflictam regiam conditionem dolebam, quam de fortunis communibus extimescebam. Nam cum more majorum de servo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat, in qua quæstione dolor veram vocem elicere possit etiam ab invito; exortus est servus, qui, quem in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus.

II. Perturbat me, C. Cæsar, etiam illud interdum: quod tamen, cum te penitus recognovi, timere desino. Re enim iniquum est, sed tua sapientia fit æquissimum. Nam dicere apud eum de facinore, contra cujus vitam consilium facinoris inisse arguare, si per se ipsum consideres, grave est. Nemo enim fere est, qui sui periculi judex, non sibi se æquiorem, quam reo, præbeat. Sed tua, C. Cæsar, præstans singularisque natura hunc mihi metum minuit. Non enim tam timeo, quid tu de rege Dejotaro, quam intelligo, quid de te cæteros velis judicare.

Mo-

* Vulg. *Solebamus*. ** Vulg. *perturber*.

Moveor etiam loci ipsius insolentia, quod tantam causam, quanta nulla unquam in disceptatione versata est, dico intra domesticos parietes, dico extra conventum & eam frequentiam, in quà oratorum studia niti solent: in tuis oculis, in tuo ore vultuque acquiesco: te unum intueor, ad te unum omnis mea spectat oratio: quæ mihi ad spem obtinendæ veritatis gravissima sunt, ad motum animi, & ad omnem impetum dicendi, contentionemque leviora.

Hanc enim, C. Cæsar, causam si in foro dicerem, eodem audiente & disceptante te, quantam mihi alacritatem populi Romani concursus afferret? Quis enim civis ei regi non faveret, cujus omnem ætatem in populi Romani bellis comsumptam esse meminisset? Spectarem curiam, intuerer forum, cælum denique testarer ipsum. Sic, cum & deorum immortalium, & populi Romani, & senatus beneficia in regem Dejotarum recordarer, nullo modo mihi deesse posset oratio. Quæ quoniam (*a*) angustiora parietes faciunt, actioque causæ maxime debilitatur loco, tuum est, Cæsar, qui pro multis sæpe dixisti, quid nunc mihi animi sit, ad te ipsum referre; quo facilius tum æquitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam.

CONTENTIONIS I. PARS.

III. Sed antequam (*b*) de accusatione ipsa dico,

ANALYSIS.

(a) *Quæ quoniam*) Syllogismi *Complexio*.

(b) *Sed antequam*) Accusatores putabant, probabile fore crimen, quod videretur Dejotarus Cæsari iratus ob ademptam regni partem, certam etiam damnationem, propter iram Cæsaris in Dejotarum; qui Civili bello Pompejum secutus fuerat. Primum illud Cicero diluit in fine orationis; iram Cæsaris hoc loco mitigat tribus rationibus.

co, de accusatorum spe pauca dicam: qui cum videantur neque ingenio, neque usu atque exercitatione rerum valere, tamen ad hanc causam non sine aliqua spe & cogitatione venerunt. Iratum te regi Dejotaro fuisse non erant nescii: affectum illum quibusdam incommodis (1), & detrimentis, propter offensionem animi tui (2), meminerant: teque cum huic iratum, tum sibi amicum cognoverant (3): cumque apud ipsum te de tuo periculo dicerent, fore putabant, ut in exulcerato animo facile fictum crimen insideret. Quamobrem (*a*) hoc nos primum metu, C. Cæsar, per fidem, & constantiam, & clementiam tuam, libera, ne residere in te ullam partem iracundiæ suspicemur. Per dexteram (*b*) te istam oro, quam regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti: istam, inquam, dexteram, non tam in bellis & in præliis, quam in promissis & fide firmiorem. Tu illius (*c*) domum inire, tu vetus hospitium renovare voluisti: te ejus dii penates acceperunt: te amicum, & placatum Dejotari regis aræ focique viderunt. Cum

(1) *Quibusdam incommodis*) Adempta Galatiæ parte, & Armenia minore, quam ei senatus antea largitus erat. *Manut.*

(2) *Propter offensionem animi tui*) Vitat mentionem belli civilis, quo Cæsarem Dejotarus, pro Pompejo pugnans, offenderat. *Idem.*

(3) *Tum sibi amicum cognoverant*) *Sibi*, te scilicet tibi ipsi. Ostendunt id ea quæ statim sequuntur. Hæc dico, quod aliquis forte existimet, *τὸ sibi*, ad ipsos qui cognoverant, non ad ipsum quem cognoverant, referri oportere. Est enim reciprocorum istorum usus lubricus admodum & anceps. Hactenus olim. Nunc, quod tanto ante prædixi, ecce evenit. Manutius enim noster, *τὸ sibi*, id est Castori, & tantum non Philippo interpretatur. Videndum. *Patric.*

A N A L Y S I S.

(a) *Quamobrem*) In primis igitur sic arguit *ab Adjunctis*:
Illi Cæsar non debet esse iratus, cui semel ignovit;
Sed Dejotaro Cæsar semel ignovit;
Ergo illi non debet esse amplius iratus.

(b) *Per dexteram*) Hac obsecratione totum argumentum continetur.

(c) *Tu illius*) *Assumptio* separatim repetitur.

Cum facile (*a*) exorari, Cæsar, tum semel exorari soles. Nemo unquam te placavit inimicus, qui ullas resedisse in te simultatis reliquias senserit. Quanquam (*b*) cui sunt inauditæ cum Dejotaro querelæ tuæ? Nunquam tu illum accusavisti ut hostem, sed ut amicum * officio parum functum, quod propensior in Cn. Pompeji amicitiam fuisset, quam in tuam. Cui tamen ipsi regi (1) veniam te daturum fuisse dicebas, si tum ** auxilia Pompejo, vel si etiam filium misisset, ipse tamen excusatione ætatis usus esset. Itaque cum maximis eum rebus liberares, perparvam amicitiæ culpam relinquebas.

Itaque non solum in eum non animadvertisti, sed omni metu liberavisti, hospitem agnovisti, regem reliquisti. Neque enim ille odio tui progressus, sed errore communi lapsus est. Is rex, quem senatus hoc nomine sæpe honorificentissimis decretis appellavisset, quique illum ordinem ab adolescentia gravissimum sanctissimumque duxisset, iisdem rebus est perturbatus, homo longinquus & alienigena, quibus nos in media republica nati, semperque versati.

IV. Cum audiret senatus consentientis auctoritate

* Vulg. *amici*. ** Al. *si tantum*.

(1) *Cui tamen ipsi regi*) Optimi codices Erfurtensis, Coloniensis, & Pithæi, *cui tamen ipsi rei*, quod propensior scilicet fuisset in Pompeji amicitiam, quam in tuam, *te veniam daturum fuisse dicebas*, *&c.* Omnia nunc sunt liquida, nusquam ullæ salebræ, ullæ moræ. Miror Lambinum veram scripturam cum reperisset, eam in suis codicibus non probasse. *Grævius*.

ANALYSIS.

(a) *Cum facile*) *Propositio* subsequitur.

(b) *Quanquam*) Deinde pariter *ab Adjunctis*, tali ratione:
Levissimam culpam facile debet condonare Cæsar;
Sed levissima fuit Dejotari culpa;
Ergo eam condonare facile Cæsar debet.

Quanquam) *Assumptionem* confirmat ab ipsius Cæsaris testimonio, qui Dejotarum non scelerate, sed parum amice secum egisse judicaverat; & ab auctoritate tum Senatus, tum Pompeji, qui eum ad bellum invitaverant, quod *ab Adjunctis* personarum, & *a Comparatione majorum* mire amplificat.

tate arma ſumpta, conſulibus, prætoribus, tribunis plebis, novis imperatoribus (1) rempublicam defendendam datam, movebatur animo, & vir huic imperio amiciſſimus de ſalute populi Romani extimeſcebat, in qua etiam ſuam incluſam eſſe videbat. In ſummo tamen timore quieſcendum ſibi eſſe arbitrabatur. Maxime vero perturbatus eſt, ut audivit, conſules ex Italia profugiſſe, omneſque conſulares, (ſic enim nuntiabatur) cunctum ſenatum, totam Italiam eſſe effuſam. Talibus enim nuntiis & rumoribus patebat ad Orientem via, nec ulli veri ſubſequebantur. Nihil ille de conditionibus tuis, nihil de ſtudio concordiæ & pacis, nihil de conſpiratione audiebat certorum hominum (2) contra dignitatem tuam. Quæ cum ita eſſent, tamen uſque eo ſe tenuit, quoad a Cn. Pompejo ad eum legati literæque venerunt.

Ignoſce, ignoſce, Cæſar, ſi ejus viri auctoritati rex Dejotarus ceſſit, quem nos omnes ſecuti ſumus: in quem cum dii atque homines omnia ornamenta congeſſiſſent, tum tu ipſe plurima, & maxima. Neque enim ſi tuæ res geſtæ cæterorum laudibus obſcuritatem attulerunt, idcirco Cn. Pompeji memoriam amiſimus. Quantum nomen ejus fuerit, quantæ opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores populi Romani, quanti ſenatus, quanti tui, quis ignorat? Tanto ille ſu-

(1) *Novis imperatoribus*) Legendum *nobis imperatoribus*. Cicero enim cum Ciliciam provinciam obtineret, ob res præclare geſtas appellatus eſt imperator, & e provincia decedens incidit in ipſam flammam belli civilis, eique ut reliquis Proconſulibus qui ad urbem aderant, a Senatu mandatum, ut videret ne quid reſpublica detrimenti pateretur. *Abram.* Omnino ſic legendum eſſe nos docet Ciceronis epiſtola ad Tironem, Fam. XVI. 11. *Poſtea quam ſenatus conſulibus, prætoribus, tribunis plebis*, & nobis, *qui proconſules ſumus*, &c. Quo modo unus e quatuor noſtris edidit Manutius. Alia lectio, quam incautus admiſeram, in erratorum numero habeatur velim. *Olivet.*

(2) *Certorum hominum*) L. Domitii, P. Scipionis, M. Bibuli, M. Catonis; quorum alios ad bellum ſpes rapinarum, alios Cæſaris odium, & privatæ inimicitiæ impellebant. *Manutius.*

superiores vicerat gloria, quanto tu omnibus præstitisti. Itaque Cn. Pompeji bella, victorias, triumphos, consulatus, admirantes numerabamus: tuos enumerare non possumus.

V. Ad eum igitur rex Dejotarus venit, hoc misero fatalique bello, quem antea justis hostilibusque bellis adjuverat, quocum erat non hospitio solum, verum etiam familiaritate conjunctus: & venit vel rogatus, ut amicus, vel arcessitus, ut socius, vel evocatus, ut is, qui senatui parere didicisset: postremo venit, ut ad fugientem, non ut ad insequentem, id est, ad periculi, non ad victoriæ societatem. Itaque (*a*), Pharsalico prælio facto, a Pompejo discessit (1): spem infinitam persequi noluit. Vel officio, si quid debuerat, vel errori, si quid nescierat, satis factum esse duxit: domum se contulit: teque Alexandrinum bellum gerente, utilitatibus tuis paruit (2).

Ille exercitum Cn. Domitii (3), amplissimi viri, suis tectis & copiis sustentavit: ille Ephesum ad eum, quem tu ex tuis fidelissimum & probatissi-

(1) *A Pompejo discessit*) Pompejo acie Pharsalica superato, reversus est ad suam Tetrarchiam, nec voluit spem instaurandi belli persequi, quæ infinita erat, id est finem & exitum non habebat. Vide II. de Divin. cap. 37. *Abram.*

(2) *Utilitatibus tuis paruit*) Fecit quidquid utilitates tuæ postulabant. Eodem verbo usus est ad Plancium lib. XIII. *Res familiaris C. Capitoni præsto fuit, & paruit & temporibus, & fortunæ meæ. Utilitates*, pro commodis accipiuntur. Ad Tironem: *Utilitatibus tuis possum carere: te valere, tua causa primum volo, tum mea, mi Tiro.* Manut. al. *patuit*.

(3) *Cn. Domitii*) Calvini, qui consul fuerat cum M. Messala. Is cum Cæsare, Domitius autem Ahenobarbus cum Pompejo fuit. *Idem*.

ANALYSIS.

(*a*) *Itaque*) Concludit superiorem amplificationem, & tertium argumentum subjungit a meritis Dejotari in Cæsarem:

Illi non debes esse iratus, cujus multa sunt in te merita post impetratam veniam;

Sed post veniam impetratam, multa sunt Dejotari in te merita;

Ergo Dejotaro iratus esse non debes.

tissimum omnibus delegisti, pecuniam misit: ille iterum, ille tertio auctionibus factis pecuniam dedit, qua ad bellum utereris: ille corpus suum periculo objecit, tecumque in acie contra Pharnacem (1) fuit, tuumque hostem esse duxit suum. Quæ quidem (*a*) a te in eam partem accepta sunt, C. Cæsar, ut eum amplissimo regis honore & nomine affeceris. Is igitur (*b*) non modo a te periculo liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus, arguitur domi te suæ interficere voluisse. Quod tu, nisi eum furiosissimum judicas, suspicari profecto non potes.

CONTENTIONIS II. PARS.

Ut enim (*c*) omittam, cujus tanti sceleris fuerit, in conspectu deorum penatium necare hospitem, cujus tantæ importunitatis, omnium gentium, atque omnis memoriæ clarissimum lumen extinguere, cujus tantæ ferocitatis, victorem orbis terrarum non extimescere, cujus tam inhumani & ingrati animi, a quo rex appellatus esset, in eum, tyrannum inveniri: ut hæc omittam (*d*),

X 2 cujus

(1) *Contra Pharnacem*) Regem Ponti, filium Mithridatis, qui occasione belli civilis Armeniam occuparat. *Idem*.

A N A L Y S I S.

(a) *Quæ quidem*) *Assumptionis*, quæ præcedit, approbatio, quod ipse Cæsar pro illis meritis maxima Dejotaro beneficia contulerit.

(b) *Is igitur*) *Propositio* Orationis, simulque transitus ad alteram *Contentionis* partem.

(c) *Ut enim*) Negat igitur ullas insidias paratas a Dejotaro fuisse Cæsari, probatque *ab Adjunctis* tali ratione:

Hominis est furiosi maximum scelus committere cum certissimo suæ vitæ periculo;

Sed Cæsaris mors fuisset maximum scelus, & ipsi insidiatori perniciosissimum, ipse autem Dejotarus prudens est, & integer;

Ergo non est probabile, illum cogitasse tantum scelus.

Ut enim) Sceleris magnitudo.

(d) *Ut hæc omittam*) Certissima, quæ ipsi Dejotaro, ejusque familiæ imminebat, pernicies.

cujus tanti furoris fuit, omnes reges, quorum multi erant finitimi, omnes liberos populos, omnes socios, omnes provincias, omnia denique omnium arma contra se unum excitare? quonam ille modo cum regno, cum domo, cum conjuge, cum carissimo filio distractus (1) esset, tanto scelere non modo perfecto, sed etiam cogitato?

VI. At, credo (*a*), hæc homo inconsultus & temerarius non videbat. Quis consideratior illo? quis tectior (2)? quis prudentior? Quanquam hoc loco Dejotarum non tam ingenio & prudentia, quam fide & religione vitæ defendendum puto. Nota tibi est, C. Cæsar, hominis probitas, noti mores, nota constantia. Cui porro, qui modo populi Romani nomen audivit, Dejotari * integritas, gravitas, virtus, fides non audita est? Quod igitur (*b*) facinus nec in hominem imprudentem cadere posset, propter metum præsentis exitii, nec in

* Vulg. *Dejotari probitas, integritas .... non sit audita?*

(1) *Distractus*) Divulsus ab aliorum Regum societate & amicitia. *Abram.* Imo *distractus* est discerptus. *Grævius*.

(2) *Quis tectior?*) Non est laus hominem esse tectum, κρυψίνοον, sive occultum, qui simulat amicitiam, & eam fronte præ se fert, cum corde premat odium capitale. Tecto opponitur apertus, simplex. Si fuisset homo tectus Dejotarus, facile potuisset hoc scelus contra Cæsarem suscipere de nece ei inferenda, si sibi persuasisset, id tuto se posse & secreto facere: sed Cicero nititur omni ope id ostendere, cogitationem hujus sceleris abesse tam ab ejus prudentia, quam probitate. *Tectus* igitur hic locum habere non potest, ut recte vidit Patricius. In Erfurt. Dresd. Colon. Pith. est *rectior*. *Recta* dicuntur omnia, quæ sunt sine *vitio*, *labe*, *macula*. Igitur *quis rectior* est hic, Quis est in consiliis recte capiendis promptior, quis est rectioris ingenii, ut in illud non possit cadere tantum facinus? Non ausim quidem præstare Tullium scripsisse *rectior*: aptior tamen est hæc vox huic loco, quam *tectior*, quia tectum esse semper vitio vertitur. Est enim hominis callidi, versuti, malitiosi, non prudentis & considerati. *Grævius*.

ANALYSIS.

(a) *At, credo*). *Assumptionis* secunda pars, cui deinde subjicit *Complexionem*.

(b) *Quod igitur*) *Complexio*, & urget *ab Adjunctis* personæ, quod medico credibilius sit credi de veneno, quam de ferro.

in facinorosum, nisi esset idem amentissimus, id vos & a viro optimo, & ab homine minime stulto cogitatum esse confingitis.

At quam (*a*) non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem. Cum, inquit, in Castellum Lucejum venisses, & domum regis, hospitis tui, divertisses, locus erat quidam, in quo erant ea composita, quibus rex te munerare constituerat. Huc te e balneo (1), prius quam accumberes, ducere volebat. Ibi enim erant armati, qui te interficerent, eo ipso in loco collocati. En crimen, en causa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset. Ego mehercule, C. Cæsar, initio, cum est ad me ista causa delata, Phidippum * medicum, servum regium, qui cum legatis missus esset, ab isto ** adolescente esse corruptum, hac suspicione sum percussus: medicum indicem subornabit, finget videlicet aliquod crimen veneni. Etsi a veritate longe, tamen a consuetudine criminandi non multum res abhorrebat.

Quid ait medicus? nihil de veneno. At id fieri potuit, primo occultius in potione, vel in cibo; deinde etiam impunius fit, quod, cum est factum, negari potest. Si palam te interemisset, omnium in se gentium non solum odia, sed etiam arma convertisset. Si veneno, Jovis illius quidem hospitalis numen nunquam celare potuisset, homines fortasse celavisset. Quod igitur & occultius conari, &

* Vulg. *Philippum*. ** Vulg. *ab isto ipso adolescente existimavi esse*.

(1) *Huc te e balneo*) Solitos veteres ad balnea ire priusquam mensis accumberent, liquet.

ANALYSIS.

(a) *At quam*) Crimen ipsum exponit, & qua ratione insidiæ paratæ dicantur, & quo die; tria hæc ostendit Cicero non esse credibilia; primum illud hoc modo:

Magna scelera committuntur ita, ut occulte, & impune fiant;
Sed veneno quidem, non autem ferro interemisset Cæsarem Dejotarus occulte, & impune.
Ergo non est credibile, eum uti voluisse ferro potius, quam veneno.

Assumptionem confirmat a suamet suspicione, & explicat singillatim.

efficere cautius potuit, id tibi, & medico callido & servo, ut putabat, fideli, non credidit, de armis, de ferro, de insidiis celare te noluit? At quam (a) festive crimen contexitur! Tua te, inquit, eadem quæ semper, fortuna servavit: negavisti tum te inspicere (1) velle.

VII. Quid postea? an Dejotarus, re illo tempore non perfecta, continuo dimisit exercitum (2)? nullus erat alius insidiandi locus? At eodem te, cum cœnavisses, rediturum dixeras: itaque fecisti. Horam unam aut duas eodem loco armatos, ut collocati fuerant, retinere magnum fuit? Cum in convivio comiter & jucunde fuisses, tum illuc ivisti, ut dixeras. Quo in loco Dejotarum talem erga te cognovisti, qualis rex Attalus in P. Africanum fuit (3): cui magnificentissima dona, ut scriptum legimus, usque ad Numantiam misit ex Asia, quæ Africanus, inspectante exercitu accepit. Quod cum præsens Dejotarus regio & animo

(1) *Inspicere*) Illa, quibus te Dejotarus munerare constituerat. *Manut.*

(2) *Continuo dimisit exercitum*) Ex Eunucho Terentii actu 4, scen. 7. ubi Thraso qui suos servulos instar aciei gloriosius instruxerat, re non succedendo, neque perfecta,

Jam dimitto exercitum,

inquit. De quo eruditus Victorius, lib. XV. Variarum lect. cap. 6. Multum autem, ut opinor, hoc valuit ad falsum illud crimen explodendum: &, ni fallor, risum movit: quæ ratio in judicio quoque adhibetur, ac fructum fert: tanquam enim Dejotarus nullius consilii homo esset, ac similis Thrasoni, qui postquam statim insidiæ non successerint, non potuerit, retentis in armis insidiatoribus, efficere quod destinasset, Cæsare post cœnam ad eas balneas veniente. *Abramus*.

(3) *Qualis rex Attalus in P. Africanum fuit*) Vel *Antiochus* scribendum est pro *Attalus*, cui sunt hæc a Livio, aliisque scriptoribus tributa; vel erit ipsius Ciceronis, ἁμάρτημα μνημονικόν. *Ursinus*.

ANALYSIS

(a) *At quam*) Secundo ostendit non esse probabile, insidias paratas Cæsari in cubiculo, quo recusaverit ire Cæsar, adeoque insidias etiam evitaverit; nam & alium in locum poterant transferri milites, & in eodem loco retineri, quo post cœnam reversus est Cæsar, & dona magnificentissima accepit.

mo & more fecisset, tu in cubiculum discessisti.

Obsecro (*a*), Cæsar, repete temporis illius memoriam: pone illum ante oculos diem: vultus hominum te intuentium atque admirantium recordare. Num quæ* trepidatio? num qui tumultus? num quid, nisi moderate, nisi quiete, nisi ex hominis gravissimi & sanctissimi disciplina? Quid igitur causæ excogitari potest, cur te lautum voluerit, cœnatum noluerit occidere?

In posterum, inquit, diem distulit, ut, cum in castellum Lucejum ventum esset, ibi cogitata perficeret. Non video causam loci mutandi: sed tamen acta res criminose est (1). Cum, inquit, vomere te post cœnam velle (2) dixisses, in balneum te ducere cœperunt. Ibi enim erant insidiæ. At te eadem tua fortuna servavit: in cubiculum te ire malle dixisti. Dii te perdant, fugitive: ita non modo nequam & improbus, sed fatuus & amens es. Quid? ille signa ænea in insidiis posuerat, quæ e balneo in cubiculum transferri non possent (3)?

* Al. *qua*.

(1) *Sed tamen acta res criminose est*) Ita est acta, ut sit criminationi obnoxia. *Patricius*.

(2) *Vomere te post cœnam velle*) Ex hoc loco intelligitur, post cœnam ad vomitum isse homines, ut cibo alvum exonerarent, ne large sumptus noceret. Celsus, lib. 2. *Rejectum esse ab Asclepiade vomitum video: nec reprehendo, si eorum offensus est consuetudine, qui, quotidie ejiciendo vorandi facultatem moliuntur.... Commoneo tamen, ne quis, qui valere & senescere volet, hoc quotidianum habeat*. De hac igitur Cæsaris consuetudine sermo est ad Atticum, lib. XIII. epist. 52. *Accubuit, ἐμετικὴν agebat*. *Ernest*.

(3) *In cubiculum transferri non possent*) Acute simul & lepide. De signis, ut de hominibus, de inanimatis, ut de animatis ipsis. Quid ita? Verbo enim ad signa illa ænea respicit, quorum modo fecit mentionem: cogitatione autem respicit ad homines illos armatos, qui dicuntur fuisse in insidiis collocati. *Idem*.

ANALYSIS.

(*a*) *Obsecro*) Diem illum probat non fuisse insidiis destinatum, *ab Adjunctis*; nam scelus cogitantes trepidare solent, & perturbari; nulla autem eo die trepidatio fuerat; cætera quoque eodem modo, quo supra.

Habes (*a*) crimina insidiarum: nihil enim dixit amplius. Horum, inquit, eram conscius. Quid tum? ita demens ille erat, ut eum, quem conscium tanti sceleris habebat, a se dimitteret, Romam etiam mitteret, ubi & inimicissimum sciret esse nepotem suum, & C. Cæsarem, cui fecisset insidias? præsertim cum is unus esset, qui posset de absente se indicare (1)? Et fratres meos, inquit, quod erant conscii, in vincula conjecit. Cum igitur eos vinciret, quos secum habebat, te solutum Romam mittebat, qui eadem scires, quæ illos scire dicis?

VIII. Reliqua pars (*b*) accusationis duplex fuit: una, regem semper in speculis fuisse (2), cum a te animo esset alieno: altera, exercitum eum contra te magnum comparasse. De exercitu dicam breviter, ut cætera. Nunquam eas copias rex Dejotarus habuit, quibus inferre bellum populo Romano posset, sed quibus fines suos ab excursionibus hostium & latrociniis tueretur, & imperatoribus nostris auxilia mitteret. Atque antea quidem majores copias alere poterat, nunc exiguas vix tueri potest.

At

(1) *Indicare*) Alii, *vindicare:* sed vide Victorii Var. Lect. XXVIII. 12.

(2) *Regem semper in speculis fuisse*) Id est, tuas omnes actiones observasse, & speculatores tenuisse, qui, ut infra loquitur, *rumores de te exciperent, & ad se referrent*. Patricius.

ANALYSIS.

(a) *Habes*) Elevat ultimo delatoris fidem sic *ab adjunctis*:
Non est credibile servum conscium sceleris in Cæsarem cogitati, & injuria affectum, missum fuisse Romam, ubi & Cæsar erat, & Castor inimicus;
Sed servum Romam misit, isque se Regi iratum profitetur propter fratres;
Ergo non est credibile, eum fuisse conscium tanti sceleris in Cæsarem cogitati.

(b) *Reliqua pars*) Nunc ad reliqua crimina descendit, & illa quidem de comparato contra Cæsarem exercitu, & de missis ad Cælium nuntiis refellit, quippe minime credibilia; de equitatu autem non optimo, nullam ait fuisse Dejotari culpam.

At misit ad Cælium nescio quem (1): sed eos, quos misit, quod ire noluerunt, in vincula conjecit. Non quæro quam verisimile sit, aut non habuisse regem, quos mitteret, aut eos, quos misisset, non paruisse: aut, qui dicto audientes in tanta re non fuissent, eos vinctos potius, quam necatos fuisse. Sed tamen cum ad Cælium mittebat, utrum causam illam victam esse nesciebat, an Cælium istum magnum hominem putabat? quem profecto is, qui optime nostros homines novit, vel quia nosset, vel quia non nosset, contemneret. Addidit etiam illud, equites non optimos misisse*. Veteres, credo, Cæsar: nihil ad tuum equitatum: sed misit ex iis (2), quos habuit, electos. Ait nescio quem ex eo numero, servum judicatum (3). Non arbitror: non audivi. Sed in eo, etiam si accidisset, culpam regis nullam fuisse arbitrarer.

IX. Alieno (*a*) autem a te animo fuit. Quomodo? Speravit, credo, difficiles tibi Alexandriæ fore exitus propter regionis naturam & fluminis. At eo ipso tempore pecuniam dedit, exercitum (4) aluit; ei, quem Asiæ præfeceras, nulla in re

* Vulg. *misisse tibi*.

(1) *Misit ad Cælium nescio quem*) An, *misit nescio quem*, an, *ad nescio quem Cælium?* utrumque ex iis quæ sequuntur defendi potest. Posterius tamen præfero. Sic enim statim de eodem, quasi de non magno, imo de contempto homine: ut & lib. XII. Famil. ep. 43. Nisi quod alibi *Cælium*, alibi *Cæcilium* vocat. *Patric.*

(2) *Sed misit ex iis*) Respondet misisse, quales haberet: imo quales ex iis quos haberet, elegisset. *Idem*.

(3) *Servum judicatum*) Cum servis militare, præsertim equestri loco, non liceret. *Manutius*.

(4) *Exercitum*) Domitii Calvini. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Alieno*) Non fuisse animo a Cæsare alieno sic probat *a Repugnantibus*:

Ab eo non fuit Dejotarus animo alieno, quem in bello, & post victoriam pecunia juvit;
Sed Cæsari pecuniam dedit in bello, & post victoriam;
Ergo Dejotarus non fuit alieno in Cæsarem animo.

re defuit; tibi victori (1) non solum ad hospitium, sed ad periculum etiam, atque ad aciem præsto fuit. Secutum est bellum Africanum (2). Graves de te rumores sparsi, qui etiam furiosum illum Cælium excitaverunt. Quo tum erga te rex animo fuit, qui auctionatus sit, seseque exspoliare (3) maluerit, quam tibi pecuniam non subministrare? At eo (*a*), inquit, tempore ipso Nicæam, Ephesumque mittebat, qui rumores Africanos exciperent, & celeriter ad se referrent. Itaque cum esset ei nuntiatum, Domitium naufragio periisse, te in castello circumsideri, de Domitio dixit versum Græcum eadem sententia, qua etiam nos habemus Latinum: *Pereant amici* (4), *dum una inimici intercidant:* quod ille, si esset tibi inimicissimus, nunquam tamen dixisset. Ipse enim mansuetus; versus immanis. Qui autem Domitio poterat esse amicus, qui tibi esset inimicus? Tibi porro inimicus cur esset, a quo, cum vel interfici belli lege potuisset, regem & se, & filium suum constitutos esse meminisset?

Quid

(1) *Tibi victori*) Cæsar victor e bello Alexandrino per Gallogræciam transivit, & contra Pharnacem arma convertens, *legionem* (verba sunt Hirtii) *quam ex genere civium suorum Dejotarus natura disciplinaque nostra constitutam habebat, equitatumque omnem ad bellum gerendum adducere jussit*. Abram.

(2) *Secutum est bellum Africanum*) Quod tu parta de Pharnace victoria, paucos dies in Italia moratus, Jubæ Numidiæ Regi, Scipioni & Catoni, qui magnis exercitibus Africam occupaverant, intulisti. *Idem*.

(3) *Seseque expoliare*) Vulgata intermiscuit *& filium suum*, quod insertum ex loco inferiore, neque habent mss. fere ulli. *Grævius*.

(4) *Pereant amici*) Quia amicus Domitio esset: ut paulo post. Græcus versus mihi quidem nondum compertus: Latinus quoque cujus poetæ sit, ignorare me fateor. Opto feliciores esse alios. *Manut*.

A N A L Y S I S.

(a) *At eo*) Illud de Domitio negat, quod non potuerit vocare amicum Domitium, qui vocabat inimicum Cæsarem, neque habere Cæsarem inimicum, a quo tot beneficia accepisset.

Quid deinde (*a*)? furcifer * quo progreditur? Ait, hac lætitia Dejotarum elatum, vino se obruisse, in convivioque nudum saltavisse. Quæ crux huic fugitivo potest satis supplicii afferre? Dejotarum saltantem quisquam, aut ebrium vidit unquam? Omnes sunt (*b*) in illo regiæ virtutes, quod te, Cæsar, ignorare non arbitror: sed præcipue singularis & admiranda frugalitas; etsi hoc verbo scio laudari reges non solere. Frugi hominem dici non multum habet laudis in rege: fortem, justum, severum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regiæ laudes, illa privata est. Ut volet quisque accipiat: ego tamen frugalitatem, id est, modestiam & temperantiam, virtutem esse maximam judico. Hæc in illo est ab ineunte ætate, tum a cuncta Asia tum a magistratibus, legatisque nostris, tum ab equitibus Romanis, qui in Asia negotiati sunt, perspecta & cognita.

Multis ille quidem gradibus officiorum erga rempublicam nostram ad hoc regium nomen ascendit: sed tamen quidquid a bellis populi Romani vacabat, cum hominibus nostris consuetudines, amicitias, res, rationesque jungebat: ut non solum tetrarcha nobilis, sed optimus paterfamilias, & diligentissimus agricola (1), & pecuarius

(1)

* Vulg. *quid deinde furcifer? quo progreditur?*

(1) *Diligentissimus agricola*) Nemo jure mirabitur laudari Regem, quod fuerit bonus agricola, qui antiquorum mores animo perspexerit. Nam, ut ait Plinius; *De cultura agri præcipere principale fuit etiam apud exteros. Siquidem & Reges fecere,* *Hie-*

A N A L Y S I S.

(a) *Quid deinde*) Audito naufragio Domitii, & periculo Cæsaris, Dejotarum nudum saltavisse dixerat Medicus; quod pariter diluit *a Repugnantibus:*

Homo frugi non saltat:
Sed maxima semper fuit in Dejotaro frugalitas;
Ergo non est probabile illum nudum saltavisse.

(b) *Omnes sunt*) *Assumptio*, cum laude illius virtutis, quam approbat omnium Romanorum, qui in Asia fuerant, testimonio.

(1) haberetur. Qui igitur (*a*) adolescens, nondum tanta gloria præditus, nihil unquam nisi severissime & gravissime fecerit, is ea existimatione, eaque ætate saltavit?

X. Imitari (*b*) potius, Castor, avi tui mores disciplinamque debebas, quam optimo & clarissimo viro, fugitivi ore, maledicere. Quod si saltatorem avum habuisses, neque eum virum, unde pudoris, pudicitiæque exempla peterentur, tamen hoc maledictum minime in illam ætatem conveniret. Quibus ille studiis ab ineunte ætate se imbuerat, non saltandi, sed bene ut armis, optime ut equis uteretur; ea tamen illum cuncta, jam ætate exacta, defecerant. Itaque, Dejotarum cum plures in equum sustulissent, quod hærere in eo senex posset, admirari solebamus. Hic vero (*c*) adole-

Hiero, Philometor; Attalus, Archelaus: & duces Xenophon, & Pœnus etiam Mago: cui quidem tantum honorem Senatus noster habuit Carthagine capta, ut cum Regulis Africæ bibliothecas donaret, unius ejus duodetriginta volumina censeret in Latinam linguam transferenda, cum jam M. Cato præcepta condidisset. Eadem testantur Columella, & Varro, uterque cap. 1. de re rustica. Et ut omittam Laertem illum Ithacæ regulum, quem Homerus lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum, & eum stercorantem facit; notum est Diocletianum imperio se abdicasse, ut agriculturæ se reique hortensi liberius applicaret. *Abram.*

(1) *Pecuarius*) Varro lib. 2. de re rustica; cap. 1. *De antiquis, illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendunt veteres Poetæ qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt, ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxisse queritur: ut in Colchide Æeta, ad cujus arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ: ut in Libya Hesperidas, unde aurea mala*, &c. Et certe Regum pueros ut plurimum pastores olim fuisse, testatur Paris & Ganymedes. *Abr.*

ANALYSIS.

(a) *Qui igitur*) *Complexio*, eamque illustrat *a Comparatione majorum*.

(b) *Imitari*) Convertit ad Castorem orationem, qui hoc avo suo crimen, licet verum esset, objicere non debuerat, nedum cum sit falsissimum, in homine tractandis armis, & regendis equis assueto.

(c) *Hic vero*) Locus ad excitandam *Indignationem* in Castorem, qui avum, & bene de se meritum, quique in causa Pompeji

lescens, qui meus in Cilicia miles, in Græcia commilito fuit, cum in illo nostro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus, quos una cum eo ad Pompejum pater miserat, quos concursus facere solebat? quam se jactare? quam se ostentare? quam nemini in illa causa studio & cupiditate concedere? Cum vero, exercitu amisso, ego, qui pacis auctor semper fui, post Pharsalicum autem * prælium suasor fuissem armorum non deponendorum, sed abjiciendorum, hunc ad meam auctoritatem non potui adducere (1), quod & ipse ardebat studio ipsius belli, & patri satisfaciendum esse arbitrabatur. Felix ista domus, quæ non impunitatem solum adepta sit, sed etiam ** accusandi licentiam: calamitosus Dejotarus, qui ab eo, qui in iisdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur. Vos vestra secunda fortuna, Castor, non potestis sine propinquorum calamitate esse contenti.

XI. Sint sane inimicitiæ, quæ esse non debebant. Rex enim Dejotarus vestram familiam abjectam & obscuram e tenebris in lucem evocavit. Quis tuum patrem antea, qui esset, quam cujus gener esset, audivit? Sed quamvis ingrate & impie necessitudinis nomen repudiaritis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis, non ficto crimine insectari, non expetere vitam, non capitis arcessere.

* In Vulg. deest *autem*. ** al. *sed etiam habet*.

(1) *Hunc ad meam auctoritatem non potui adducere*) Castori persuadere non potui, ut meam auctoritatem & tum consilium, tum exemplum secutus, a persequendis belli reliquiis desisteret, tum quod ille magno studio & animi ardore statuerat ad extremum belli aleam experiri, tum quod patri se satis esse facturum non putaret, si a bello discederet. *Idem*.

ANALYSIS.

peji minus, quam ipse Castor, pertinax fuerit, capitis arcessere possit, & gratia valere apud Cæsarem; ex Arist. Cap. 9. lib. 2. *Misericordia* vero movetur in Dejotarum contraria ratione; l. 2. c. 8. t. 87.

re. Esto (*a*): concedatur hæc quoque acerbitatis & odii magnitudo. Adeone (*b*), ut etiam omnia vitæ, salutisque communis, atque etiam humanitatis jura violentur? Servum (*c*) sollicitare verbis, spe, promissisque * corrumpere, adducere domum (1), contra dominum armare: hoc est, non uni propinquo, sed omnibus familiis bellum nefarium indicere. Nam ista corruptela servi, si non modo impunita fuerit, sed etiam a tanta auctoritate approbata, nulli parietes nostram salutem, nullæ leges, nulla jura custodient. Ubi enim id, quod intus est (2) atque nostrum, impune evolare potest, contraque nos pugnare, fit in dominatu servitus, in servitute dominatus.

O tempora, o mores! Cn. Domitius ille, quem nos pueri consulem, censorem, pontificem maximum vidimus, cum tribunus plebis M. Scaurum, principem civitatis, in judicium populi vocasset, Scaurique servus ad eum clam domum venisset, & crimina in dominum delaturum se esse dixisset, prehendi ** hominem jussit, ad Scaurumque deduci. Vide, quid intersit, etsi inique Castorem cum Domitio comparo, sed tamen ille inimico servum remisit, tu ab avo abduxisti: ille incorruptum audire

* Vulg. *præmiisque*. ** Al. *comprehendi*.

(1) *Adducere domum*) Alii, *abducere domo*, nimirum legatorum. *Ferratius*.

(2) *Quod intus est*) Servi, qui nobiscum in eadem domo versantur. *Abram*.

ANALYSIS.

(a) *Esto*) Ut Castoris improbitas manifesta fiat, cum cætera *Adjuncta* supra attigit, tum illud de servo Philippo corrupto hoc loco amplificat *a Consequentibus*:

Illud non est ferendum, quod est perniciosissimum Civitati;
Sollicitatio servorum perniciosissima est Civitati, & Castor Philippum sollicitavit;
Ergo id ferre Cæsar nullo modo debet.

(b) *Adeone*) *Propositio*.

(c) *Servum*) *Assumptio*, quam ingeniose illustrat, confirmatque exemplo Cn. Domitii, *per Comparationem minorum*; nam si Domitius noluit uti opera Servi contra Dominum, multo minus sollicitandi sunt, ut accusent.

re noluit, tu corrupisti: ille adjutorem servum contra dominum repudiavit, tu etiam accusatorem adhibuisti.

At semel (*a*) iste est corruptus a vobis? Nonne, cum esset productus (1), & cum tecum fuisset, refugit ad legatos (2)? nonne etiam ad hunc Cn. Domitium venit? nonne, audiente hoc Serv. Sulpicio, clarissimo viro, qui tum casu apud Domitium cœnabat, & hoc T. Torquato, optimo adolescente, se a te corruptum, tuis promissis in fraudem impulsum esse confessus est?

XII. Quæ est ista tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? Idcirco in hanc urbem venisti, ut hujus urbis jura & exempla corrumperes, domesticaque * immanitate inquinares? At quam (*b*) acute collecta crimina! Blesamius (3), inquit, (ejus enim nomine, optimi hominis, nec tibi ignoti, maledicebat tibi) ad regem scribere solebat, te in invidia esse **, tyrannum existimari: statua inter reges posita (4), animos hominum vehementer offensos, plaudi tibi non solere (5). Non-

* Vulg. *domesticaque tua inhumanitate nostræ civitatis humanitatem inquinares?*

** Vulg. *te invidiose tyrannum existimari.*

(1) *Productus*) Testis.

(2) *Refugit ad legatos*) Dejotari, a quorum pedibus abstractus per te erat. *Patric.*

(3) *Blesamius*) Homo Gallogræcus, qui Dejotari legatus aderat. *Manut.*

(4) *Statua inter Reges posita*) In Capitolio septem Regum statuæ fuerunt, & inter eas statua L. Bruti strictum gladium tenentis. Inter eas etiam Cæsaris statua fuit excitata: quod animos hominum vehementer offendit, ratos illius ambitionem jam in apertam tyrannidem erumpere. Quod ajebat accusator a Blesamio scriptum fuisse ad Dejotarum. *Abram.*

(5) *Plaudi tibi non solere*) De plausu & acclamationibus theatralibus, vide Sextianam & Pisonianam. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *At semel*) Secunda pars *Assumptionis*, multorum testimonio confirmata.

(b) *At quam*) Patet, ut Cicero refellat, quæ objecerat Adversarius, scripta fuisse a Blesamio uno ex Legatis ad Regem Dejotarum, de tyrannide, de statua, & de plausu; eademque fusius exponere necessarium non judico.

Nonne intelligis, Cæſar, ex urbanis malevolorum ſermunculis hæc ab iſtis eſſe collecta? Bleſamius tyrannum Cæſarem ſcriberet? multorum enim civium capita viderat: multos juſſu Cæſaris vexatos, verberatos, necatos: multas afflictas, & everſas domos: armatis militibus refertum forum: quæ ſemper in civili victoria ſenſimus, ea te victore non vidimus.

Solus, inquam, es, C. Cæſar, cujus in victoria ceciderit nemo, niſi armatus: & quem nos liberi, in ſumma populi Romani libertate nati, non modo non tyrannum, ſed etiam clementiſſimum in victoria ducimus*, is Bleſamio, qui vivit in regno, tyrannus videri poteſt? Nam de ſtatua quis queritur, una præſertim, cum tam multas videat? Valde enim invidendum eſt ejus ſtatuis**, cujus tropæis non invidimus. Nam, ſi locus affert invidiam, nullus locus eſt ad ſtatuam quidem Roſtris clarior (1). De plauſu autem quid reſpondeam? qui nec deſideratus unquam a te eſt, & nonnunquam, obſtupefactis hominibus ipſa admiratione compreſſus eſt, & fortaſſe eo prætermiſſus, quia nihil vulgare te dignum videri poteſt.

PERORATIO.

XIII. Nihil (a) a me arbitror prætermiſſum, ſed aliquid ad extremam cauſæ partem reſervatum. Id autem aliquid eſt, te ut plane Dejotaro reconciliet oratio mea. Non enim jam metuo, ne tu illi

* Vulg. *in victoria videmus ducem.* ** Vulg. *ſtatuæ ..... invidemus.*

(1) *Roſtris clarior*) In quibus tamen tua, o Cæſar, ſtatua alias eſt locata. *Patricius.*

ANALYSIS.

(a) *Nihil*) Cum in principio *Contentionis* Cæſarem Dejotaro placaverit, in prima parte *Perorationis*, ne Dejotarum quidem iratum eſſe Cæſari oſtendit; utitur autem hoc argumento *a remotione Cauſæ*:

Victus patienter ferre debet, ſe a victore multari;
Sed ſe victum Dejotarus, Cæſarem victorem agnoſcit;
Ergo patienter tulit, partem ſibi regni ab illo ademptam fuiſſe.

illi succenseas: illud vereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere. Quod abest longissime, mihi crede, Cæsar. Quid enim retineat per te, meminit, non quid amiserit: neque se a te multatum arbitratur; sed, cum (*a*) existimaret multis tibi multa esse tribuenda, quo minus a se, qui in altera parte fuisset, ea sumeres, non recusavit.

Etenim si Antiochus Magnus ille, rex Asiæ, cum, posteaquam a Scipione devictus, Tauro tenus regnare jussus esset, omnemque hanc Asiam, quæ est nunc nostra provincia, amisisset, dicere est solitus, benigne sibi a populo Romano esse factum, quod nimis magna procuratione liberatus modicis regni terminis uteretur; potest multo facilius se Dejotarus consolari. Ille enim furoris multam sustinuerat, hic erroris. Omnia tu (*b*) Dejotaro, Cæsar, tribuisti, cum & ipsi, & filio nomen regium concessisti. Hoc nomine retento atque conservato, nullum beneficium populi Romani, nullum judicium de se senatus imminutum putat: magno animo & erecto est, nec unquam succumbet inimicis, ne fortunæ quidem.

Multa se arbitratur, & peperisse ante factis, & habere in animo atque virtute, quæ nullo modo possit amittere. Quæ enim fortuna, aut quis casus, aut quæ tanta possit injuria, omnium imperatorum de Dejotaro decreta delere? Ab omnibus

ANALYSIS.

(a) *Sed, cum*) *Assumptionem* confirmat, tum quia Victor non posset suis quippiam dare, nisi victis adimeret; tum exemplo Regis Antiochi.

(b) *Omnia tu*) Deinde sic a benignitate Cæsaris argumentatur:

Dejotarus ob ademptam regni partem irasci non debuit Cæsari, si quæ habebat præcipua, per ipsum retinuit:

Sed retinuit per Cæsarem Dejotarus, quæ carissima, & præcipua habebat;

Ergo non est Cæsari iratus ob ademptam regni partem.

Sunt autem, quæ retinuerat, regium nomen, judicia Senatus, merita in Remp., virtutes, & sapientia.

enim est ornatus, qui, postquam in castris esse potuit per ætatem, in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria, bella gesserunt. Senatus vero judicia de illo tam multa tamque honorifica, quæ publicis populi Romani literis monumentisque consignata sunt, quæ unquam vetustas obruet, aut quæ tanta delebit oblivio? Quid de virtute ejus dicam? quid de magnitudine animi, gravitate, constantia? quæ omnes docti atque sapientes summa, quidam etiam sola bona esse dixerunt: hisque non modo ad bene, sed etiam ad beate vivendum contentam virtutem esse. Hæc ille (*a*) reputans, & dies & noctes cogitans, non modo tibi non succenset, (esset enim non solum ingratus, sed etiam amens) verum omnem tranquillitatem & quietem senectutis acceptam refert clementiæ tuæ.

XIV. Quo quidem animo cum antea fuit *, tum non dubito, quin tuis literis, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone huic Blesamio dedisti, se magis etiam erexerit, ab omnique sollicitudine abstraxerit. Jubes enim eum bene sperare, & bono esse animo: quod scio te non frustra scribere solere. Memini enim iisdem fere verbis ad me te scribere, meque tuis literis bene sperare non frustra esse jussum. Laboro equidem regis Dejotari causa, quocum mihi amicitiam respublica conciliavit, hospitium voluntas utriusque conjunxit, familiaritatem consuetudo attulit, summam vero necessitudinem magna ejus officia in me, & in exercitum meum effecerunt: sed cum de illo laboro, tum de multis amplissimis viris, quibus semel ignotum a te esse oportet, nec beneficium tuum in du-

* Vulg. *fuerit*.

ANALYSIS.

(*a*) *Hæc ille*) *Complexio:* non igitur Dejotarus Cæsari succenset; acceptis maxime literis, quas ad illum Cæsar Tarracone scripserat, confecto Hispaniensi bello. Hinc orat Cæsarem, ut promissa literarum adimpleat.

dubium vocari, nec hærere in animis hominum sollicitudinem sempiternam, nec accidere, ut quisquam te timere incipiat eorum, qui semel a te sint liberati timore. Non debeo (*a*), C. Cæsar, quod fieri solet in tantis periculis, tentare, quonam modo dicendo misericordiam tuam commovere possim: nihil opus est: occurrere ipsa solet supplicibus & calamitosis, nullius oratione evocata. Propone tibi duos reges (1), & id animo contemplare, quod oculis non potes. Dabis profecto misericordiæ, quod iracundiæ negavisti. Multa sunt tuæ clementiæ monumenta, sed maxime eorum incolumitates, quibus salutem dedisti. Quæ si in privatis gloriosa sunt, multo magis commemorabuntur in regibus. Semper regium nomen in hac civitate sanctum fuit; sociorum vero regum & amicorum, sanctissimum.

XV. Quod nomen hi reges ne amitterent, te victore, timuerunt: retentum vero, & a te confirmatum, posteris etiam suis tradituros esse confido. Corpora (*b*) vero sua pro salute regum suorum hi legati tibi regii tradunt, Hieras, & Blesamius, & Antigonus, tibi nobisque omnibus jam diu noti, eademque fide & virtute præditus Dorylaus, qui nuper cum Hiera legatus est ad te missus; tum regum amicissimi, tum tibi etiam, ut spero, probati. Exquire de Blesamio, num quid ad regem contra dignitatem tuam scripserit. Hieras quidem causam omnem suscipit, & criminibus

Y 2 illis

(1) *Duos reges*) Dejotaros, patrem & filium. Videtur solus pater accusatus fuisse. Filium tamen appellat, ut magis duorum quam unius misericordia moveatur: vel quia Cæsari filius erat acceptior, ideo causam utriusque conjunxit. *Abramus*.

A N A L Y S I S.

(a) *Non debeo*) *Perorationis* secunda pars, qua *misericordiam* in Dejotarum movet, quippe in regem, ex Arist. l. 2. c. 8. t. 91.

(b) *Corpora*) Ultimo Dejotari innocentiam attestatur Legatorum fide tum in ipsum Dejotarum, tum etiam in Cæsarem.

illis pro rege se supponit reum: memoriam tuam implorat, qua vales plurimum: negat unquam se a te in Dejotari tetrarchia pedem discessisse: in primis finibus tibi se præsto fuisse dicit, usque ad ultimos prosecutum: cum e balneo exisses, tecum se fuisse, cum illa munera inspexisses cœnatus, cum in cubiculo recubuisses, eandemque assiduitatem tibi se præbuisse postridie. Quamobrem, si quid eorum, quæ objecta sunt, cogitatum sit, non recusat, quin id facinus suum judices. Quocirca, C. Cæsar, velim existimes, hodierno die sententiam tuam, aut cum summo dedecore miserrimam pestem importaturam esse regibus, aut incolumem famam cum salute: quorum alterum optare, illorum (1) crudelitatis est, alterum conservare, clementiæ tuæ.

(1) *Illorum*) Adversariorum. Videtur certe quidem hac oratione nihil Dejotaro impetravisse. Philip. II. 37. *Quis enim cuiquam inimicior quam Dejotaro Cæsar?* &c. *Patritius*.



IN

IN M. ANTONIUM.

PHILIPPICA I.

ARGUMENTUM.

INterfecto idibus Mart. C. Cæsare, M. Antonius collega ejus in consulatu, sibi metuens, non solum eo die latuit, verum etiam texit aliquandiu consilia sua, simulatione ad tempus accommodata. Postridie idus actum est cum eo de communi concordia per consulares viros. Post diem tertium, qui fuit XVI. *Kal. Apr. in ædem Telluris convocato senatu,* Cicero, *quantum in ipso fuit, jecit fundamenta pacis, discordiarumque memoriam omnem, vetere Atheniensium exemplo, oblivione sempiterna delendam censuit. Quo die præclare de rep. locutus Antonius, consequentibus etiam diebus non dubia suæ voluntatis argumenta dare visus est. Misso parvulo filio, pacis obside, in* Capitolium, C. *Cassium ipse, M. Brutum Lepidus, pontifex max. alii alios ex tyrannoctonis, qui post Cæsaris necem, populi & Antonii maxime consulis metu, in Capitolium se contulerant, cœnæ adhibuerunt. Sed fictam personam sustinere diu nemo potest. Cum Cæsarem, quanquam in libera civitate singulari potestate usum, funere tamen efferri placuisset, qui fons malorum omnium fuit, (sic enim tyrannum non fuisse judicabatur : nam tyrannorum corpora projiciuntur inhumata) laudavit eum de more Antonius in foro : commemoratisque rebus ab eo gestis, maximisque erga remp. meritis, explicata demum cruenta veste, in qua cæsus fuerat, multis pugionum ictibus perfossa, convertit orationem ad* mi-

miserationem commovendam, populumque jam dolore incensum in eam iracundiam furoremque impulit, ut statim a funere ad domum Bruti & Cassii cum facibus accurrerit, unde ægre repulsus est. Brutus & Cassius, vitato præsenti periculo, concitatæ multitudinis vim timentes, Antoniique perfidiam jam satis experti, Antium, & Lanuvium aufugerunt, eo consilio, ut inde in provincias a senatu decretas proficiscerentur. Decreverat autem senatus, postridie quam e Capitolio Cæsaris interfectores descenderunt, Bruto Cretam, Cassio Africam, Trebonio Asiam, Cimbro Bithyniam, D. Bruto Galliam citeriorem, datam a Cæsare antea, confirmavit. Idem tamen, quasi ad sanitatem revocatus, reliquis diebus in Capitolio præclara S. C. fecit: primum illud e Ser. Sulpicii sententia, ne qua post idus Mart. immunitatis tabula, neve cujus beneficii figeretur: deinde, ut dictaturæ nomen in perpetuum e rep. tolleretur. Lux quædam oblata videbatur: erecti erant spe libertatis & otii bonorum animi: constituta resp. putabatur. Sed cito ille simulationem sustulit, suique similis visus est. Habito enim Kalendis Jun. senatu, non eum, quem antea, de rep. sensum, nec superiorum dierum actis consentientem voluntatem ostendit. Nihil deinde ad senatum referebat: per populum, id est per infimam corruptamque plebem, contempta amplissimi ordinis auctoritate, agebat omnia: contra S. C. quod ipse fieri voluerat, tabulas figebat, civitatem immunitatesque dabat, exules reducebat; eaque se facere omnia dicebat ex legibus Cæsaris, aut ex ejus commentariis. Tum Cicero, desperata prorsus, Antonio consule, libertate, urbem reliquit, in Græciam iturus, ea mente, ut Kalendis Jan. quo die Pansa & Hirtius consulatum inituri erant, adesset. Nec tamen iter illud absolvit. Nam Leucopetræ adversa tempestate detentus, ab iis, qui ab urbe venerant, & concionem accepit Antonii, quam

quam valde probavit, & ea cognovit, unde revertendi consilium cepit. Post reversionem, de via languens, in senatum, qui Kalendis Sept. ut Phil. V. *legitur, in æde Concordiæ habebatur, non venit. Quo graviter commotus Antonius, fabros se missurum, & domum ejus disturbaturum, audiente senatu, dixit. Postridie, id est,* IV. *Nonas Sept. in senatum venit, absente Antonio: & hac oratione prima exposuit consilium profectionis & reversionis suæ: deinde questus est graviter de Antonii hesterna injuria: tum leges illius reprehendit: postremo utrumque consulem, absentem Antonium, præsentem Dolabellam, quem sibi, profecturus ad bellum Particum, Cæsar suffecerat, hortatur, ut veram solidamque gloriam sequantur: diligi a suis civibus malint, quam metui: rempublicam omni ratione complectantur.* MANUT.

PHILIPPICÆ PRIMÆ SYNOPSIS.

HÆc Oratio est in genere *Demonstrativo*, cum in vituperando Antonio præcipue versetur; & in tres partes dividitur.

In prima parte, quæ est loco *Exordii*, narrat ea, quæ laudabiliter pro Rep. gessit Antonius: *Ego cum sperarem*; & quæ fecit Dolabella: *Atque hæc omnia*. Deinde mutatam eorum in Remp. voluntatem sibi proficiscendi causam fuisse ait: *Ecce enim Kal. Jun.*

Causas assignat non absoluti itineris: *Cum Brundusium, iterque*; & quo consilio Romam reverterit, exponit: *Atque ego celeriter*.

In secunda parte queritur hesternam injuriam Antonii *ab Adjunctis*, quod cum ipse vel leviter, vel minime peccasset, ipse crudeliter minitatus esset: *Quoniam utriusque consilii*; & decretum, quod tunc factum est in Senatu, vituperat, cum non

debeant supplicationes mortuo decerni : *Quod si scisset*. Constantiam suam attestatur, Pisonem laudat, & cæteros coarguit: *Quid de reliquis*.

Probat ab Antonio acta Cæsaris dissolvi, *ab Effectis*, quod ejus leges everteret : *Primum igitur acta Cæsaris*; & confirmat *a minori ad majus*: *In commentariolis*.

Legem Antonii de tertia decuria *ab Effectis* reprehendit: *At quæ est ista tertia*. Legem illius tertiam de provocatione pariter *ab Effectis*, quod minime gratiosa esset, & maxime turpis : *Altera promulgata lex est*; & repetitur superius argumentum *a minori ad majus*: *Quæ quidem ego, P. C.* Tandem *ab Adjunctis* Patres admonet, ut a legibus caveant promulgandis ab Antonio : *Ac de iis tamen*.

In tertia parte transit ad admonitionem: *Irasci te quidem*; proponit conditiones quasdam Antonio: *Sed proponam jus*; Dolabellam hortatur ad bene merendum de Rep., *a Causa finali*, quod in eo consisteret vera gloria : *Sed per Deos immortales*; Antonium itidem *ab Effectis*, a gloria ante parta: *Te autem M. Antonii*, & *a Causa finali*, quod vera gloria dependeat ab amore, non a metu Civium : *Illud magis vereor*; idque confirmat exemplo Cæsaris : *Sed quid oratione*; & populi præjudiciis : *Populi quidem Romani judicia*.

PARS PRIMA.

I. ANtequam (*a*) de republica, Patres Conscripti, dicam ea, quæ dicenda hoc tempore

ANALYSIS.

(a) *Antequam*) Ut ostendat, se non defuisse boni Senatoris officio, cum iter in Græciam susceperit, sic exponit *a Causis* consilium suæ profectionis;

Bonus Senator debet manere in Urbe, si Senatus auctoritas valeat; si nihil per Senatum agatur, potest honeste discedere. Sed

pore arbitror, exponam vobis breviter consilium & profectionis & reversionis meæ. Ego cum (*a*) sperarem aliquando ad vestrum consilium auctoritatemque rempublicam esse revocatam, manendum mihi statuebam, quasi in vigilia quadam consulari ac senatoria. Nec vero usquam discedebam, nec a republica dejiciebam oculos, ex eo die, quo in ædem Telluris convocati sumus. In quo templo, quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis: Atheniensiumque renovavi vetus exemplum: Græcum etiam verbum (1) usurpavi, quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa: atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui.

Præclara tum oratio M. Antonii, egregia etiam voluntas, pax denique per eum, & per liberos ejus (2) cum præstantissimis civibus confirmata est. Atque his principiis reliqua consentiebant. Ad deliberationes eas, quas habebat domi de republica, principes civitatis adhibebat: ad hunc ordinem res optimas deferebat: summa cum dignitate & constantia ad ea, quæ quæsita erant, respondebat: nihil tum, nisi quod erat notum omnibus, in C. Cæsaris commentariis reperiebatur *.

Num

* In vulg. Hic est ordo verborum *deferebat: nihil tum in C. Cæsaris commentariis, nisi quod erat notum omnibus, reperiebatur: summa constantia ad ea, quæ quæsita erant, respondebat.*

(1) *Græcum etiam verbum*) Quidam hoc loco interserunt Græcam vocem ἀμνηστίας. Ego summa fide optimi ac veterrimi libri scripturam expressi: quid autem de hoc loco sentirem, indicavi jampridem, cap. 15, libri II. Variarum lectionum. *Muretus*.

(2) *Per liberos ejus*) Imo per unum filium, ut omnes historici tradiderunt: sed liberos numero multitudinis pro unico filio, aut etiam filia Latini scriptores libenter usurpant, ut alias ex Gellio & Juris consultis notavimus. *Abramus*.

ANALYSIS.

Sed ego fui Romæ, donec Senatus auctoritas valuit; honeste profectus sum, ubi nihil per Senatum agebatur;

Ergo boni Senatoris officio non defui.

Antequam) *Dociles* facit brevissima partitione.

(a) *Ego, cum*) *Assumptionis* prima pars constat narratione earum rerum, quas Antonius, & Dolabella egregie fecerant in Senatu, post interfectum Cæsarem.

Num qui exules restituti? unum ajebat (1), præterea neminem. Num immunitates datæ? nullæ, respondebat. Assentiri etiam nos Serv. Sulpicio (2), clarissimo viro, voluit, ne qua tabula post idus Martias ullius decreti Cæsaris, aut beneficii figeretur. Multa prætereo, eaque præclara: ad singulare enim M. Antonii factum festinat oratio. Dictaturam, quæ vim jam regiæ potestatis obsederat, funditus ex republica sustulit. De qua ne sententias quidem diximus. Scriptum senatusconsultum, quod fieri vellet, attulit. Quo recitato, auctoritatem ejus summo studio secuti sumus, eique amplissimis verbis per senatusconsultum gratias egimus.

II. Lux quædam videbatur oblata, non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato: magnumque pignus ab eo reipublicæ datum, se liberam civitatem esse velle, cum dictatoris nomen, quod sæpe justum fuisset, propter perpetuæ dictaturæ recentem memoriam funditus ex republica sustulisset. Liberatus cædis periculo (3) paucis post diebus senatus: uncus impactus est fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaserat. Atque hæc omnia communiter cum collega. Alia porro propria Dolabellæ, quæ, nisi collega abfuisset, credo eis fuisse futura communia. Nam, cum serperet in urbe infinitum malum, idque mana-

(1) *Unum ajebat*) Videtur intelligere Sextum Clodium, de quo ipse Antonius epistola quadam ad Ciceronem, quæ habetur lib. 14. ad Atticum: *A Cæsare petii ut Sext. Clodium restitueret, impetravi*, &c. *Idem*.

(2) *Serv. Sulpicio*) De hoc S. C. item de dictatura sublata, dicetur 2. Philipp. *Idem*.

(3) *Cędis periculo*) Narrat historiam Plutarchus in Antonio de quodam, qui, cum se diceret Marii filium, plebem in Conjuratos & Senatum concitabat, adeoque per M. Antonium supplicio affectus est. *Ferratius*.

naret in dies latius, iidemque (1) bustum in foro facerent (2), qui illam insepultam sepulturam effecerant (3): & quotidie magis magisque perditi homines, cum sui similibus servis, tectis ac templis urbis minarentur: talis animadversio fuit Dolabellæ, cum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros & nefarios liberos, talisque eversio illius execratæ columnæ (4), ut mirum mihi videatur, tam valde reliquum tempus ab illo uno die dissensisse.

Ecce enim (*a*) Kalendis Juniis, quibus ut adessemus, edixerat, mutata omnia: nihil per senatum, multa & magna per populum, & absente populo & invito. Consules designati se audere negabant in senatum venire: patriæ liberatores (5) urbe carebant ea, cujus a cervicibus jugum servile dejecerant: quos tamen ipsi consules & in concionibus, & in omni sermone laudabant. Veterani qui appellabantur (6), quibus hic ordo di-

(1) *Idemque*) Et scelerati homines de plebe infima, & servi. *Manut.*

(2) *Bustum in foro facerent*) Cæsari, ubi crematus erat, in foro constituerent. *Idem.* Vide Sueton.

(3) *Insepultam sepulturam effecerant*) Cremaverant enim Cæsaris corpus in foro, ut ait Suetonius, aridis virgultis, subselliis, ac tribunalibus: cum in campo Martio rogus extructus esset. *Insepultam sepulturam* vocat vel quia servata cremandi, & sepeliendi consuetudo non est: vel quia, ut infra dicitur, *sepulcrum Cæsaris nusquam exstaret*. Idem.

(4) *Execratæ columnæ*) Suetonius. Plebs solidam columnam, prope viginti pedum lapidis Numidici, in foro statuit, scripsitque *Parenti patriæ*. Manut.

(5) *Liberatores*) Brutus, & Cassius. De quibus infra.

(6) *Veterani qui appellabantur*) Cæsariani milites, quibus post emerita stipendia caverat Senatus, ut in agros sibi assignatos emolumenta, sive commoda militiæ percepturi primo quoque tempore mitterentur. *Abram.* Ait veteranos appellatos fuisse ab Antonio,

ANALYSIS.

(a) *Ecce enim*) Secunda pars *Assumptionis* habeat ea, quæ post Kal. Jun. iidem fecerant per vim, & contra Senatus voluntatem.

diligentissime caverat, non ad conservationem earum rerum, quas habebant, sed ad spem novarum prædarum incitabantur. Quæ cum audire mallem, quam videre, haberemque jus (*a*) legationis liberum, ea mente discessi, ut adessem Kalendis Januariis, quod initium senatus cogendi fore videbatur.

III. Exposui (*b*), Patres Conscripti, profectionis consilium: nunc reversionis, quæ plus admirationis habet, breviter exponam. Cum Brundusium iterque illud, quod tritum in Græciam est, non sine causa vitavissem (1), Kalendis Sextilibus veni Syracusas, quod ab urbe ea transmissio in Græciam laudabatur: quæ tamen urbs mihi conjunctissima, plus una me nocte cupiens retinere, non potuit. Veritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios adventus suspicionis aliquid afferret, si essem commoratus. Cum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent (2), ab eo loco conscendi, ut transmitterem: nec ita multum provectus, rejectus austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam.

Cum-

nio, sive compellatos in concione ad ulciscendam Cæsaris necem ut coirent, quod patet ex historicis & epistolis ad Atticum, & verbis sequentibus. *Grævius*. Al. *appellantur*.

(1) *Non sine causa vitavissem*) Vitavit metu quatuor legionum Antonii, quæ erant Brundusii. Epist. 2. & 4. lib. XVI. ad Attic. *Manut*.

(2) *Venti detulissent*.) Vide epist. 25. lib. XII. ad Cornificium, & epist. 4. lib. XVI. ad Atticum. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Haberemque jus*) Honeste igitur discesserat, cum haberet jus legationis liberum.

(b) *Exposui*) Nunc aperit suæ reversionis consilium, & quod iter in Græciam non absolverit, excusat *a Causa efficiente*:

In ea re mea nulla est culpa, quæ a ventis, & maris tempestate provenit:

Sed ne pervenirem in Græciam, venti obstitere;

Ergo mea nulla est culpa.

Assumptio ingeniose tractatur, reliquæ partes Syllogismi omissæ sunt.

Cumque intempesta (*a*) nox esset, mansissemque in villa P. Valerii, comitis & familiaris mei, postridieque apud eundem, ventum expectans, manerem; municipes Rhegini complures ad me venerunt, ex his quidam Roma recentes : a quibus primum accipio M. Antonii concionem, quæ ita mihi placuit, ut, ea lecta, de reversione primum cœperim cogitare. Nec ita multo post edictum Bruti affertur, & Cassii. Quod quidem mihi, fortasse quod eos etiam plus reipublicæ, quam familiaritatis gratia, diligo, plenum æquitatis videbatur. Addebant præterea (fit enim plerumque, ut ii, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nuntiant, lætius) rem conventuram (1) : Kalendis Sextilibus senatum frequentem fore: Antonium, repudiatis malis suasoribus, remissis Galliis provinciis (2), ad auctoritatem senatus esse rediturum.

IV. Tum vero tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque remi, neque venti satisfacerent : non quo me ad tempus occursurum putarem, sed ne tardius, quam cuperem, reipublicæ gratularer. Atque ego (*b*) celeriter Veliam (3) devectus, Brutum vidi (4); quanto meo do-

(1) *Rem conventuram*) Hæc tota res in eadem ad Attic. epist. explicatur.

(2) *Remissis Galliis provinciis*) Hæc erat præcipua discordiæ causa, quod Senatus decreverat Antonio provinciam Macedoniam, ipse contra voluntatem Senatus impetraverat a populo Galliam citeriorem. *Ferratius*.

(3) *Veliam*) Vide lib. XVI. ad Atticum, epist. 17.

(4) *Brutum vidi*) Cum incensis ob Cæsaris necem veteranorum animis, Bruto & Cassio vitæ periculum immineret, Senatus, ut eos præsenti periculo subduceret, his duobus annonæ curam man-

ANALYSIS.

(a) *Cumque intempesta*) Deinde, quod non absoluto itinere, Romam redierit, sic excusat *a remotione Causæ*.

Sublata causa proficiscendi, redire debebam;
Sed audieram mutatam faciem Reip., quæ me abire coegerat;
Ergo debui Romam redire.

(b) *Atque ego*) Ultimo exponit & suum cum Bruto congressum, & desiderium veniendi celeriter in Senatum, ut quæ sentiret, libere expromeret.

dolore, non dico. Turpe mihi ipsi videbatur, in eam urbem me audere reverti, ex qua Brutus cederet, & ibi velle tuto esse, ubi ille non posset. Neque vero illum similiter, atque ipse eram, commotum esse vidi. Erectus enim maximi ac pulcherrimi facti conscientia, nihil de suo casu, multa de nostro querebatur.

Ex quo primum cognovi, quæ Kalendis Sextilibus in senatu fuisset L. Pisonis oratio (1): qui quanquam parum erat (id enim ipsum a Bruto audieram) a quibus debuerat, adjutus, tamen & Bruti testimonio (quo quid potest esse gravius?) & omnium prædicatione, quos postea vidi, magnam mihi videbatur gloriam consecutus. Hunc igitur ut sequerer, properavi, quem præsentes non sunt secuti: non ut proficerem aliquid, (neque enim sperabam id, neque præstare poteram) sed ut, si quid mihi humanitus accidisset, (multa autem impendere videbantur præter naturam, præterque fatum (2)) hujus tamen diei vocem testem reipublicæ relinquerem meæ perpetuæ erga se voluntatis.

SE-

mandavit; & quod Prætores erant, decrevit ut legibus solverentur, si ab urbe plus quam decem dies abfuissent. Brutum Veliæ vidit Cicero magno suo cum dolore, quod vir unice amans rempublicam non auderet in urbe subsistere. *Abram.*

(1) *Pisonis oratio*) Quænam hæc fuerit Lucii Pisonis oratio habita Kalendis Sextilibus in Senatu, non satis constat: id constat unum, eam fuisse liberrimam. Vide infra: & Philipp. V. cap. 7. Ex quibus merito dubites de fide Appiani, qui, libro 3. de bellis civilibus, L. Pisonem Antonio patrocinantem, & Ciceroni repugnantem inducit. *Abram.*

(2) *Præter naturam, præterque fatum*) E Philosophis quidam omnia penitus, atque adeo humanas actiones fati necessitate devinctas, alii plane liberas & solutas esse censuerunt: quam posteriorem sententiam Homerus, Cicero, Virgilius videntur amplexi, ut ea fato tribuerent, quæ ex necessaria causarum connexione eveniunt; quæ autem humana voluntate & opera contingunt, ea fati necessitate absolverent. *Abram.*

SECUNDA PARS.

V. Quoniam utriusque (*a*) consilii (1) causam, Patres Conscripti, probatam vobis esse confido, prius quam de republica dicere incipio, pauca querar de hesterna M. Antonii injuria, cui sum amicus: idque me nonnullo ejus officio (2) debere esse, præ me semper tuli. Quid tandem (*b*) erat causæ, cur in senatum hesterno die tam acerbe cogerer? solusne aberam? an non sæpe minus frequentes fuistis? an ea res agebatur, ut etiam ægrotos deferri oporteret? Annibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam causam etiam Appium illum, & cæcum, & senem delatum esse memoriæ proditum est. De supplicationibus (3) referebatur: quo in genere senatores deesse

(1) *Utriusque consilii*) Tam profectionis, quam reversionis meæ. *Abram.*

(2) *Nonnullo ejus officio*) Quod eum Antonius, post pugnam Pharsalicam, nondum impetrata a Cæsare venia, Brundusii commorantem, cum interimere jure posset, noluit. Phil. 2. *Manutius*. Vulg. *debere etiam*.

(3) *De supplicationibus*) Cæsari mortuo decernendis. Phil. 5. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Quoniam utriusque*) Transit ad alteram partem, quæ Antonii accusationem continet, & in primis queritur hesternam illius injuriam, qui Ciceroni iratus, quod non venisset in Senatum, dixerat se missurum fabros, & ejus domum disturbaturum. Sic igitur injuriam amplificat *ab Adjunctis*:

Maxima injuria est leviter peccanti crudelissime minitari;
Sed leviter ego peccavi, & tamen ille crudelissime minitatus est;
Ergo maximam mihi fecit injuriam.

Propositio est apud Arist. l. 1. c. 14. *Assumptionis* prima pars confirmatur.

(b) *Quid tandem*) 1. Ab ipsa re, de qua agebatur *per Comparationem majorum*: coguntur enim Senatores venire in Senatum, cum res aliqua gravis agitur, non autem cum refertur de Supplicationibus, & de triumpho.

esse non solent. Coguntur enim non pignoribus (1), sed eorum, quorum de honore agitur, gratia: quod idem fit, cum de triumpho refertur. Ita sine cura consules sunt, ut pene liberum sit senatori non adesse. Qui cum mihi (*a*) mos notus esset, cumque de via languerem, & mihimet displicerem, misi, pro (*b*) amicitia, qui hoc ei diceret. At ille (*c*), vobis audientibus, cum fabris se domum meam venturum esse dixit. Nimis iracunde hoc quidem, & valde intemperanter. Cujus enim maleficii ista * pœna est, ut dicere in hoc ordine auderet, se publicis operis disturbaturum publice ex senatus sententia ædificatam domum? Quis autem unquam tanto damno senatorem coegit? aut quid est ultra pignus, aut multam? Qui ** si scisset (*d*), quam sententiam dicturus essem, remisisset aliquid profecto de severitate cogendi.

VI. An me (*e*) censetis, Patres Conscripti, quod vos inviti secuti estis, decreturum fuisse, ut parentalia (2) cum supplicationibus miscerentur? ut inexpiabiles religiones in rempublicam inducerentur?

* Vulg. *tanta ista*. ** Vulg. *Quod*.

(1) *Non pignoribus*) Quæ auferri solebant senatoribus, qui in senatum vocati non venissent. Infrà: *quid est ultra pignus, aut multam?* Idem.

(2) *Parentalia*) Quæ tulissem: ut vero supplicationes mortuo simul decernerentur, id vero nunquam tulissem. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Quid cum mihi*) 2. Ab infirma corporis valetudine.

(b) *Misi, pro*) 3. Ab excusatione facta per amicos.

(c) *At ille*) *Assumptionis* secunda pars. Senator enim, qui non venisset in Senatum, pignore, & multa puniebatur, non eversione domus.

(d) *Qui si scisset*) Deinde exaggerat eandem injuriam ex parte rei, de qua tum referebat Antonius, tali ratione:

Injuriosum est minitari Senatori, quod non affuerit decernendæ rei iniquæ;
Sed impium est decernere Supplicationes mortuo;
Ergo per summam injuriam minitatus est mihi, quod non affuerim decernendis Supplicationibus mortuo Cæsari.

(e) *An me*) *Assumptio*, quam illustrat tum *a Comparatione* Bruti, & Cæsaris, tum *a Consequentibus* malis ob violatas religiones.

tur? ut decernerentur supplicationes mortuo? Nihil dico, cui. Fuerit ille L. Brutus, qui & ipse regio dominatu rempublicam liberavit, & ad similem virtutem, & simile factum stirpem jam prope in quingentesimum annum propagavit: adduci tamen non possem, ut quemquam mortuum conjungerem cum immortalium * religione: ut, cujus sepulcrum nusquam (1) extet, ubi parentetur, ei publice supplicetur. Ego vero eam sententiam dixissem, Patres Conscripti, ut me adversus populum Romanum, si qui accidisset gravior reipublicæ casus, si bellum, si morbus, si fames, facile possem defendere: quæ partim jam sunt, partim timeo ne impendeant. Sed hoc ignoscant dii immortales velim, & populo Romano, qui id non probat, & huic ordini, qui decrevit invitus.

Quid? de reliquis (a) reipublicæ malis licetne dicere? Mihi vero licet, & semper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere. Potestas modo veniendi in hunc locum sit, dicendi periculum non recuso. Atque utinam, Patres Conscripti, Kalendis Sextilibus adesse potuissem! non quo profici potuerit aliquid, sed ne unus modo consularis, quod tum accidit, dignus illo honore, dignus republica inveniretur. Qua quidem ex re magnum accipio dolorem, homines amplissimis populi Romani beneficiis usos, L. Pisonem, ducem optimæ sententiæ non secutos. Idcircone nos populus Romanus consulares ** fecit, ut in altissimo amplissimoque *** gradu dignitatis locati rempublicam pro nihilo habere-

 re-

* Vulg. *Deorum immortalium*. ** Vulg. *consules*.
*** In vulg. deest *amplissimoque*.
(1) *Nusquam*) Nam re vera nullum Julii Cæsaris extabat tum temporis sepulchrum. Crematus erat in foro, ibique columna ei dedicata, sed postea eversa a Dolabella. *Grævius*. al. *usquam*.

ANALYSIS.

(a) *Quid? de reliquis*) Antequam ad reliqua transeat Antonii scelera, suam pro Rep. constantiam attestatur, reliquos reprehendit Consulares, qui L. Pisonem non adjuverant, & eidem Pisoni gratias agit.

remus? Non modo voce nemo L. Pisoni consularis, sed ne vultu quidem assensus est. Quænam (malum) est ista voluntaria servitus? Fuerit quædam necessaria. Nec ego hoc ab omnibus iis desidero, qui sententiam loco consulari dicunt. Alia causa est eorum, quorum silentio ignosco, alia eorum, quorum vocem requiro. Quos quidem doleo in suspicionem populi Romani * venire, non modo metus, quod ipsum esset turpe, sed alium alia de causa deesse dignitati suæ.

VII. Quare primum maximas gratias, & habeo, & ago L. Pisoni, qui non, quid efficere posset in republica, cogitavit, sed quid ipse facere deberet: deinde a vobis (*a*), Patres Conscripti, peto, ut, etiam si sequi minus audebitis orationem atque auctoritatem meam, benigne tamen me, ut fecistis adhuc, audiatis.

Primum igitur (*b*) acta Cæsaris servanda censeo: non quo probem, quis enim id quidem potest? sed quia rationem habendam maxime arbitror pacis & otii. Vellem adesset Antonius, modo sine advocatis (1). Sed, ut opinor, licet ei minus valere: quod mihi heri per illum non licebat. Doceret me, vel potius vos, P. C., quemadmodum ipse Cæsaris acta defenderet. An in (*c*) commen-

* Vulg. *populo Romano*.

(1) *Sine advocatis*) Sine militibus, quibus, a quo primum die senatum habuit, post Cæsaris interitum, vel præsidii sui causa, vel ut metum senatoribus injiceret, eoque facilius, quæ vellet, obtineret, curiam circumdare solitus est. Philipp. 2. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Deinde a vobis*) *Attentionem* sibi conciliat.

(b) *Primum igitur*) Præmittit suam de actis Cæsaris sententiam, & in absentem Antonium jocatur; deinde ab eo dissolvi acta Cæsaris probat *ab Effectis*:

Ille dissolvit acta Cæsaris, qui Cæsaris leges evertit;
Sed Antonius Cæsaris leges abrogavit;
Ergo Cæsaris acta dissolvit.

(c) *An in*) *Propositionis* approbatio *a minori ad majus*: *Magis*

mentariolis, & chirographis, & libellis se uno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis, acta Cæsaris firma erunt, quæ ille in æs incidit, in quo populi jussa, perpetuasque leges esse voluit, pro nihilo habebuntur?

Equidem sic existimo *: nihil tam esse in actis Cæsaris, quam leges Cæsaris. An, si cui (*a*) quid ille promisit, id erit fixum? quod idem non facere potuit (1); ut multis multa promissa non fecit: quæ tamen multo plura illo mortuo reperta sunt, quam vivo beneficia per omnes annos tributa & data. Sed ea non muto, non moveo: summo etiam studio præclara illius acta defendo. Pecunia utinam ad Opis maneret (2)! cruenta illa quidem, sed his temporibus, cum iis, quorum est, non redditur, necessaria. Quanquam ea quoque sit effusa, si ita in actis fuit. Ecquid

* Vulg. *equidem existimo nihil esse tam in actis.*

(1) *Quod idem non facere potuit*) Antea legebatur: *Quod idem facere non potuit*: neque sane aliter est in optimo illo libro, quam in pervulgatis. Si quis tamen sententiam accurate consideret, spero ei conjecturam nostram probatam iri. Jam quantum intersit inter hæc duo, *potuit non facere*, & *non potuit facere*, qui per se non videt, legat Aristotelem περὶ ἑρμηνείας. *Muretus*.

(2) *Pecunia utinam ad Opis maneret*) In Opis æde septies millies H-S. quæ sunt nummo nostro ducenties decies centena scutatorum millia, Cæsar deposuerat: eam omnem pecuniam Antonius abstulit partim sibi, ut æs alienum grande dissolveret, partim Dolabellæ, collegæ suo, ipsi quoque gravi ære alieno obstricto: partim aliis, quos a tuendæ reip. cura ad suas partes traduxit. *Idem*.

ANALYSIS.

Magis sunt in actis Cæsaris illius leges, quam quæ scripsit in Commentariis;

Sed hæc Antonius vult esse firma, ne Cæsaris acta rescindantur;

Ergo multo magis rescinduntur acta Cæsaris, illius legibus abrogatis.

Innuit autem Cicero, se non probare quæ falso per Antonium ex commentariis Cæsaris proferebantur; utcunque tamen admittit, ne Cæsarianos offendat.

(a) *An, si cui*) Hujus approbationis *Propositio* confirmatur in primis ex eo, quod Cæsar ipse non potuit præstare multis, quæ promiserat, adeoque in illius incertis promissis consistere Cæsaris acta non poterant.

est (*a*), quod tam proprie dici possit actum ejus, qui togatus in republica cum potestate imperioque versatus sit, quam lex? Quære acta Gracchi; leges Semproniæ proferentur. Quære Syllæ, Corneliæ. Quid? Cn. Pompeji tertius consulatus in quibus actis constitit *? nempe in legibus. A Cæsare ** ipso si quæreres, quidnam egisset in urbe & toga, leges multas responderet se & præclaras tulisse. Chirographa vero aut mutaret, aut non daret, aut, si dedisset, non istas res in actis suis duceret. Sed hæc ipsa concedo: quibusdam in rebus etiam conniveo: in maximis vero rebus, id est legibus, acta Cæsaris dissolvi, ferendum non puto.

VIII. Quæ lex melior (*b*), utilior, optima etiam republica sæpius flagitata, quam ne prætoriæ provinciæ plus quam annum, neve plus quam biennium consulares obtinerentur? Hac lege sublata, videnturne vobis acta Cæsaris servari? Quid? ea lege, quæ promulgata est de tertia decuria (1) judicum, nonne omnes judiciariæ leges Cæsaris dissolvuntur? Et vos acta Cæsaris defenditis, qui leges ejus evertitis? Nisi forte (*c*) si quid memoriæ causa retulit in libellum, id numerabitur in actis, & quamvis iniquum & inutile sit, defendetur: quod ad populum centuriatis comitiis tulit, id in actis Cæsaris non habebitur.

At quæ est (*d*) ista tertia decuria? Centurionum,

* Vulg. *consistit*. ** Vulg. *de Cæsare*.

(1) *De tertia decuria*) Lex Cæsaris, ut duæ tantum decuriæ judicarent, Senatorum, & Equitum, omissis Tribunis ærariis: Antonius tertiam addiderat ex Centurionibus. *Ferrat*.

A N A L Y S I S.

(a) *Ecquid est*) Deinde *ab Exemplis similibus*.

(b) *Quæ lex melior*) *Assumptio* argumenti *per Distributionem* trium legum, quas abrogaverat Antonius; prima erat de Provinciis, secunda de Judiciis, tertia de vi, & majestate.

(c) *Nisi forte*) Repetit *Propositionis* approbationem *a minori ad majus*.

(d) *At quæ est*) Legem de provinciis non attigit, forte ne eos offenderet, qui sortiri provincias debebant, & quia lata fuerat

num, inquit. Quid? isti ordini (a) judicatus (1) lege Julia, etiam ante Pompeja, Aurelia, non patebat? Census præfiniebatur, inquit. Non centurioni quidem solum, sed equiti etiam Romano. Itaque viri fortissimi atque honestissimi, qui, ordines duxerunt, res & judicant, & judicaverunt. Non quæro, inquit, istos. Quicunque ordinem duxit (2), judicet. At si ferretis, quicunque equo meruisset (3), quod est laudatius, nemini probaretis. In judice enim spectari & fortuna debet, & dignitas. Non quæro, inquit, ista: addo etiam judices manipulares (4) ex legione Alaudarum (5). Aliter enim nostri negant posse se

 fal-

(1) *Judicatus*) Munus judicandi. Vide etiam ad Attic. XII 19. *Ernest.*

(2) *Quicunque ordinem duxit*) Etiam si legitimo censu careat. *Manut.*

(3) *Quicunque equo meruisset*) De equo publico & privato non attinet plura dicere, quod Justus Lipsius libro primo de Militia Romana, dialogo 5. totam hanc difficultatem exhauserit. Tantum adverte hunc locum intelligendum videri de iis qui equo publico meruissent, neque enim videtur laudatius equo privato merere, quam ordines ducere. *Abram.*

(4) *Manipulares*) Subsignanos milites intelligit, qui erant in manipulis, ad distinctionem velitum qui proprios manipulos non habebant. Vide Lipsium lib. 2. de Militia Romana, dialogo 2. *Idem.*

(5) *Ex legione Alaudarum*) Hujus legionis meminit Cicero, ad Attic. lib. XVI. epist. 8. Plinius H. N. libr. XI. cap. 37. Parva avis *galerita appellata quondam, postea Gallico vocabulo etiam legio-*

ANALYSIS.

rat a Tribunis, non ab Antonio; Judiciariam ita reprehendit *ab Effectis:*

Ea lex est iniqua; quæ sit perniciosa Reip., contumeliosa iis, de quibus fertur, inutilis iis, a quibus est lata;
Talis est lex Antonia de tertia decuria Judicum;
Ergo est lex iniqua, & reprobanda.

(a) *Isti ordini*) Erat perniciosa Reip., quia nullam census rationem habebat, cum tamen in judice æque spectari debeat fortuna, & dignitas; quod confirmat *a minorum comparatione:*

Qui vocaret ad judicandum omnes, qui equo meruissent, nulla habita ratione census, dignus esset reprehensione;
Sed magis honestum est equo merere, quam ordinem ducere;
Ergo multo magis reprehendendus, qui ad judicandum vocat omnes Centuriones.

ſalvos eſſe (1). O contumelioſum (*a*) honorem iis, quos ad judicandum nec opinantes vocatis! hic enim eſt legis index (2), ut ii res in tertia decuria judicent, qui libere judicare non audeant. In quo (*b*) quantus eſt error, dii immortales, eorum, qui iſtam legem excogitaverunt! Ut enim quiſque ſordidiſſimus videbitur, ita libentiſſime ſeveritate judicandi ſordes ſuas eluet; laborabitque, ut honeſtis decuriis potius dignus videatur, quam in turpes (3) jure conjectus.

IX. Altera (*c*) promulgata lex eſt, ut & de vi, & de majeſtate damnati ad populum provocent, ſi velint. Hæc utrum tandem lex eſt, an legum omnium diſſolutio? Quis enim eſt (*d*) hodie,

legioni nomen dederat alaudæ. Narrat Suetonius in Julio, cap. 24. *Ex Tranſalpinis conſcriptam, vocabulo quoque Gallico (Alauda enim appellabatur) diſciplina cultuque Romano inſtitutam & ornatam, poſtea univerſam civitate donatam fuiſſe a Cæſare.* Quod *Alauda* vocabulum ſit Celticæ originis, confirmat Marcelli Empirici, & Gregorii Turonenſis auctoritate Iſaacus Caſaubonus, in eum Suetonii locum, Voſſius in *Etymol. v. Galerita*, ſcribit impoſitum eſſe legioni ex dicterio nomen, quod *alaudæ* avis inſtar, inſignis eſſet galearum criſtis. *Anonymus*.

(1) *Aliter enim noſtri negant poſſe ſe ſalvos eſſe*) Niſi judices habeant manipulares. *Noſtri:* amici, & familiares, omnium ſcelerum affines. Loquitur ex perſona Antonii. *Manutius*.

(2) *Legis index*) Titulus, & quaſi rubrica, ſive inſcriptio. *Abram.*

(3) *In turpes*) *Turpem*, legendum, & ex antiquo libro, & ex ſenſu: cum de una tantum, id eſt de tertia decuria loquatur, quæ ſola erat turpis. *Faern.*

A N A L Y S I S.

(a) *O contumelioſum*) Contumelioſa ipſis Judicibus; vocabantur enim ad judicandum, quod omnium perditiſſimi haberentur, ne ſceleratos cives condemnarent.

(b) *In quo*) Inutilis Antonii ſatellitibus; nam quo ſordidiores erunt judices, eo ſeveriores in judicando, ut boni viri videantur, & digni prima, & ſecunda decuria.

(c) *Altera*) Tertiam Antonii legem de provocatione ita pariter arguit *ab Effectis*.

Ea lex reprobanda, quæ nullam habet gratiam, ſummam turpitudinem, & eſt Reip. pernicioſa;
Talis eſt lex Antonii de provocatione;
Ergo reprobanda.

(d) *Quis enim eſt*) Probat in nullius gratiam factam eſſe.

hodie, cujus intersit istam legem manere? Nemo reus est istis legibus, nemo est, quem futurum putemus. Armis enim gesta nunquam profecto in judicium vocabuntur. At res popularis (1). Utinam quidem vellet is aliquid esse populare! omnes enim jam cives de reipublicæ salute, una & mente, & voce consentiunt. Quæ est igitur ista cupiditas ejus legis ferendæ, quæ turpitudinem summam habeat, gratiam nullam? Quid enim turpius (*a*), quam qui majestatem populi Romani per vim minuerit, eum, damnatum judicio, ad eam ipsam vim reverti, propter quam sit jure damnatus?

Sed quid plura de lege disputo? quasi vero id agatur, ut quisquam provocet. Id agitur (*b*), id fertur, ne quis omnino unquam istis legibus reus fiat. Quis enim aut accusator tam amens reperietur, qui, reo condemnato, objici * se multitudini conductæ velit? aut judex, qui reum damnare audeat, ut ipse ad operas mercenarias statim protrahatur? Non igitur provocatio ista lege datur, sed duæ maxime salutares leges quæstionesque tolluntur. Quid est aliud igitur ** adhortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditiosi, ut perniciosi cives velint esse? Quam autem ad reipublicæ pestem furor tribunitius impelli non poterit, his duabus quæstionibus, de vi, & de majestate, sublatis?

Quid, quod (*c*) obrogatur legibus Cæsaris, quæ jubent, ei, qui de vi, itemque ei, qui ma-

* *Objicere se.* ** In vulg. *deest igitur*.

(1) *Popularis*) Quia provocatio populi potestatem auget. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Quid enim turpius*) Turpitudinem legis ostendit.

(b) *Id agitur*) Reip. perniciosam esse probat *a Consequentibus*.

(c) *Quid, quod*) Et legem Cæsaris abrogari, quod spectat ad argumentum primo loco allatum, ubi etiam *Propositionis* approbatio *a minori ad majus* tertio repetitur.

jestatis damnatus sit, aqua & igni interdici? quibus cum provocatio datur, nonne acta Cæsaris rescinduntur? Quæ quidem ego, Patres conscripti, qui illa nunquam probavi, ita conservanda Concordiæ causa arbitratus sum, ut non modo, quas vivus Cæsar leges tulisset, infirmandas hoc tempore non putarem, sed ne illas quidem, quas post mortem Cæsaris prolatas esse & fixas videtis.

X. De exilio reducti a mortuo (1): civitas data non solum singulis, sed nationibus, & provinciis universis a mortuo: immunitatibus infinitis sublata vectigalia a mortuo. Ergo hæc uno *, verum optimo, auctore domo prolata defendimus: eas leges, quas ipse, nobis inspectantibus, recitavit, pronuntiavit, tulit, quibus latis gloriabatur, iisque legibus rempublicam contineri putabat, de provinciis, de judiciis, eas, inquam, Cæsaris leges, nos, qui defendimus acta Cæsaris, evertendas putamus?

Ac de iis tamen (a) legibus, quæ promulgatæ sunt, saltem queri possumus: de iis, quæ jam latæ dicuntur, ne illud quidem licuit. Illæ enim nulla promulgatione latæ sunt ante quam scriptæ. Quærunt, quid sit, cur aut ego, aut quisquam vestrum, Patres Conscripti, bonis tribunis plebis leges malas metuat. Paratos habemus, qui intercedant: paratos, qui rempublicam religione defendant:

* Vulg. *Ergo hæc, uno viro optimo auctore.*

(1) *A mortuo*) Jocosa, & eadem tamen acerba narratio. Mortuorum enim actio nulla est: at Cæsar mortuus exules reduxit, civitatem, immunitates dedit. Nam Antonius iis de rebus leges protulit, & in Capitolio fixit, ut Cæsaris leges. Phil. 2. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *Ac de iis tamen*) Transit ad leges promulgandas quamprimum ab Antonio, & ut caveant, Patres hortatur, sic *ab Adjunctis*:

Ab eo cavere debetis, qui in legibus ferendis intercessiones, & auspicia negligit, vi autem, & armis utitur;
Talis est Antonius;
Ergo ab eo cavere maxime debetis, ne leges perniciosas ferat.

dant: vacui metu esse debemus. Quas tu mihi (1), inquit, intercessiones, quas religiones? Eas scilicet, quibus reipublicæ salus continetur. Negligimus ista, & nimis antiqua & stulta ducimus. Forum sepietur: omnes claudentur aditus: armati in præsidiis multis locis collocabuntur.

Quid tum? Quod erit ita gestum, id lex erit; & in æs incidi * videbitis. Cedo illa legitima: *Consules populum jure rogaverunt*; hoc enim a majoribus accepimus jus rogandi; *populusque jure scivit*. Qui populus? isne, qui exclusus est (2)? quo jure? an eo, quod vi & armis omne sublatum est? Atque ego hoc dico de futuris: quod est ** augurum, ante dicere ea, quæ vitari possunt: quæ si facta non erunt, refelletur oratio mea. Loquor de legibus promulgatis, de quibus est integrum vobis. Demonstro vitia: tollite. Denuntio vim, arma: removete.

TERTIA PARS.

XI. Irasci vos (a) quidem mihi, Dolabella, pro republica dicenti, non oportebit. Quanquam te quidem id facturum non arbitror: novi enim facilitatem tuam. Collegam tuum ajunt in hac sua fortuna, quæ bona ipsi videtur; mihi, ne gravius quippiam dicam, avorum & avunculi sui consulatum si imitaretur, fortunatior videretur: sed eum iracun-

* Vict. Man. Lamb. *jubebitis*.
** Grut. *amicorum*.
(1) *Quas tu mihi*) Per dialogismum inducit Antonium irridentem eos, qui vel intercessionibus, vel obnuntiationibus Tribunorum plebis volebant malas leges impedire. *Abram*.
(2) *Isne, qui exclusus est*) Isne populus eam legem scivit, & suffragio suo comprobavit, qui septis & militum præsidiis sic exclusus est, ut non potuerit ad forum accedere? *Idem*.

ANALYSIS.
(a) *Irasci vos*) Jam vero utrumque Consulem hortatur, ut sana consilia sequi velint; ostendit autem, se de Dolabella bene sperare, & Antonium timere.

iracundum audio esse factum. Video autem, quam sit odiosum habere eundem iratum & armatum, cum tanta præsertim gladiorum sit impunitas. Sed proponam (*a*) jus, ut opinor, æquum, quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, si quid in vitam ejus, aut in mores contumeliose * dixero, quo minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. Sin consuetudinem meam, quam in republica semper habui, tenuero, id est, si libere, quæ sentiam, de republica dixero; primum deprecor, ne irascatur, deinde, si hoc non impetro, peto, ut sic irascatur, ut civi. Armis utatur, si ita necesse est, ut dicit, sui defendendi causa: iis, qui pro republica, quæ ipsis visa erunt, dixerint, ista arma ne noceant. Quid hac postulatione dici potest æquius?

Quod si, ut a quibusdam mihi ejus familiaribus dictum est, omnis eum, quæ habetur contra voluntatem ejus, oratio graviter offendit, etiam si nulla inest contumelia, feremus amici naturam. Sed iidem illi ita mecum (1): Non idem tibi adversario Cæsaris licebit, quod Pisoni socero. Et simul admonent quiddam, quod cavebimus: nec erit justior, Patres Conscripti, in senatum non veniendi morbi causa, quam mortis.

XII.

* Vulg. *cum contumelia*.

(1) *Sed iidem illi ita mecum*) Familiares Antonii ita mecum loquuntur: Non est quod tibi persuadeas, M. Tulli, te impune laturum, si libere animi tui sensus exprompseris, conquestusque fueris de republica ex eo, quod L. Piso Kalendis Sextilibus impune de Antonio conquestus est: non enim tibi (qui bello civili secutus es Pompejum contra Cæsarem) idem licebit quod Pisoni, qui Cæsaris socer fuit. Sic, inquam, mecum loquuntur Antonii familiares, simulque admonent ut caveam, ne si liberius locutus fuero, mihi nex inferatur. Quod cavebimus, &, si propter morbum licet abesse a Senatu, non minus ob mortis periculum domi me continebo. *Ab.*

A N A L Y S I S.

(a) *Sed proponam*) Conditiones, quas Antonio proponit, ne sibi, quæ sentiat, libere dicenti irasci velit, aut irasci civiliter, sine vi, & armis, quæ cum minentur amici Antonii, se promptum fore ad cavendum profitetur.

XII. Sed per Deos (*a*) immortales! te enim intuens, Dolabella, qui es mihi cariſſimus, non poſſum de utriuſque veſtrum errore reticere. Credo enim vos, homines nobiles, magna quædam ſpectantes, non pecuniam, ut quidam nimis creduli ſuſpicantur, quæ ſemper ab ampliſſimo quoque clariſſimoque contempta eſt, non opes violentas, & populo Romano minime ferendam potentiam, ſed caritatem civium & gloriam concupiſſe. Ea autem (*b*) eſt gloria, laus recte factorum *, magnorumque in rempublicam meritorum, quæ cum optimi cujuſque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobatur.

Dicerem (*c*), Dolabella, qui recte factorum fructus eſſet, niſi te præter cæteros pauliſper eſſe expertum viderem. Quem potes recordari in vita illuxiſſe tibi diem lætiorem, quam cum, expiato foro (1), diſſipato concurſu impiorum, principibus ſceleris pœna affectis, urbe incendio, & cædis metu liberata, te domum recepiſti? Cujus ordinis, cujus generis, cujus denique fortunæ ſtudia tum laudi, & gratulationi tuæ ſe non obtulerunt? Quin mihi etiam, quo auctore te in iis rebus uti arbitrabantur, & gratias boni viri agebant, & tuo nomine gratulabantur. Recordare, quæſo, Dolabella, conſenſum illum

* Vulg. *Eſt autem gloria laus recte factorum, magnorum in remp. fama meritorum.*

(1) *Expiato foro*) Everſa columna, de qua dictum eſt cap. 2.

ANALYSIS.

(a) *Sed per Deos*) Dolabellam igitur ſic admonet *a Cauſa finali*:
Qui gloriam concupiſcit, debet de Rep. benemereri;
Sed tu gloriam concupiſcis;
Ergo debes de Rep. bene mereri.
Aſſumptio præcedit amplificata *a Diſſimilibus*, quod in viris nobilibus gloriæ tantum cupiditas ineſſe debeat, non pecuniæ, vel immodicæ potentiæ.

(b) *Ea autem*) *Propoſitionis* prima approbatio *a Definitione* gloriæ.

(c) *Dicerem*) Secunda approbatio *ab Effectis*; commemorat enim, quantam ſibi gloriam adeptus fuerit Dolabella, cum evertit columnam illam a perditis hominibus in foro Cæſari extructam, de qua ſupra.

illum theatri, cum omnes earum rerum obliti, propter quas tibi fuerant offensi, significaverunt, se novo beneficio memoriam veteris doloris abjecisse. Hanc tu (*a*), P. Dolabella, (magno loquor cum dolore) hanc tu, inquam, animo æquo potuisti tantam dignitatem deponere?

XIII. Tu autem (*b*), M. Antoni *, (absentem enim appello) unum illum diem (1), quo in æde Telluris senatus fuit, non omnibus iis mensibus, quibus te quidam, multum a me dissentientes, beatum putant, anteponis? Quæ fuit oratio ** de concordia? quanto metu veterani, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est? Tuum collegam, depositis inimicitiis, oblitus auspiciorum (2), te ipso augure nuntiante, illo primum die collegam tibi esse voluisti: tuus parvulus filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit. Quo senatus die lætior? quo populus Romanus? qui quidem nulla in concione unquam frequentior fuit. Tum denique liberati per viros fortissimos videbamur; quia, ut illi voluerant, libertatem pax sequebatur. Proximo, altero, tertio, reliquis *** consecutis diebus, non intermittebas quasi donum aliquod quotidie afferre reipublicæ. Maximum autem

(*a*)

* Vulg. *Te autem*, M. *Antoni*, *absentem appello*.
** Vul. *oratio tua*. *** Vulg. *denique reliquis*.
(1) *Illum diem*) Biduo post Cæsaris mortem. *Ferrat*.
(2) *Oblitus auspiciorum*) Nam Antonius obnuntiatione vitiaverat Dolabellæ comitia habita paulo ante Cæsaris mortem. *Ferrat*. Vulg. *Cum collegam tuum*, *depositis inimicitiis*, *oblitus auspiciorum a te ipso augure P. R. nuntiatorum*, *illo primum die collegam tibi esse voluisti: reip. tuus parvulus filius* &c.

ANALYSIS.

(a) *Hanc tu*) *Complexio*.
(b) *Tu autem*) Nunc per *apostrophen* Antonium absentem alloquitur, & ad bene de Rep. merendum hortatur, multis argumentis; sic autem primum *ab Effectis*:

Qui ex recte factis magnam gloriam adeptus est, non debet se ad prava consilia convertere;
Sed ex iis, quæ pro Rep. egregie fecisti, magnam gloriam adeptus es;
Ergo te ad prava consilia convertere non debes.

(a) illud, quod dictaturæ nomen sustulisti. Hæc inusta est a te, a te, inquam, mortuo Cæsari nota ad ignominiam sempiternam. Ut enim propter unius M. Manlii scelus (1), decreto gentis Manliæ, neminem patricium M. Manlium vocari licet, sic tu propter unius dictatoris odium, nomen dictatoris funditus sustulisti.

Num te*, cum pro salute reipublicæ tanta gessisses, fortunæ tuæ, num amplitudinis, num claritatis, num gloriæ pœnitebat? Unde igitur subito tanta ista mutatio? Non possum (b) adduci, ut suspicer, te pecunia captum. Licet, quod cuique libet, loquatur. Credere non est necesse. Nihil enim unquam in te sordidum, nihil humile cognovi. Quanquam solent domestici (2) depravare nonnunquam: sed novi firmitatem tuam. Atque utinam, ut culpam, sic etiam suspicionem vitare potuisses!

XIV. Illud magis vereor, ne, ignorans verum iter gloriæ, gloriosum putes, plus te unum posse, quam omnes: & metui a civibus tuis, quam diligi,

* Vulg. *num hujusce... fortunæ te*.

(1) *Unius M. Manlii scelus*) Qui cum reipublicæ dominatum invadere conaretur, de saxo Tarpejo dejectus est, eaque notatus ignominia, ut in odium illius sceleris, nemo de patricia Manliorum gente Marci prænomen in posterum obtineret. *Abram.*

(2) *Domestici*) Latenter avaritiam carpit Fulviæ, Antonii uxoris, quæ C. Curionis, & P. Clodii uxor quoque fuerat. *Manut.* al. *quamquam nihil est tam sanctum, quod non soleant*.

ANALYSIS.

(a) *Maximum autem*) Enumerat, quæ recte pro Rep. fecerat Antonius: & amplificat *a Pari* Dictaturam ab ipso sublatam in odium Cæsaris.

(b) *Non possum*) Secundo, cum illius avaritiam leviter perstringat, aperte coarguit ambitionem *a Causa finali:*

Qui gloriam appetit, amari a Civibus debet, non metui;
Ergo, si tu gloriam appetis, amorem apud tuos quæras, non metum.

Pars *antecedens* probatur a diversis *Effectis* vel amoris, vel metus; & confirmatur de metu, exemplo Atrei, cujus dictum habetur apud Accium Poetam, de Amore, exemplo M. Antonii Oratoris.

diligi, malis. Quod si ita putas, totam ignoras viam gloriæ. Carum esse civem, bene de republica mereri, laudari, coli, diligi, gloriosum est. Metui vero, & in odio esse, invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. Quod videmus etiam in fabulis, ipsi illi, qui *Oderint* (1), *dum metuant*, dixerit, perniciosum fuisse. Utinam, Antoni, avum tuum meminisses! de quo tamen multa audisti ex me * sæpissime. Putasne illum immortalitatem mereri voluisse, ut propter armorum habendorum licentiam metueretur? Illa erat vita, illa secunda fortuna, libertate esse parem cæteris, principem dignitate. Itaque, ut omittam res avi tui prosperas, acerbissimum ejus diem supremum malim, quam L. Cinnæ dominatum, a quo ille crudelissime est interfectus (2).

Sed quid (*a*) oratione te flectam? Si enim exitus C. Cæsaris efficere non potest, ut malis carus esse, quam metui, nihil cujusquam proficiet, nec valebit oratio. Quem qui beatum fuisse putant, mi-

* Vulg. *ex me*, *eaque sæpissime*.

(1) *Oderint*) Vide lib. 1. de Officiis, cap. 28.

(2) *Crudelissime est interfectus*) Cum civitas ita data esset Italicis, ut in octo tribus novi cives contribuerentur, ne potentia eorum & multitudo veterum civium potentiam frangeret, L. Cinna Consul legem tulit de admiscendis novis civibus in omnes tribus: Sed altero Cos. Cn. Octavio resistente non sine suorum strage primum servos vocavit ad pileum, deinde ex urbe cessit: eique L. Merula Flamen Dialis in consulatu a Senatu suffectus est. Cinna Nolam contendit, & ab exercitu, qui circa Nolam erat receptus, adscito in partes Mario, rediit in urbem, in eaque sic dominatus est, ut Octavium, Antonium, Merulam, Catulum, aliosque principes civitatis occiderit, quatuorque continuos gesserit consulatus, donec tandem quarto consulatu a suis militibus contrucidatus tot civium suorum strages expiavit. Vide Plutar. in Marco, Epitomen, Vellejum, Appianum. *Abram*.

ANALYSIS.

(a) *Sed quid*) Tertio utitur *Exemplo* C. Cæsaris, hunc in modum:

Infelix omnino censendus est C. Cæsar;
Sed ideo est infelix, quia metui a Civibus maluit, quam amari;
Ergo tu hoc idem cavere debes.

miserrimi ipsi sunt. Beatus est (*a*) nemo, qui ea lege vivit, ut non modo impune, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici possit. Quare (*b*) flecte te, quæso, & majores tuos respice, atque ita guberna rempublicam, ut natum esse te cives tui gaudeant: sine quo nec beatus, nec clarus * quisquam esse omnino potest.

XV. Populi (*c*) quidem Romani judicia multa ambo habetis, quibus vos non satis moveri permoleste fero. Quid enim (*d*) gladiatoribus (1) clamores innumerabilium civium? quid populi versus **? quid Pompeji statuæ (2) plausus infiniti? quid iis tribunis plebis, qui vobis adversantur? parumne hæc significant, incredibiliter consentientem populi Romani universi voluntatem? Quid? Apollinarium (*e*) ludorum *** plausus, vel testimonia potius & judicia populi Romani parum magna (3) vobis videbantur? O beatos illos, qui, cum adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen,

* Vulg. *clarus esse quisquam potest*. ** Vulg. *concursus*.
*** Vulg. *Apollinaribus ludis*.

(1) *Gladiatoribus*) Ipsos gladiatorios ludos intelligit. *Abram*.

(2) *Pompeji statuæ*) Adeo populus Romanus amore pristinæ libertatis exarserat, ut videns Pompeji statuam applauderet, & ipsi Pompejo gratularetur. *Idem*.

(3) *Parum magna*) vulg. *vobis parva videbantur?*

ANALYSIS.

( ) *Beatus est*) *Propositionis* approbatio *a Consequentibus*; ejus vita infelix est, cujus mors est omnibus grata.

(b) *Quare*) Hinc sequitur admonitio.

(c) *Populi*) Ultimo arguit *a Præjudiciis*, tali ratione:
Populus discordiæ auctores detestatur, si eos, qui concordiæ student, mirifice laudat, & colit;
Sed qui concordiæ, & paci student, mirifice a populo laudantur, & coluntur;
Ergo Vos discordiæ auctores pessime odit.

(d) *Quid enim*) Ad confirmandam *Assumptionem*, commemorantur plausus a populo impertiti Conjuratis, Pompejo, & Tribunis Antonii adversariis, dum in Theatro Pompeji Gladiatores dabantur.

(e) *Quid? Apollinarium*) Deinde, cum absens M. Brutus ludos Apollinares daret, quippe Prætor Urbanus; ostendit plausus illos non datos Accio Poetæ; cujus fabula, Brutus, inscripta agebatur, sed M. Bruto Cæsaris interfectori; quin illud fuisse populi universi de Bruto judicium amplissimum.

men, & in medullis populi Romani ac visceribus hærebant! Nisi forte Accio tum plaudi, & sexagesimo post anno (1) palmam dari putabatis, non Bruto; qui his ludis * ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribuerit absenti, desiderium liberatoris sui, perpetuo plausu & clamore lenierit.

Equidem is sum, qui istos plausus, cum a popularibus civibus tribuerentur, semper contempserim: idemque cum a summis, mediis, infimis, cum denique ab universis hoc idem fit, cumque ii, qui ante sequi populi consensum solebant, fugiunt, non plausum illum, sed judicium puto. Sin hæc (a) leviora vobis videntur, quæ sunt gravissima, num etiam hoc contemnitis, quod sensistis, tam caram populo Romano vitam A. Hirtii (2) fuisse? Satis enim erat, probatum illum esse populo Romano, ut est: jucundum amicis, in quo vincit omnes: carum suis, quibus est carissimus: tantam tamen sollicitudinem bonorum, tantum timorem omnium **, in quo meminimus? Certe in nullo. Quid igitur (b)? hoc vos, per deos immortales! quale sit, non interpretamini? quid eos de vestra vita cogitare censetis, quibus eorum, quos sperant reipublicæ consulturos, vita tam cara sit?

Cepi,

* Vulg. *ludis suis*. ** In vulg. deest *omnium*.

(1) *Nisi forte Accio tum plaudi, & sexagesimo post anno*) Nisi forte cum illis ludis plauderetur, Accio poetæ, cujus tragœdia nomine Tereus exhibebatur, plaudi, eique sexagesimo anno postquam scripta est ea tragœdia, palmam dari putabatis, non Bruto ludorum editori. *Abram*.

(2) *A. Hirtii*) Hirtio consule designato, graviter ægrotante, populus Romanus, quia speraret eum in consulatu rempublicam defensurum, pro ejus incolumitate vota suscepit. Phil. 7. & 10. *Manutius*.

ANALYSIS.

(a) *Sin hæc*) Tandem pro Hirtio Consule design., cum graviter ægrotaret, vota publice facta commemorat, quod bene de Rep. putaretur sentire.

(b) *Quid igitur?*) Hæc est argumenti *Complexio*.

Cepi, Patres Conſcripti, reverſionis meæ fructum (*a*): quoniam & ea dixi, ut, quicunque caſus conſecutus eſſet, extaret conſtantiæ meæ teſtimonium; & ſum a vobis benigne ac diligenter auditus. Quæ poteſtas ſi mihi ſæpius ſine meo veſtroque periculo fiet, utar: Sin minus, quantum potero, non tam mihi me, quam reipublicæ reſervabo. Mihi fere ſatis eſt, quod vixi, vel ad ætatem, vel ad gloriam. Huc ſi quid acceſſerit, non tam mihi, quam vobis, reique publicæ acceſſerit.

ANALYSIS.

(a) *Cepi..... fructum*) Concludit Orationem eodem modo, quo exorſus eſt; nam ideo reverterat, ut quæ ſentiret, libere diceret in Senatu; & eamdem optimam in Remp. voluntatem etiam in poſterum pollicetur.



iracundum audio esse factum. Video autem, quam sit odiosum habere eundem iratum & armatum, cum tanta præsertim gladiorum sit impunitas. Sed proponam (*a*) jus, ut opinor, æquum, quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, si quid in vitam ejus, aut in mores contumeliose * dixero, quo minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. Sin consuetudinem meam, quam in republica semper habui, tenuero, id est, si libere, quæ sentiam, de republica dixero; primum deprecor, ne irascatur, deinde, si hoc non impetro, peto, ut sic irascatur, ut civi. Armis utatur, si ita necesse est, ut dicit, sui defendendi causa: iis, qui pro republica, quæ ipsis visa erunt, dixerint, ista arma ne noceant. Quid hac postulatione dici potest æquius?

Quod si, ut a quibusdam mihi ejus familiaribus dictum est, omnis eum, quæ habetur contra voluntatem ejus, oratio graviter offendit, etiam si nulla inest contumelia, feremus amici naturam. Sed iidem illi ita mecum (1): Non idem tibi adversario Cæsaris licebit, quod Pisoni socero. Et simul admonent quiddam, quod cavebimus: nec erit justior, Patres Conscripti, in senatum non veniendi morbi causa, quam mortis.

XII.

* Vulg. *cum contumelia*.

(1) *Sed iidem illi ita mecum*) Familiares Antonii ita mecum loquuntur: Non est quod tibi persuadeas, M. Tulli, te impune laturum, si libere animi tui sensus exprompseris, conquestusque fueris de republica ex eo, quod L. Piso Kalendis Sextilibus impune de Antonio conquestus est: non enim tibi (qui bello civili secutus es Pompejum contra Cæsarem) idem licebit quod Pisoni, qui Cæsaris socer fuit. Sic, inquam, mecum loquuntur Antonii familiares, simulque admonent ut caveam, ne si liberius locutus fuero, mihi nex inferatur. Quod cavebimus, &, si propter morbum licet abesse a Senatu, non minus ob mortis periculum domi me continebo. *Ab.*

A N A L Y S I S.

(a) *Sed proponam*) Conditiones, quas Antonio proponit, ne sibi, quæ sentiat, libere dicenti irasci velit, aut irasci civiliter, sine vi, & armis, quæ cum minentur amici Antonii, se promptum fore ad cavendum profitetur.

XII. Sed per Deos (*a*) immortales! te enim intuens, Dolabella, qui es mihi carissimus, non possum de utriusque vestrum errore reticere. Credo enim vos, homines nobiles, magna quædam spectantes, non pecuniam, ut quidam nimis creduli suspicantur, quæ semper ab amplissimo quoque clarissimoque contempta est, non opes violentas, & populo Romano minime ferendam potentiam, sed caritatem civium & gloriam concupisse. Ea autem (*b*) est gloria, laus recte factorum *, magnorumque in rempublicam meritorum, quæ cum optimi cujusque, tum etiam multitudinis testimonio comprobatur.

Dicerem (*c*), Dolabella, qui recte factorum fructus esset, nisi te præter cæteros paulisper esse expertum viderem. Quem potes recordari in vita illuxisse tibi diem lætiorem, quam cum, expiato foro (1), dissipato concursu impiorum, principibus sceleris pœna affectis, urbe incendio, & cædis metu liberata, te domum recepisti? Cujus ordinis, cujus generis, cujus denique fortunæ studia tum laudi, & gratulationi tuæ se non obtulerunt? Quin mihi etiam, quo auctore te in iis rebus uti arbitrabantur, & gratias boni viri agebant, & tuo nomine gratulabantur. Recordare, quæso, Dolabella, consensum illum

* Vulg. *Est autem gloria laus recte factorum, magnorum in remp. fama meritorum.*

(1) *Expiato foro*) Eversa columna, de qua dictum est cap. 2.

ANALYSIS.

(a) *Sed per Deos*) Dolabellam igitur sic admonet *a Causa finali*:
Qui gloriam concupiscit, debet de Rep. benemereri;
Sed tu gloriam concupiscis;
Ergo debes de Rep. bene mereri.
Assumptio præcedit amplificata *a Dissimilibus*, quod in viris nobilibus gloriæ tantum cupiditas inesse debeat, non pecuniæ, vel immodicæ potentiæ.

(b) *Ea autem*) *Propositionis* prima approbatio *a Definitione* gloriæ.

(c) *Dicerem*) Secunda approbatio *ab Effectis*; commemorat enim, quantam sibi gloriam adeptus fuerit Dolabella, cum evertit columnam illam a perditis hominibus in foro Cæsari exstructam, de qua supra.

illum theatri, cum omnes earum rerum obliti, propter quas tibi fuerant offensi, significaverunt, se novo beneficio memoriam veteris doloris abjecisse. Hanc tu (*a*), P. Dolabella, (magno loquor cum dolore) hanc tu, inquam, animo æquo potuisti tantam dignitatem deponere?

XIII. Tu autem (*b*), M. Antoni *, (absentem enim appello) unum illum diem (1), quo in æde Telluris senatus fuit, non omnibus iis mensibus, quibus te quidam, multum a me dissentientes, beatum putant, anteponis? Quæ fuit oratio ** de concordia? quanto metu veterani, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est? Tuum collegam, depositis inimicitiis, oblitus auspiciorum (2), te ipso augure nuntiante, illo primum die collegam tibi esse voluisti: tuus parvulus filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit. Quo senatus die lætior? quo populus Romanus? qui quidem nulla in concione unquam frequentior fuit. Tum denique liberati per viros fortissimos videbamur; quia, ut illi voluerant, libertatem pax sequebatur. Proximo, altero, tertio, reliquis *** consecutis diebus, non intermittebas quasi donum aliquod quotidie afferre reipublicæ. Maximum autem

(*a*)

* Vulg. *Te autem*, *M. Antoni*, *absentem appello*.
** Vul. *oratio tua*. *** Vulg. *denique reliquis*.
(1) *Illum diem*) Biduo post Cæsaris mortem. *Ferrat*.
(2) *Oblitus auspiciorum*) Nam Antonius obnuntiatione vitiaverat Dolabellæ comitia habita paulo ante Cæsaris mortem. *Ferrat*. Vulg. *Cum collegam tuum, depositis inimicitiis, oblitus auspiciorum a te ipso augure P. R. nuntiatorum, illo primum die collegam tibi esse voluisti: reip. tuus parvulus filius* &c.

ANALYSIS.

(a) *Hanc tu*) *Complexio*.
(b) *Tu autem*) Nunc per *apostrophen* Antonium absentem alloquitur, & ad bene de Rep. merendum hortatur, multis argumentis; sic autem primum *ab Effectis*:

Qui ex recte factis magnam gloriam adeptus est, non debet se ad prava consilia convertere;
Sed ex iis, quæ pro Rep. egregie fecisti, magnam gloriam adeptus es;
Ergo te ad prava consilia convertere non debes.

(*a*) illud, quod dictaturæ nomen sustulisti. Hæc inusta est a te, a te, inquam, mortuo Cæsari nota ad ignominiam sempiternam. Ut enim propter unius M. Manlii scelus (1), decreto gentis Manliæ, neminem patricium M. Manlium vocari licet, sic tu propter unius dictatoris odium, nomen dictatoris funditus sustulisti.

Num te*, cum pro salute reipublicæ tanta gessisses, fortunæ tuæ, num amplitudinis, num claritatis, num gloriæ pœnitebat? Unde igitur subito tanta ista mutatio? Non possum (*b*) adduci, ut suspicer, te pecunia captum. Licet, quod cuique libet, loquatur. Credere non est necesse. Nihil enim unquam in te sordidum, nihil humile cognovi. Quanquam solent domestici (2) depravare nonnunquam: sed novi firmitatem tuam. Atque utinam, ut culpam, sic etiam suspicionem vitare potuisses!

XIV. Illud magis vereor, ne, ignorans verum iter gloriæ, gloriosum putes, plus te unum posse, quam omnes: & metui a civibus tuis, quam diligi,

* Vulg. *num hujusce... fortunæ te*.

(1) *Unius M. Manlii scelus*) Qui cum reipublicæ dominatum invadere conaretur, de saxo Tarpejo dejectus est, eaque notatus ignominia, ut in odium illius sceleris, nemo de patricia Manliorum gente Marci prænomen in posterum obtineret. *Abram.*

(2) *Domestici*) Latenter avaritiam carpit Fulviæ, Antonii uxoris, quæ C. Curionis, & P. Clodii uxor quoque fuerat. *Manut.* al. *quamquam nihil est tam sanctum, quod non soleant*.

ANALYSIS.

(a) *Maximum autem*) Enumerat, quæ recte pro Rep. fecerat Antonius: & amplificat *a Pari* Dictaturam ab ipso sublatam in odium Cæsaris.

(b) *Non possum*) Secundo, cum illius avaritiam leviter perstringat, aperte coarguit ambitionem *a Causa finali:*

Qui gloriam appetit, amari a Civibus debet, non metui;
Ergo, si tu gloriam appetis, amorem apud tuos quæras, non metum.

Pars *antecedens* probatur a diversis *Effectis* vel amoris, vel metus; & confirmatur de metu, exemplo Atrei, cujus dictum habetur apud Accium Poetam, de Amore, exemplo M. Antonii Oratoris.

diligi, malis. Quod si ita putas, totam ignoras viam gloriæ. Carum esse civem, bene de republica mereri, laudari, coli, diligi, gloriosum est. Metui vero, & in odio esse, invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. Quod videmus etiam in fabulis, ipsi illi, qui *Oderint* (1), *dum metuant*, dixerit, perniciosum fuisse. Utinam, Antoni, avum tuum meminisses! de quo tamen multa audisti ex me * sæpissime. Putasne illum immortalitatem mereri voluisse, ut propter armorum habendorum licentiam metueretur? Illa erat vita, illa secunda fortuna, libertate esse parem cæteris, principem dignitate. Itaque, ut omittam res avi tui prosperas, acerbissimum ejus diem supremum malim, quam L. Cinnæ dominatum, a quo ille crudelissime est interfectus (2).

Sed quid (*a*) oratione te flectam? Si enim exitus C. Cæsaris efficere non potest, ut malis carus esse, quam metui, nihil cujusquam proficiet, nec valebit oratio. Quem qui beatum fuisse putant, mi-

* Vulg. *ex me, eaque sæpissime*.

(1) *Oderint*) Vide lib. I. de Officiis, cap. 28.

(2) *Crudelissime est interfectus*) Cum civitas ita data esset Italicis, ut in octo tribus novi cives contribuerentur, ne potentia eorum & multitudo veterum civium potentiam frangeret, L. Cinna Consul legem tulit de admiscendis novis civibus in omnes tribus: Sed altero Cos. Cn. Octavio resistente non sine suorum strage primum servos vocavit ad pileum, deinde ex urbe cessit: eique L. Merula Flamen Dialis in consulatu a Senatu suffectus est. Cinna Nolam contendit, & ab exercitu, qui circa Nolam erat receptus, adscito in partes Mario, rediit in urbem, in eaque sic dominatus est, ut Octavium, Antonium, Merulam, Catulum, aliosque principes civitatis occiderit, quatuorque continuos gesserit consulatus, donec tandem quarto consulatu a suis militibus contrucidatus tot civium suorum strages expiavit. Vide Plutar. in Marco, Epitomen, Vellejum, Appianum. *Abram*.

A N A L Y S I S.

(a) *Sed quid*) Tertio utitur *Exemplo* C. Cæsaris, hunc in modum:

Infelix omnino censendus est C. Cæsar;

Sed ideo est infelix, quia metui a Civibus maluit, quam amari;

Ergo tu hoc idem cavere debes.

miserrimi ipsi sunt. Beatus est (*a*) nemo, qui ea lege vivit, ut non modo impune, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici possit. Quare (*b*) flecte te, quæso, & majores tuos respice, atque ita guberna rempublicam, ut natum esse te cives tui gaudeant: sine quo nec beatus, nec clarus * quisquam esse omnino potest.

XV. Populi (*c*) quidem Romani judicia multa ambo habetis, quibus vos non satis moveri permoleste fero. Quid enim (*d*) gladiatoribus (1) clamores innumerabilium civium? quid populi versus **? quid Pompeji statuæ (2) plausus infiniti? quid iis tribunis plebis, qui vobis adversantur? parumne hæc significant, incredibiliter consentientem populi Romani universi voluntatem? Quid? Apollinarium (*e*) ludorum *** plausus, vel testimonia potius & judicia populi Romani parum magna (3) vobis videbantur? O beatos illos, qui, cum adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen,

* Vulg. *clarus esse quisquam potest*. ** Vulg. *concursus*.
*** Vulg. *Apollinaribus ludis*.

(1) *Gladiatoribus*) Ipsos gladiatorios ludos intelligit. *Abram*.

(2) *Pompeji statuæ*) Adeo populus Romanus amore pristinæ libertatis exarserat, ut videns Pompeji statuam applauderet, & ipsi Pompejo gratularetur. *Idem*.

(3) *Parum magna*) vulg. *vobis parva videbantur?*

ANALYSIS.

( ) *Beatus est*) *Propositionis* approbatio a *Consequentibus*; ejus vita infelix est, cujus mors est omnibus grata.

(b) *Quare*) Hinc sequitur admonitio.

(c) *Populi*) Ultimo arguit *a Præjudiciis*, tali ratione:
Populus discordiæ auctores detestatur, si eos, qui concordiæ student, mirifice laudat, & colit;
Sed qui concordiæ, & paci student, mirifice a populo laudantur, & coluntur;
Ergo Vos discordiæ auctores pessime odit.

(d) *Quid enim*) Ad confirmandam *Assumptionem*, commemorantur plausus a populo impertiti Conjuratis, Pompejo, & Tribunis Antonii adversariis, dum in Theatro Pompeji Gladiatores dabantur.

(e) *Quid? Apollinarium*) Deinde, cum absens M. Brutus ludos Apollinares daret, quippe Prætor Urbanus; ostendit plausus illos non datos Accio Poetæ; cujus fabula, Brutus, inscripta agebatur, sed M. Bruto Cæsaris interfectori; quin illud fuisse populi universi de Bruto judicium amplissimum.

jestatis damnatus sit, aqua & igni interdici? quibus cum provocatio datur, nonne acta Cæsaris rescinduntur? Quæ quidem ego, Patres conscripti, qui illa nunquam probavi, ita conservanda Concordiæ causa arbitratus sum, ut non modo, quas vivus Cæsar leges tulisset, infirmandas hoc tempore non putarem, sed ne illas quidem, quas post mortem Cæsaris prolatas esse & fixas videtis.

X. De exilio reducti a mortuo (1): civitas data non solum singulis, sed nationibus, & provinciis universis a mortuo: immunitatibus infinitis sublata vectigalia a mortuo. Ergo hæc uno *, verum optimo, auctore domo prolata defendimus: eas leges, quas ipse, nobis inspectantibus, recitavit, pronuntiavit, tulit, quibus latis gloriabatur, iisque legibus rempublicam contineri putabat, de provinciis, de judiciis, eas, inquam, Cæsaris leges, nos, qui defendimus acta Cæsaris, evertendas putamus?

Ac de iis tamen (a) legibus, quæ promulgatæ sunt, saltem queri possumus: de iis, quæ jam latæ dicuntur, ne illud quidem licuit. Illæ enim nulla promulgatione latæ sunt ante quam scriptæ. Quærunt, quid sit, cur aut ego, aut quisquam vestrum, Patres Conscripti, bonis tribunis plebis leges malas metuat. Paratos habemus, qui intercedant: paratos, qui rempublicam religione defendant:

* Vulg. *Ergo hæc, uno viro optimo auctore.*

(1) *A mortuo*) Jocosa, & eadem tamen acerba narratio. Mortuorum enim actio nulla est: at Cæsar mortuus exules reduxit, civitatem, immunitates dedit. Nam Antonius iis de rebus leges protulit, & in Capitolio fixit, ut Cæsaris leges. Phil. 2. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Ac de iis tamen*) Transit ad leges promulgandas quamprimum ab Antonio, & ut caveant, Patres hortatur, sic *ab Adjunctis*:

Ab eo cavere debetis, qui in legibus ferendis intercessiones, & auspicia negligit, vi autem, & armis utitur;
Talis est Antonius;
Ergo ab eo cavere maxime debetis, ne leges perniciosas ferat.

dant: vacui metu esse debemus. Quas tu mihi (1), inquit, intercessiones, quas religiones? Eas scilicet, quibus reipublicæ salus continetur. Negligimus ista, & nimis antiqua & stulta ducimus. Forum sepietur: omnes claudentur aditus: armati in præsidiis multis locis collocabuntur.

Quid tum? Quod erit ita gestum, id lex erit; & in æs incidi * videbitis. Cedo illa legitima: *Consules populum jure rogaverunt*; hoc enim a majoribus accepimus jus rogandi; *populusque jure scivit*. Qui populus? isne, qui exclusus est (2)? quo jure? an eo, quod vi & armis omne sublatum est? Atque ego hoc dico de futuris: quod est ** augurum, ante dicere ea, quæ vitari possunt: quæ si facta non erunt, refelletur oratio mea. Loquor de legibus promulgatis, de quibus est integrum vobis. Demonstro vitia: tollite. Denuntio vim, arma: removete.

TERTIA PARS.

XI. Irasci vos (a) quidem mihi, Dolabella, pro republica dicenti, non oportebit. Quanquam te quidem id facturum non arbitror: novi enim facilitatem tuam. Collegam tuum ajunt in hac sua fortuna, quæ bona ipsi videtur; mihi, ne gravius quippiam dicam, avorum & avunculi sui consulatum si imitaretur, fortunatior videretur: sed eum iracun-

* Vict. Man. Lamb. *jubebitis*.

** Grut. *amicorum*.

(1) *Quas tu mihi*) Per dialogismum inducit Antonium irridentem eos, qui vel intercessionibus, vel obnuntiationibus Tribunorum plebis volebant malas leges impedire. *Abram.*

(2) *Isne, qui exclusus est*) Isne populus eam legem scivit, & suffragio suo comprobavit, qui septis & militum præsidiis sic exclusus est, ut non potuerit ad forum accedere? *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Irasci vos*) Jam vero utrumque Consulem hortatur, ut sana consilia sequi velint; ostendit autem, se de Dolabella bene sperare, & Antonium timere.

iracundum audio esse factum. Video autem, quam sit odiosum habere eundem iratum & armatum, cum tanta præsertim gladiorum sit impunitas. Sed proponam (*a*) jus, ut opinor, æquum, quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, si quid in vitam ejus, aut in mores contumeliose * dixero, quo minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. Sin consuetudinem meam, quam in republica semper habui, tenuero, id est, si libere, quæ sentiam, de republica dixero; primum deprecor, ne irascatur, deinde, si hoc non impetro, peto, ut sic irascatur, ut civi. Armis utatur, si ita necesse est, ut dicit, sui defendendi causa: iis, qui pro republica, quæ ipsis visa erunt, dixerint, ista arma ne noceant. Quid hac postulatione dici potest æquius?

Quod si, ut a quibusdam mihi ejus familiaribus dictum est, omnis eum, quæ habetur contra voluntatem ejus, oratio graviter offendit, etiam si nulla inest contumelia, feremus amici naturam. Sed iidem illi ita mecum (1): Non idem tibi adversario Cæsaris licebit, quod Pisoni socero. Et simul admonent quiddam, quod cavebimus: nec erit justior, Patres Conscripti, in senatum non veniendi morbi causa, quam mortis.

XII.

* Vulg. *cum contumelia*.

(1) *Sed iidem illi ita mecum*) Familiares Antonii ita mecum loquuntur: Non est quod tibi persuadeas, M. Tulli, te impune laturum, si libere animi tui sensus exprompseris, conquestusque fueris de republica ex eo, quod L. Piso Kalendis Sextilibus impune de Antonio conquestus est: non enim tibi (qui bello civili secutus es Pompejum contra Cæsarem) idem licebit quod Pisoni, qui Cæsaris socer fuit. Sic, inquam, mecum loquuntur Antonii familiares, simulque admonent ut caveam, ne si liberius locutus fuero, mihi nex inferatur. Quod cavebimus, &, si propter morbum licet abesse a Senatu, non minus ob mortis periculum domi me continebo. *Ab.*

ANALYSIS.

(a) *Sed proponam*) Conditiones, quas Antonio proponit, ne sibi, quæ sentiat, libere dicenti irasci velit, aut irasci civiliter, sine vi, & armis, quæ cum minentur amici Antonii, se promptum fore ad cavendum profitetur.

XII. Sed per Deos (*a*) immortales! te enim intuens, Dolabella, qui es mihi cariſſimus, non poſſum de utriuſque veſtrum errore reticere. Credo enim vos, homines nobiles, magna quædam ſpectantes, non pecuniam, ut quidam nimis creduli ſuſpicantur, quæ ſemper ab ampliſſimo quoque clariſſimoque contempta eſt, non opes violentas, & populo Romano minime ferendam potentiam, ſed caritatem civium & gloriam concupiſſe. Ea autem (*b*) eſt gloria, laus recte factorum *, magnorumque in rempublicam meritorum, quæ cum optimi cujuſque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobatur.

Dicerem (*c*), Dolabella, qui recte factorum fructus eſſet, niſi te præter cæteros pauliſper eſſe expertum viderem. Quem potes recordari in vita illuxiſſe tibi diem lætiorem, quam cum, expiato foro (1), diſſipato concurſu impiorum, principibus ſceleris pœna affectis, urbe incendio, & cædis metu liberata, te domum recepiſti? Cujus ordinis, cujus generis, cujus denique fortunæ ſtudia tum laudi, & gratulationi tuæ ſe non obtulerunt? Quin mihi etiam, quo auctore te in iis rebus uti arbitrabantur, & gratias boni viri agebant, & tuo nomine gratulabantur. Recordare, quæſo, Dolabella, conſenſum illum

* Vulg. *Eſt autem gloria laus recte factorum, magnorum in remp. fama meritorum.*

(1) *Expiato foro*) Everſa columna, de qua dictum eſt cap. 2.

ANALYSIS.

(a) *Sed per Deos*) Dolabellam igitur ſic admonet *a Cauſa finali:*
Qui gloriam concupiſcit, debet de Rep. benemereri;
Sed tu gloriam concupiſcis;
Ergo debes de Rep. bene mereri.

Aſſumptio præcedit amplificata *a Diſſimilibus*, quod in viris nobilibus gloriæ tantum cupiditas ineſſe debeat, non pecuniæ, vel immodicæ potentiæ.

(b) *Ea autem*) *Propoſitionis* prima approbatio *a Definitione* gloriæ.

(c) *Dicerem*) Secunda approbatio *ab Effectis*; commemorat enim, quantam ſibi gloriam adeptus fuerit Dolabella, cum evertit columnam illam a perditis hominibus in foro Cæſari extructam, de qua ſupra.

illum theatri, cum omnes earum rerum obliti, propter quas tibi fuerant offensi, significaverunt, se novo beneficio memoriam veteris doloris abjecisse. Hanc tu (*a*), P. Dolabella, (magno loquor cum dolore) hanc tu, inquam, animo æquo potuisti tantam dignitatem deponere?

XIII. Tu autem (*b*), M. Antoni *, (absentem enim appello) unum illum diem (1), quo in æde Telluris senatus fuit, non omnibus iis mensibus, quibus te quidam, multum a me dissentientes, beatum putant, anteponis? Quæ fuit oratio ** de concordia? quanto metu veterani, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est? Tuum collegam, depositis inimicitiis, oblitus auspiciorum (2), te ipso augure nuntiante, illo primum die collegam tibi esse voluisti: tuus parvulus filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit. Quo senatus die lætior? quo populus Romanus? qui quidem nulla in concione unquam frequentior fuit. Tum denique liberati per viros fortissimos videbamur; quia, ut illi voluerant, libertatem pax sequebatur. Proximo, altero, tertio, reliquis *** consecutis diebus, non intermittebas quasi donum aliquod quotidie afferre reipublicæ. Maximum autem

(*a*)

* Vulg. *Te autem, M. Antoni, absentem appello.*
** Vul. *oratio tua.* *** Vulg. *denique reliquis.*

(1) *Illum diem*) Biduo post Cæsaris mortem. *Ferrat.*

(2) *Oblitus auspiciorum*) Nam Antonius obnuntiatione vitiaverat Dolabellæ comitia habita paulo ante Cæsaris mortem. *Ferrat.* Vulg. *Cum collegam tuum, depositis inimicitiis, oblitus auspiciorum a te ipso augure P. R. nuntiatorum, illo primum die collegam tibi esse voluisti: reip. tuus parvulus filius* &c.

ANALYSIS.

(a) *Hanc tu*) *Complexio.*

(b) *Tu autem*) Nunc per *apostrophen* Antonium absentem alloquitur, & ad bene de Rep. merendum hortatur, multis argumentis; sic autem primum *ab Effectis*:

Qui ex recte factis magnam gloriam adeptus est, non debet se ad prava consilia convertere;

Sed ex iis, quæ pro Rep. egregie fecisti, magnam gloriam adeptus es;

Ergo te ad prava consilia convertere non debes.

(a) illud, quod dictaturæ nomen sustulisti. Hæc inusta est a te, a te, inquam, mortuo Cæsari nota ad ignominiam sempiternam. Ut enim propter unius M. Manlii scelus (1), decreto gentis Manliæ, neminem patricium M. Manlium vocari licet, sic tu propter unius dictatoris odium, nomen dictatoris funditus sustulisti.

Num te*, cum pro salute reipublicæ tanta gessisses, fortunæ tuæ, num amplitudinis, num claritatis, num gloriæ pœnitebat? Unde igitur subito tanta ista mutatio? Non possum (b) adduci, ut suspicer, te pecunia captum. Licet, quod cuique libet, loquatur. Credere non est necesse. Nihil enim unquam in te sordidum, nihil humile cognovi. Quanquam solent domestici (2) depravare nonnunquam: sed novi firmitatem tuam. Atque utinam, ut culpam, sic etiam suspicionem vitare potuisses!

XIV. Illud magis vereor, ne, ignorans verum iter gloriæ, gloriosum putes, plus te unum posse, quam omnes: & metui a civibus tuis, quam diligi,

* Vulg. *num hujusce... fortunæ te*.

(1) *Unius M. Manlii scelus*) Qui cum reipublicæ dominatum invadere conaretur, de saxo Tarpejo dejectus est, eaque notatus ignominia, ut in odium illius sceleris, nemo de patricia Manliorum gente Marci prænomen in posterum obtineret. *Abram.*

(2) *Domestici*) Latenter avaritiam carpit Fulviæ, Antonii uxoris, quæ C. Curionis, & P. Clodii uxor quoque fuerat. *Manut.* al. *quamquam nihil est tam sanctum, quod non soleant*.

ANALYSIS.

(a) *Maximum autem*) Enumerat, quæ recte pro Rep. fecerat Antonius: & amplificat *a Pari* Dictaturam ab ipso sublatam in odium Cæsaris.

(b) *Non possum*) Secundo, cum illius avaritiam leviter perstringat, aperte coarguit ambitionem *a Causa finali:*

Qui gloriam appetit, amari a Civibus debet, non metui;
Ergo, si tu gloriam appetis, amorem apud tuos quæras, non metum.

Pars *antecedens* probatur a diversis *Effectis* vel amoris, vel metus; & confirmatur de metu, exemplo Atrei, cujus dictum habetur apud Accium Poetam, de Amore, exemplo M. Antonii Oratoris.

diligi, malis. Quod si ita putas, totam ignoras viam gloriæ. Carum esse civem, bene de republica mereri, laudari, coli, diligi, gloriosum est. Metui vero, & in odio esse, invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. Quod videmus etiam in fabulis, ipsi illi, qui *Oderint* (1), *dum metuant*, dixerit, perniciosum fuisse. Utinam, Antoni, avum tuum meminisses! de quo tamen multa audisti ex me * sæpissime. Putasne illum immortalitatem mereri voluisse, ut propter armorum habendorum licentiam metueretur? Illa erat vita, illa secunda fortuna, libertate esse parem cæteris, principem dignitate. Itaque, ut omittam res avi tui prosperas, acerbissimum ejus diem supremum malim, quam L. Cinnæ dominatum, a quo ille crudelissime est interfectus (2).

Sed quid (*a*) oratione te flectam? Si enim exitus C. Cæsaris efficere non potest, ut malis carus esse, quam metui, nihil cujusquam proficiet, nec valebit oratio. Quem qui beatum fuisse putant, mi-

* Vulg. *ex me, eaque sæpissime.*

(1) *Oderint*) Vide lib. 1. de Officiis, cap. 28.

(2) *Crudelissime est interfectus*) Cum civitas ita data esset Italicis, ut in octo tribus novi cives contribuerentur, ne potentia eorum & multitudo veterum civium potentiam frangeret, L. Cinna Consul legem tulit de admiscendis novis civibus in omnes tribus: Sed altero Cos. Cn. Octavio resistente non sine suorum strage primum servos vocavit ad pileum, deinde ex urbe cessit: eique L. Merula Flamen Dialis in consulatu a Senatu suffectus est. Cinna Nolam contendit, & ab exercitu, qui circa Nolam erat receptus, adscito in partes Mario, rediit in urbem, in eaque sic dominatus est, ut Octavium, Antonium, Merulam, Catulum, aliosque principes civitatis occiderit, quatuorque continuos gesserit consulatus, donec tandem quarto consulatu a suis militibus contrucidatus tot civium suorum strages expiavit. Vide Plutar. in Marco, Epitomen, Vellejum, Appianum. *Abram.*

ANALYSIS.

(a) *Sed quid*) Tertio utitur *Exemplo* C. Cæsaris, hunc in modum:

Infelix omnino censendus est C. Cæsar;
Sed ideo est infelix, quia metui a Civibus maluit, quam amari;
Ergo tu hoc idem cavere debes.

miserrimi ipsi sunt. Beatus est (*a*) nemo, qui ea lege vivit, ut non modo impune, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici possit. Quare (*b*) flecte te, quæso, & majores tuos respice, atque ita guberna rempublicam, ut natum esse te cives tui gaudeant: sine quo nec beatus, nec clarus * quisquam esse omnino potest.

XV. Populi (*c*) quidem Romani judicia multa ambo habetis, quibus vos non satis moveri permoleste fero. Quid enim (*d*) gladiatoribus (1) clamores innumerabilium civium? quid populi versus **? quid Pompeji statuæ (2) plausus infiniti? quid iis tribunis plebis, qui vobis adversantur? parumne hæc significant, incredibiliter consentientem populi Romani universi voluntatem? Quid? Apollinarium (*e*) ludorum *** plausus, vel testimonia potius & judicia populi Romani parum magna (3) vobis videbantur? O beatos illos, qui, cum adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen,

* Vulg. *clarus esse quisquam potest*. ** Vulg. *concursus*.
*** Vulg. *Apollinaribus ludis*.

(1) *Gladiatoribus*) Ipsos gladiatorios ludos intelligit. *Abram*.

(2) *Pompeji statuæ*) Adeo populus Romanus amore pristinæ libertatis exarserat, ut videns Pompeji statuam applauderet, & ipsi Pompejo gratularetur. *Idem*.

(3) *Parum magna*) vulg. *vobis parva videbantur?*

ANALYSIS.

( ) *Beatus est*) *Propositionis* approbatio *a Consequentibus*; ejus vita infelix est, cujus mors est omnibus grata.

(b) *Quare*) Hinc sequitur admonitio.

(c) *Populi*) Ultimo arguit *a Præjudiciis*, tali ratione:
Populus discordiæ auctores detestatur, si eos, qui concordiæ student, mirifice laudat, & colit;
Sed qui concordiæ, & paci student, mirifice a populo laudantur, & coluntur;
Ergo Vos discordiæ auctores pessime odit.

(d) *Quid enim*) Ad confirmandam *Assumptionem*, commemorantur plausus a populo impertiti Conjuratis, Pompejo, & Tribunis Antonii adversariis, dum in Theatro Pompeji Gladiatores dabantur.

(e) *Quid? Apollinarium*) Deinde, cum absens M. Brutus ludos Apollinares daret, quippe Prætor Urbanus; ostendit plausus illos non datos Accio Poetæ; cujus fabula, Brutus, inscripta agebatur, sed M. Bruto Cæsaris interfectori; quin illud fuisse populi universi de Bruto judicium amplissimum.

men, & in medullis populi Romani ac visceribus hærebant! Nisi forte Accio tum plaudi, & sexagesimo post anno (1) palmam dari putabatis, non Bruto; qui his ludis * ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribuerit absenti, desiderium liberatoris sui, perpetuo plausu & clamore lenierit.

Equidem is sum, qui istos plausus, cum a popularibus civibus tribuerentur, semper contempserim: idemque cum a summis, mediis, infimis, cum denique ab universis hoc idem fit, cumque ii, qui ante sequi populi consensum solebant, fugiunt, non plausum illum, sed judicium puto. Sin hæc (*a*) leviora vobis videntur, quæ sunt gravissima, num etiam hoc contemnitis, quod sensistis, tam caram populo Romano vitam A. Hirtii (2) fuisse? Satis enim erat, probatum illum esse populo Romano, ut est: jucundum amicis, in quo vincit omnes: carum suis, quibus est carissimus: tantam tamen sollicitudinem bonorum, tantum timorem omnium **, in quo meminimus? Certe in nullo. Quid igitur (*b*)? hoc vos, per deos immortales! quale sit, non interpretamini? quid eos de vestra vita cogitare censetis, quibus eorum, quos sperant reipublicæ consulturos, vita tam cara sit?

Cepi,

* Vulg. *ludis suis*. ** In vulg. deest *omnium*.

(1) *Nisi forte Accio tum plaudi, & sexagesimo post anno*) Nisi forte cum illis ludis plauderetur, Accio poetæ, cujus tragœdia nomine Tereus exhibebatur, plaudi, eique sexagesimo anno postquam scripta est ea tragœdia, palmam dari putabatis, non Bruto ludorum editori. *Abram*.

(2) *A. Hirtii*) Hirtio consule designato, graviter ægrotante, populus Romanus, quia speraret eum in consulatu rempublicam defensurum, pro ejus incolumitate vota suscepit. Phil. 7. & 10. *Manutius*.

ANALYSIS.

(a) *Sin hæc*) Tandem pro Hirtio Consule design., cum graviter ægrotaret, vota publice facta commemorat, quod bene de Rep. putaretur sentire.

(b) *Quid igitur?*) Hæc est argumenti *Complexio*.

Cepi, Patres Conscripti, reversionis meæ fructum (*a*): quoniam & ea dixi, ut, quicunque casus consecutus esset, extaret constantiæ meæ testimonium; & sum a vobis benigne ac diligenter auditus. Quæ potestas si mihi sæpius sine meo vestroque periculo fiet, utar: Sin minus, quantum potero, non tam mihi me, quam reipublicæ reservabo. Mihi fere satis est, quod vixi, vel ad ætatem, vel ad gloriam. Huc si quid accesserit, non tam mihi, quam vobis, reique publicæ accesserit.

ANALYSIS.

(a) *Cepi . . . . . fructum*) Concludit Orationem eodem modo, quo exorsus est; nam ideo reverterat, ut quæ sentiret, libere diceret in Senatu; & eamdem optimam in Remp. voluntatem etiam in posterum pollicetur.



IN
M. ANTONIUM.
PHILIPPICA II.
ARGUMENTUM.

Habita a Cicerone IV. Non. Sept. oratione prima in Antonium, ille se in Villam Tiburtinam contulit, ibique septemdecim dies, quod Ciceroni responderet, commentatus est. XIII. Kal. Octobr. habito senatu, in absentem Ciceronem, qui se tuto in senatum venire non posse intelligebat, quæ cogitaverat, evomuit. His omnibus fuse graviterque respondet, ac simul omnia Antonii scelera & flagitia commemorat hac oratione Cicero; quæ, ut P. Manutius putat, non dicta, sed scripta tantum, & deinde in lucem edita est. Ernestus.

PHILIPPICÆ II. SYNOPSIS.

HÆc Oratio versatur in genere *Demonstrativo*, & in quatuor partes dividitur, *Exordium*, *Confutationem*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

In *Exordio* sibi Patres facit *benevolos: Quonam meo fato;* Antonio *malevolos*, ut qui esset impiorum studiosus*: Tuamque a me;* sequitur *Propositio Confutationis: Cui, prius quam*.

Confutatio tria criminum genera comprehendit, de violata amicitia, quæ gravissima videbantur, & leviora quædam.

Primi generis quinque crimina diluit. 1. Amicum a Cicerone defensum contra Antonii commoda,

da, tuetur *ab Adjunctis: Contra rem suam*. 2. In disciplinam Ciceronis se tradidisse Antonium negat: *At enim te*. 3. Auguratus petitionem concessam sibi ab Antonio itidem negat, *ab Adjunctis: Auguratus petitionem*. 4. Se Brundusii servatum beneficio non Antonii, sed Cæsaris ostendit: *Sed quo beneficio?* deinde negat fuisse illud beneficium, *a Contrariis: Fac potuisse*; postremo, se gratum fuisse *ab Adjunctis* probat: *Sed sit beneficium*. 5. de literis refellit arguens inhumanitatis Antonium *a Consequentibus*: *At etiam literas*.

Secundi generis septem sunt crimina; prius tamen sibi conciliat *benevolentiam*, & *attentionem*: *Sed cum mihi P. C.*

1. De suo Consulatu diluit *a Causis*, quod earum rerum Senatus auctor fuerat: *Qui consulatus verbo meus*; & *a testimonio* Consularium: *At placuit P. Servilio*. Consulatum etiam Antonii redarguit *a Causis*: *Hunc tu cum auctorem*.

2. De Servis armatis, *a Repugnantibus*; facta enim sunt optima S. C., & aderat præsidium bonorum: *At etiam ausus es*.

3. De negato corpore Lentuli ad sepulturam, accusat Antonium improbitatis, impudentiæ, & inscitiæ: *Ad sepulturam*; & increpat *a Repugnantibus*: *Jam illud*.

4. De versibus, se tuetur rei evidentia, & Antonii *Comparatione*: *At etiam quodam*.

5. De morte P. Clodii, *a majori ad minus*; nam ne Antonio quidem favebat, volenti Clodium interficere: *P. Clodium meo consilio*.

6. De Causa belli Civilis, *a Causis*: *Quod vero dicere ausus es*.

7. De morte C. Cæsaris, probat se conscium non fuisse *ab Adjunctis*: quia nemo eum nominaverat: *Quis enim meum*; *a Causis* interficiendi Cæsaris: *Etenim, si auctores*; Nullum fuisse crimen lætari mor-

te Cæsaris probat *a Pari* : *Tu autem omnium*. Exprobrat Antonio *a Repugnantibus* inscitiam, tum in verbis : *Sed stuporem hominis* ; tum in sententiis : *Constitue hoc Consul*. Negat etiam se auctorem illius fuisse consilii, a non interfecto Antonio : *Sed unam rem vereor* ; quin ipsum conscium facit, *a Pari* : *Quanquam si* : & probat a commodis Antonii : *Quod si te in judicium*.

Tertii generis quatuor sunt crimina ; 1. de timiditate diluit *a Causis*, cur timeret : *Quo quidem tempore* ; 2. de abalienata Pompeji mente, *a Contrariis* : *An ille quemquam* ; 3. de jocis, pariter *a Contrariis* : *Quod autem idem* ; 4. de hæreditatibus, ab evidentia rei : *Sed qui istuc tibi* ; & *ab Adjunctis* Antonium ipsum coarguit : *Quanquam in hoc genere*.

1. *Contentio* in septem partes dividitur, in quarum prima examinatur Antonii adolescentia usque ad Tribunatum. Exprobrat fidem non præstitam Creditoribus : *Tenesne memoria* ; impudicitiam : *Sumpsisti virilem* ; Clodii familiaritatem : *Intimus erat* ; turpem militiam : *Inde iter Alexandriam* ; Quæsturæ petitionem : *Venisti e Gallia* ; eamdem male gestam : *Quæstor es factus*.

2. In secunda Tribunatum plebis exagitat : probat eum fuisse auctorem belli civilis, *a Causis* ; remedia enim prohibuit : *Nam cum L. Lentulo* ; & Cæsaris testimonio : *Quid enim aliud* ; idque amplificat *ab Adjunctis* : *O miserum te* ; & *ab Effectis* : *Doletis tres*. De patruo illius queritur, quod non fuerit restitutus : *Cujus tamen scelus* ; restitutum aleatorem Denticulam reprehendit *a Causis* : *Sed omitto cæteros* : & iter per Italiam redarguit *ab Adjunctis* : *In eodem vero tribunatu*.

3. In tertia objicit crudelitatem in pugna Pharsalica : *Versatus in bello est* ; beneficium elevat sibi ab illo Brundusii collatum : *Victor e Thessalia* ; vi-

tam

tam ejus *ab Adjunctis* insectatur, dum Cæsar abesset: *Venisti Brundusium*; & vomitum in foro exaggerat *a Comparatione minorum: Sed hæc, quæ*.

4. In quarta, ut sectorem Pompeji exagitat *ab Adjunctis*: *Hasta posita*; exponit, quam cito fuerint omnia dissipata, *per Similitudines*: *Sed ut est apud Poetam*; impudentiam exprobrat *a Contrariis*, quod in Pompeji ædibus habitaverit: *At idem ædes*; ultimo arrogantiam in verbis: *At quam crebro*. Arguit deinde, quod non sit profectus ad bellum Africanum ob timiditatem: *Cui bello, cum propter*. Offensionem Cæsaris ea de re amplificat *ab Adjunctis*, & *a Congruo*: *Itaque quem locum*; & rursus timiditatis accusat, cum ire ad Hispaniense bellum recusaverit, *Comparatione* Dolabellæ: *Proficiscitur in Hispaniam*. Tandem illius Narbone reditum narrat: *Qui vero Narbone*.

5. In quinta refert petitionem Consulatus: *Cæsari ex Hispania*; in altercatione Antonii cum Dolabella, eum accusat inscitiæ: *In quo primum*; & imprudentiæ: *Sed videte*; comitia Dolabellæ commemorat cum Antonii increpatione: *Ecce Dolabellæ*; & factum, quod Lupercalibus admiserat, *ab Adjunctis* insectatur: *Sed, ne forte*.

6. In sexta timorem Antonii narrat post mortem Cæsaris: *Quæ tua fuga?* quæ bene pro Rep. fecerit: *Post diem tertium*; quæ deinde contra Remp. *Inspectantibus vobis*; quoad Commentarios, decretum de Rege Dejotaro falsum esse probat *a Repugnantibus*: *Sed unum egregium*; & a conjectura: *At quibus verbis?* sic & decretum de Provincia Creta: *At quam cæca*. Legem etiam de Exulibus vituperat: *Et de exulibus*; & injurias ab Antonio illatas Patruo recenset: *Cur eos habes in loco patrui?* additque de chirographis: *Sed ad chirographa*.

7. In septima, ejus profectionem in Campaniam vituperat: *At quam nobilis*; divisionem agri Cam-

pani, & Leontini: *Agrum Campanum*; Casilinum deductam Coloniam: *Deduxisti coloniam*; occupatam Villam M. Varronis: *Ab hac religionum*; & luxuriam Antonii *a Dissimili* exagitat: *O tecta ipsa misera*. Reditum deinde Romam redarguit *a Comparatione minorum*: *Qui vero reditus inde*; & ab eo non amari Cæsarem mortuum ostendit *ab Effectis*, quod illius acta rescinderet: *Statimque illa*; & honorem negligeret: *Quem si majorem honorem*.

In *Peroratione*, 1. irridet Antonii impudentiam; *Quid ad hæc tandem?* 2. objicit armatos: *Sed præterita*; 3. mortem minatur: *Eripiet*, *extorquebit*; 4. amore laudis, & gloriæ excitat: *Recordare illum*; 5. A regni cupiditate deterret *per Comparationem majorum*: *Sed si te laus*; 6. Suam in Patriam optimam mentem attestatur Cicero: *Sed de te tu videris*.

EXORDIUM.

I. QUonam meo (*a*) fato, Patres Conscripti, fieri dicam, ut nemo his annis viginti (1) reipublicæ hostis fuerit, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit? Nec vero necesse est a me quemquam nominari vobis, cum ipsi recordemini. Mihi pœnarum (*b*) illi plus (2) quam

(1) *His annis viginti*) Qui fluxerunt ab ipsius consulatu ad Cæsaris cædem. *Abram*.

(2) *Mihi pœnarum illi plus*) Commode initio, humanitatis & clementiæ specimen exhibet. Quas autem reipublicæ & Ciceroni pœnas exsolverint, palam est ex eorum temporum historiis. Catilina contra patriam signa inferens a Petrejo C. Antonii legato victus, multis telis confossus, & inter corporum acervos inventus est. P. Clodius in Appia via a servis Milonis occisus est. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Quonam meo*) *Exordium* ingeniosissimum est, ex Arist. desumptum l. 2. c. 4. t. 24. cum enim sibi, & Reip. eosdem esse inimicos ostendit, captat *benevolentiam*; cum Antonio caram esse probat amicitiam impiorum, quorum gratia in Remp., & Ciceronem inimicitiam suscipiat, Patres illi facit *malevolos*.

Quonam meo) Prima pars de se ipso.

(b) *Mihi pœnarum*) Antonium coarguit obiter tum stupidita-

quam optarem, dederunt. Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere. Atque hoc in aliis minus mirabar. Nemo illorum inimicus mihi fuit voluntarius: omnes a me reipublicæ causa lacessiti. Tu, ne verbo quidem violatus, ut audacior, quam L. Catilina, furiosior, quam P. Clodius viderere, ultro maledictis me lacessisti: tuamque a me (*a*) alienationem, commendationem tibi ad impios cives fore putavisti.

Quid putem? contemptumne me? non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quid despicere possit Antonius. An in senatu facillime de me detrahi posse credidit? qui ordo clarissimis civibus bene gestæ reipublicæ testimonium multis, mihi uni conservatæ dedit? An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est: quid enim plenius, quid uberius, quam mihi & pro me, & contra Antonium dicere? Illud profecto est: non existimavit, sui similibus probari posse, se esse hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus. Cui prius (*b*) quam de cæteris rebus respondeo, de amicitia, quam a me violatam esse criminatus est, quod ego gravissimum crimen judico, pauca dicam.

ANALYSIS.

ditatis, quod impiorum facta imitetur, exitus non timeat; tum improbitatis, qua reliquos omnes superabat.

(a) *Tuamque a me*) Secunda pars de Antonio, quam confirmat *a remotione Causarum:*

Non poterat me contemnere, neque in Senatu mihi detrahere, neque decertare mecum contentione dicendi;

Ergo mihi convitia dixit in gratiam impiorum civium.

(b) *Cui prius*) *Propositio* Confutationis quoad primam ejus partem.

CONFUTATIO.

II. Contra rem (a) suam venisse (1) me nescio quando questus est. An ego non venirem contra alienum pro familiari & necessario meo?* non venirem contra gratiam, non virtutis spe (2), sed

* In vulg. deest *meo*.

(1) *Venisse*) In judicium ut familiarem meum defenderem. Judiciale verbum. *Manut.* Res est obscurior, nec ullis veterum testata monumentis, ac proinde suspicionibus indaganda. Multas uxores habuit Antonius, quarum prima fuit Q. Fadii Bambalionis hominis libertini, sed admodum opulenti filia. De qua, Philippica III. 6. *Tuæ conjugis, bonæ fæminæ, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater est, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter hæsitantiam linguæ stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxerit.* Bambalio, ut erat ditissimus, aliis dabat partes, alios mittebat in negotia, cum aliis alia contrahebat. Quidam Ciceronis familiaris ei pecuniariam litem intendit. Bambalio cum suæ causæ, si ex formula & edicto Prætoris ageretur, diffideret, a quodam Tribuno plebis per M. Antonium generum suum impetravit, ut is illi judicio intercederet, juberetque diem proferri, quoad alii judices in Bambalionem propensiores constituerentur, vel totius judicii mutari rationem. Actor obtinendæ causæ spe dejectus, nisi quempiam magni nominis oratorem adhiberet, ad Ciceronem confugit. Cicero familiarem suum defendit contra hanc iniquæ intercessionis injuriam, ejusque causam egit, etiam illa formula qua Tribunus plebis agi voluerat, ut quantumvis mutato judicio, & iniquis conditionibus, ille jus suum obtineret. Hoc igitur facto querebatur Antonius, amicitiam a Cicerone fuisse violatam. Negat orator, & illius sui patrocinii tres ostendit fuisse rationes. 1. Quod ille familiaris esset, alienus Bambalio. 2. Quod ille obrueretur gratia M. Antonii. 3. Quod contra omnem juris formam, intercessione Tribuni plebis, prohiberetur consuetis formulis jus suum experiri. *Abr.*

(2) *Non virtutis spe*) Ita melius, quam, ut in aliis, *specie*. Virtutis enim spes in illa ætate commendatur. Cicero de Rep. *O Panni, difficilis causa, laudare puerum: non enim res laudanda, sed spes est.* Muret. Quidam *virtutis specie* splendorem virtutis, & pulchritudinem intelligunt: libentius interpreter prætextum simulationemque virtutis, quasi eam gratiam non solum sine virtute, sed etiam sine virtutis simulatione collegerit, ætatis flore quem prostituebat libidini improborum. *Abram.*

ANALYSIS.

(a) *Contra rem*) Multa objecerat Antonius de violata amicitia, ut Ciceronem hominem ingratum ostenderet; quorum primum est, defensum ab eo fuisse quemdam in judicio contra Q. Fadium socerum Antonii, cui respondet *ab Adjunctis*:

Pa-

ſed ætatis flore collectam? non venirem contra injuriam, quam iſte interceſſoris (1) iniquiſſimi beneficio obtinuit, non jure prætorio? (Sed hoc (*a*) idcirco commemoratum a te puto, ut te infimo ordini (2) commendares, cum te omnes recordarentur libertini generum, & liberos tuos, nepotes Q. Fadii (3), libertini hominis, fuiſſe.)

At enim (*b*) te in diſciplinam meam tradideras; nam (ita dixiſti) domum meam ventitaras (1).

(1) *Interceſſoris*) Interceſſione Tribuni, non judicio Prætoris. *Ferrat.*

(2) *Infimo ordini*) Varii fuerunt ordines, in quos civitas Romana deſcriberetur. Prima diviſio fuit, in Senatum populumque Romanum: quibus poſtmodum equeſter ordo acceſſit: ut ait Plinius libro 33. cap. 2. Alia deſcriptio fuit in patricios & plebem. Plebem rurſus in tribunos ærarios, ſcribas, mercatores & negotiatores, argentarios & fœneratores, artifices & opifices, turbam forenſem, libertinos & magiſtratuum apparitores dividebant (de quibus fuſe Sigonius lib. 2. de antiquo jure civium Romanorum a cap. 7. ad 15.) aut etiam in Aſſiduos & capite cenſos. Infimus autem vocatur ordo libertinorum, quod ſuffragiorum jure carerent, ſaltem in quatuor tantum tribubus urbanis ferrent ſuffragium, quod in militiam ordinarie non adſciſcerentur niſi difficillimis reipublicæ temporibus, quod ad magiſtratus & curiam aditum non haberent: ut erudite probat Sigonius ejuſdem libri cap. 14. Libertini autem ii dicebantur, qui in libertatem afferti fuerant e ſervitute: quamvis antiquitus ii non libertini, ſed liberti dicerentur, cum libertini nomen in eorum filiis hæreret. *Abram.*

(3) *Q. Fabii*) Bambalionis: de quo jam dictum, & rurſus Philipp. III.

ANALYSIS.

Familiaris defendendus eſt contra alienum, contra gratiam, contra injuriam;

Sed quem defendi, meus erat familiaris, Q. Fadius alienus, qui Generi Antonii gratia valebat, & injuriam per Tribunum parabat;

Ergo eum debui contra Socerum Antonii defendere.

(*a*) *Sed hoc*) Hinc objicit Antonio ſordidiſſimam affinitatem.

(*b*) *At enim*) Secundum crimen: ingratus eſt Cicero, quod eum lædat, qui ſe in illius diſciplinam tradiderat. Negat id Cicero exprobrando impudicitiam.

(1). Næ tu, si id fecisses, melius famæ, melius pudicitiæ tuæ consuluisses. Sed nec fecisti, nec, si cuperes, tibi per C. Curionem (2) facere licuisset.

Auguratus (a) petitionem (3) mihi te concessisse

(1) *Domum meam ventitaras*) De more. Auctor de Oratoribus, & causis corruptæ eloquentiæ: *Ergo apud majores nostros juvenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in civitate tenebat. Hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus assuescebat.* Plinius junior, lib. 8. ep. 14. *Erat autem antiquitus institutum, ut a majoribus natu non auribus modo, verum etiam oculis disceremus, quæ facienda nos ipsi ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus. Inde adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, &c. Inde honores petituri assistebant curiæ foribus, & consilii publici spectatores antequam consortes erant. Suus cuique parens pro magistro: aut cui parens non erat, maximus quisque & vetustissimus pro parente.* Adeo ut ne forensia quidem auspicari stipendia, & ad dicendum prodire liceret sine auctore. Idem libro 2, epist. 14.: *At hercule ante memoriam meam (majores natu ita dicere solebant) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente. Tanta veneratione pulcherrimum opus colebatur. Nunc refractis pudoris & reverentiæ claustris omnia patent omnibus: nec inducuntur, sed irrumpunt.* Neque solum ut foro se aut militiæ pararent, sed etiam ut mores componerent, ad majores natu ventitabant. Persius Sat. 5:

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis laribus donata pependit; &c.
Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere solers
Apposita intortos ostendit regula mores,
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.

E quibus intelligas hujusmodi vitæ magistros sumpta virili toga primum adscitos fuisse, ut in Cæliana: *Ut huic virilem togam dedit*; &c. *hoc dicam hunc a patre continuo ad me esse deductum.* Vide initium lib. de Amicitia. *Idem.*

(2) *C. Curionem*) Qui turpiter amavit Antonium. Plutarchus in Antonio.

(3) *Auguratus petitionem*) Dixisti te auguratus petitionem omisis-

ANALYSIS.

(a) *Auguratus*) Tertium crimen, quod pariter falsum esse contendit, sumpto argumento *ab Adjunctis* temporis:

Eo tempore Antonius mihi auguratus petitionem concedere non potuit, quo ipse petere non poterat, me omnes Augurem volebant;
Sed cum factus sum Augur, tu petere non poteras, me omnes augurem volebant;
Ergo tu mihi auguratus petitionem concedere non potuisti.

cessisse dixisti. O incredibilem audaciam! o impudentiam prædicandam! Quo enim (*a*) tempore (1) me augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompejus & Q. Hortensius nominaverunt, (neque enim licebat a pluribus nominari) tu nec solvendo (*b*) eras, nec te ullo modo, nisi eversa republica, incolumem fore putabas. Poteras autem eo tempore auguratum petere, cum in Italia Curio non esset? aut tum, cum (*c*) es factus, unam tribum sine Curione ferre (2) potuisses? cujus

omisisse in mei gratiam, ne videlicet si tu meus fuisses competitor, ego repulsam ferrem. In hujusmodi sacerdotiorum petitione, cum plures essent candidati, magnum beneficium fuisset, si gratiosus competitor petitionem alteri concederet. Sic Catulus summum pontificatum cum Cæsare & Isaurico petens, *misit qui magna pecuniæ vi Cæsari persuaderent, ut is a petitione desisteret*, ut narrat Plutarchus in Cæsare. *Etiam in eorum sacerdotum collegium adoptatus est, quos augures appellant Romani, loco Crassi Junioris, cum is apud Parthos mortem obiisset*. Abram.

(1) *Quo enim tempore*) Anno, ut videtur, urbis septingentesimo, Cn. Domitio Calvino, & M. Valerio Messala Consulibus, quo tempore Tullius P. Crasso M. filio a Parthis deleto, augur in ejus locum suffectus est. *Idem*.

(2) *Unam tribum sine Curione ferre*) Nota locutio. Sed quid tribus ad auguratum, cum is e duorum augurum nominatione penderet? Variis modis pro diversitate temporum sacerdotia collata sunt. Siquidem tertio Marii consulatu, ut ait Vellejus lib. 2: *Cn. Domitius Tribunus plebis legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet*. Id ille fecit, ut advertit Tranquillus in Nerone cap. 2: *Pontificibus offensior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent*. De hac lege noster epist. IV. ad Brutum: *Existimo omnino absentium rationem sacerdotum comitiis posse haberi. Nam etiam factum est antea. C.* enim

ANALYSIS.

(a) *Quo enim*) *Assumptionis* secunda pars.
(b) *Tu nec solvendo*) Ejusdem quoad primam partem approbatio, tum quia eo tempore ingenti ære alieno premebatur Antonius, tum etiam hac ratione;

Sine Curione petere Auguratum non poteras;
Tunc Romæ Curio non erat;
Ergo auguratum petere tunc non poteras.

(c) *Aut tum, cum*) Hæc posterior *Propositio* approbata *ab Effectis*; si enim postea factus es Augur, quia Curio te adjuvit, sine Curione frustra petiisses.

cujus etiam familiares de vi condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent.

III. At beneficio (*a*) sum usus tuo. Quo? quanquam (*b*) illud ipsum, quod commemoras, semper præ me tuli. Malui me tibi debere confiteri, quam cuiquam minus prudenti non satis gratus videri. Sed quo beneficio? quod me Brundusii non

enim Marius cum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur: nec, quominus id postea liceret, ulla lex sanxit. Hanc legem L. Sylla Dictator abrogavit, renovavit Tit. Labienus Consulibus Cicerone & Antonio. Dio 77: *Cum Labienus de Pontificibus creandis rogationem tulisset, Cæsar autem plebem demereretur, iterum plebi contra Syllæ legem, Domitii legem renovavit, atque introduxit.* Quod ita reor populi suffragiis fuisse permissum, ut necesse esset eum qui pontificatum vel auguratum adepturus erat, a duobus vel pontificibus vel auguribus nominari. Neque enim Cæsar adhuc adolescens, & plebeculæ quam optimatibus jucundior, nominationem hanc contra Catulum & Servilium Isauricum competitores obtinere facile potuisset, nisi Domitia lege fuisset ita sancitum. Orat. 2. in Rullum, cap. 7. *Ne hoc quidem vidit majores nostros tam fuisse populares, ut, quia per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotii* (Pontificatus maximi) *voluerint populo supplicari. Atque hoc idem de cæteris sacerdotiis Cn. Domitius, Tribunus plebis, vir clarissimus, tulit, quia populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur.* Secuta est lex Julia de sacerdotiis a Julio Cæsare lata, ut videtur, in primo consulatu. De qua noster ad Brutum epist. IV: *Est etiam in lege Julia, quæ lex est de sacerdotiis proxima, his verbis*: QUI PETIT, CUJUSVE RATIO HABEBITUR: *Aperte judicat posse rationem haberi etiam non præsentis.* Cujus, opinor, ea vis fuit ut sacerdotes nominandi quidem, & cooptandi sibi collegas jus haberent, sed eorum tamen nominatio rata non esset, nisi populi suffragium & consensus accederet. Philipp. III. *Reliqua populus Romanus in ea familia, quam vidit amplissimam, persequetur. In primis paternum auguratus locum: in quem ego tum, ut quod a patre accepi filio reddam, mea nominatione cooptabo. Utrum igitur augurem Jovis Optimi Maximi, cujus interpretes, internuntiique constituti sumus, utrum populus Romanus libentius granciet, Pompejum an Antonium?* Atque adeo sibi repugnat, cum in adoptione auguratus, & nominationis & suffragii, sive tribuum facit mentionem. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *At beneficio*) Quartum crimen; servatum ab Antonio Ciceronem Brundusii, quo se ille post Pharsalicam pugnam receperat, cum posset interficere. Huic multiplici ratione satisfacit.

(b) *Quanquam*) 1. A grata illius beneficii memoria, quod Antonio acceptum semper ipse retulerit.

non occideris (1)? Quem ipse victor (*a*), qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, salvum esse voluisset, in Italiam ire jussisset, eum tu occideres? Fac *b*) po-

(1) *Quod me Brundusii non occideris*) Julius Cæsar, ut narrat Plutarchus in Antonio, *post victoriam Dictator creatus, ipse quidem persecutus est Pompejum. Antonium vero Magistrum equitum nominans Romam ire jussit.* Quod Cicero invidiose principatum latronum appellat, quia contra leges ei Cæsar hunc honorem concesserat. Quid autem Ciceroni & Antonio, e diversis partibus a pugna Pharsalica in Italiam appulsis, intercesserit negotii, constat ex i[illegible] Cicerone, Epistola 6, lib. xI. ad Atticum: *In oppido aliquo n[illegible]lem resedisse, quoad arcesseres. Minus sermonis subiissem: m[illegible]us accepissem doloris: ipsum hoc me non angeret. Brundusii ja[illegible]e in omnes partes est molestum. Propius accedere, ut suades [illegible]uomodo sine lictoribus, quos populus dedit, possum? Qui mihi [illegible]columi adimi non possunt: quos ego modo paulisper cum bac[illegible] in turbam conjeci ad oppidum accedens, ne quis impetus mi[illegible]m fieret.* Et epistola sequenti: *Ad me misit Antonius exemplu[illegible] Cæsaris ad se literarum, in quibus erat se audivisse Catonem [illegible] Luc. Metellum in Italiam venisse, Romæ ut essent palam: [illegible]sibi non placere, ne qui motus ex eo fierent: probiberique omne[illegible]talia, nisi quorum ipse causam cognovisset, deque eo vehement[illegible] erat scriptum. Itaque Antonius petebat a me per literas ut [illegible]i ignoscerem: facere se non posse quin his literis pareret. Tu[illegible]ad eum misi Luc. Lamiam, qui demonstraret illum Dolabellæ d[illegible]isse, ut ad me scriberet, ut in Italiam quam primum venirem [illegible]jus me literis venisse. Tum ille edixit ita ut me exciperet, & L[illegible]ium nominatim. Quod sane nollem. Poterat enim, sine nomin[illegible]re ipsa excipi.* Pro Ligario: *Apud quem igitur hoc dico? Ne[illegible] apud eum qui cum hoc sciret, tamen me, antequam vidit, [illegible]ip. reddidit. Qui ad me ex Ægypto literas misit, ut essem i[illegible] qui fuissem: qui cum ipse imperator in toto imperio popul[illegible]mani unus esset, esse me alterum passus est: a quo, hoc ips[illegible] Pansa mihi nuntium perferente, concessos fasces laureatos [illegible]ui, quoad tenendos putavi,* &c. E quibus patet, & quom[illegible] de Cæsaris voluntate in Italiam venerit, & cur eum Antoni[illegible] non potuerit occidere. *Abram.*

ANALYSIS.

(a) *Qu[illegible]ipse victor*) 3. Negat fuisse illud beneficium Antonii, h[illegible]ode:

Que[illegible]lvum Cæsar esse vellet interficere Antonius non po[illegible];
Me salvum esse Cæsar volebat;
Ergo me Antonius interficere non poterat.

(b) *Fac*) 3. Contendit nullum omnino fuisse illud beneficium, *a Contrariis*:

Vitam alteri per injuriam non adimere, nullum est beneficium;
Sed

cujus etiam familiares de vi condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent.

III. At beneficio (*a*) sum usus tuo. Quo? quanquam (*b*) illud ipsum, quod commemoras, semper præ me tuli. Malui me tibi debere confiteri, quam cuiquam minus prudenti non satis gratus videri. Sed quo beneficio? quod me Brundusii non

enim Marius cum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur: nec, quominus id postea liceret, ulla lex sanxit. Hanc legem L. Sylla Dictator abrogavit, renovavit Tit. Labienus Consulibus Cicerone & Antonio. Dio 77: *Cum Labienus de Pontificibus creandis rogationem tulisset, Cæsar autem plebem demereretur, iterum plebi contra Syllæ legem, Domitii legem renovavit, atque introduxit*. Quod ita reor populi suffragiis fuisse permissum, ut necesse esset eum qui pontificatum vel auguratum adepturus erat, a duobus vel pontificibus vel auguribus nominari. Neque enim Cæsar adhuc adolescens, & plebeculæ quam optimatibus jucundior, nominationem hanc contra Catulum & Servilium Isauricum competitores obtinere facile potuisset, nisi Domitia lege fuisset ita sancitum. Orat. 2. in Rullum, cap. 7. *Ne hoc quidem vidit majores nostros tam fuisse populares, ut, quia per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotii* (Pontificatus maximi) *voluerint populo supplicari. Atque hoc idem de cæteris sacerdotiis Cn. Domitius, Tribunus plebis, vir clarissimus, tulit, quia populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur*. Secuta est lex Julia de sacerdotiis a Julio Cæsare lata, ut videtur, in primo consulatu. De qua noster ad Brutum epist. IV: *Est etiam in lege Julia, quæ lex est de sacerdotiis proxima, his verbis*: QUI PETIT, CUJUSVE RATIO HABEBITUR: *Aperte judicat posse rationem haberi etiam non præsentis*. Cujus, opinor, ea vis fuit ut sacerdotes nominandi quidem, & cooptandi sibi collegas jus haberent, sed eorum tamen nominatio rata non esset, nisi populi suffragium & consensus accederet. Philipp. III. *Reliqua populus Romanus in ea familia, quam vidit amplissimam, persequetur. In primis paternum auguratus locum: in quem ego tum, ut quod a patre accepi filio reddam, mea nominatione cooptabo. Utrum igitur augurem Jovis Optimi Maximi, cujus interpretes, internuntiique constituti sumus, utrum populus Romanus libentius sanciet, Pompejum an Antonium?* Atque adeo sibi repugnat, cum in adoptione auguratus, & nominationis & suffragii, sive tribuum facit mentionem. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *At beneficio*) Quartum crimen; servatum ab Antonio Ciceronem Brundusii, quo se ille post Pharsalicam pugnam receperat, cum posset interficere. Huic multiplici ratione satisfacit.

(b) *Quanquam*) 1. A grata illius beneficii memoria, quod Antonio acceptum semper ipse retulerit.

non occideris (1)? Quem ipse victor (*a*), qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, salvum esse voluisset, in Italiam ire jussisset, eum tu occideres? Fac *b*) po-

(1) *Quod me Brundusii non occideris*) Julius Cæsar, ut narrat Plutarchus in Antonio, *post victoriam Dictator creatus, ipse quidem persecutus est Pompejum. Antonium vero Magistrum equitum nominans Romam ire jussit.* Quod Cicero invidiose principatum latronum appellat, quia contra leges ei Cæsar hunc honorem concesserat. Quid autem Ciceroni & Antonio, e diversis partibus a pugna Pharsalica in Italiam appulsis, intercesserit negotii, constat ex ipso Cicerone, Epistola 6, lib. XI. ad Atticum: *In oppido aliquo mallem resedisse, quoad arcesseres. Minus sermonis subiissem: minus accepissem doloris: ipsum hoc me non angeret. Brundusii jacere in omnes partes est molestum. Propius accedere, ut suades, quomodo sine lictoribus, quos populus dedit, possum? Qui mihi incolumi adimi non possunt: quos ego modo paulisper cum bacillis in turbam conjeci ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret.* Et epistola sequenti: *Ad me misit Antonius exemplum Cæsaris ad se literarum, in quibus erat se audivisse Catonem & Luc. Metellum in Italiam venisse, Romæ ut essent palam: id sibi non placere, ne qui motus ex eo fierent: prohiberique omnes Italia, nisi quorum ipse causam cognovisset, deque eo vehementius erat scriptum. Itaque Antonius petebat a me per literas ut sibi ignoscerem: facere se non posse quin his literis pareret. Tum ad eum misi Luc. Lamiam, qui demonstraret illum Dolabellæ dixisse, ut ad me scriberet, ut in Italiam quam primum venirem: ejus me literis venisse. Tum ille edixit ita ut me exciperet, & Lælium nominatim. Quod sane nollem. Poterat enim, sine nomine, re ipsa excipi.* Pro Ligario: *Apud quem igitur hoc dico? Nempe apud eum qui cum hoc sciret, tamen me, antequam vidit, reip. reddidit. Qui ad me ex Ægypto literas misit, ut essem idem qui fuissem: qui cum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est: a quo, hoc ipso C. Pansa mihi nuntium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos putavi,* &c. E quibus patet, & quomodo de Cæsaris voluntate in Italiam venerit, & cur eum Antonius non potuerit occidere. *Abram.*

ANALYSIS.

(a) *Quem ipse victor*) 3. Negat fuisse illud beneficium Antonii, hoc modo:

Quem salvum Cæsar esse vellet interficere Antonius non poterat;
Me salvum esse Cæsar volebat;
Ergo me Antonius interficere non poterat.

(b) *Fac*) 3. Contendit nullum omnino fuisse illud beneficium, a *Contrariis*:

Vitam alteri per injuriam non adimere, nullum est beneficium;

Sed

potuisse (1). Quod est aliud, Patres conscripti, beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se dedisse vitam, quibus non ademerint? Quod si esset beneficium, nunquam ii, qui illum interfecerunt, a quo erant servati, quos tu ipse viros clarissimos appellare soles, tantam essent gloriam consecuti. Quale autem (*a*) beneficium est, quod te abstinueris nefario scelere? qua in re non tam jucundum videri mihi debuit, non interfectum a te, quam miserum, id te impune facere potuisse.

Sed sit (*b*) beneficium, quandoquidem majus accipi a latrone nullum potuit: in quo potes me dicere ingratum? An de (*c*) interitu reipublicæ queri non debui, ne in te ingratus viderer? Nam * in illa (*d*) querela, misera quidem & luctuosa, sed mihi pro hoc gradu, in quo me senatus, populusque Romanus collocavit, necessaria, quid est dictum a me cum contumelia? quid non moderate? quid non amice? Quod quidem ** cujus (*e*) tem-

* Vulg. *At*. ** Vulg. *Et quidem*.

(1) *Potuisse*) Jure belli.

A N A L Y S I S.

Sed mihi vitam non ademisti, quod per summam injuriam fecisses;
Ergo nullum est tuum beneficium.

Propositio illustratur *per Comparationem* latronum, & *simile Exemplum* C. Cæsaris, qui cum laude interfectorum ab iis interfectus fuerat, quibus vitam non ademerat.

(a) *Quale autem*) 4. Quin imo affirmat cessisse id in commodum Antonii, quod non occidendo Ciceronem, nefario scelere se abstinuerit; cui gravissimam illorum temporum querelam annectit.

(b) *Sed sit*) 5. Tandem se non peccasse in Antonium, probat *ab Adjunctis*:

Senator, qui contra amici voluntatem queritur de Rep., sine illius contumelia, non violat amicitiam;
Sed questus sum de Rep., absque ulla Antonii contumelia;
Ergo violatæ amicitiæ me accusare Antonius non potest.

(c) *An de*) Prima pars *Assumptionis* cum *Complexione*.

(d) *Nam in illa*) Ejusdem secunda pars.

(e) *Quod quidem cujus*) Urget *Complexionem* pariter *ab Adjunctis*:

Sum-

temperantiæ fuit, de M. Antonio querentem, abstinere maledicto; præsertim cum tu reliquias reipublicæ dissipavisses; cum domi tuæ turpissimo mercatu omnia essent venalia; cum leges eas (1), quæ nunquam promulgatæ essent, & de te, & a te latas confiterere; cum auspicia augur, intercessionem consul sustulisses; cum esses fœdissime stipatus armatis; cum omnes impuritates pudica in domo (2) quotidie susciperes, vino lustrisque confectus? At ego, tamquam mihi cum M. Crasso (3) contentio esset, quocum multæ & magnæ fuerunt, non cum uno gladiatore nequissimo, de republica graviter querens, de homine nihil dixi. Itaque hodie perficiam, ut intelligat, quantum a me beneficium tum acceperit.

IV. At etiam literas (*a*), quas me sibi misisse diceret, recitavit, homo & humanitatis expers,

(1) *Cum leges eas*) Post mortem Cæsaris multas leges, quæ ne scriptæ quidem ante fuerant, nedum promulgatæ, vel tulit, vel per tribunos plebis ferri curavit Antonius. Quarum aliquæ ad ipsum Antonium pertinebant, contra legem Liciniam & Æbutiam. Quibus ferendis auspicia neglexit, & Tribunos plebis ad intercedendum prohibuit accedere. A persona facinoris atrocitatem exaggerat: longe enim est indignius ab augure quam a cæteris auspicia contemni. Cumque ad officium Consulis spectet providere ne tribunitiarum legum multitudine respublica turbetur, eaque legum multitudo sola reliquorum Tribunorum plebis intercessione tollatur, indignissimum est consulem Tribunis plebis intercedendi facultatem adimere. *Idem*.

(2) *Pudica in domo*) Pompeji.

(3) *Cum M. Crasso*) Multas contentiones fuisse Ciceroni cum M. Licinio Crasso constat ex ejus in Crassum dicteriis, quæ a Plutarcho referuntur. *Idem*.

ANALYSIS.

Summæ temperantiæ est, contendentem cum sceleratissimo homine abstinere maledicto;

Sed mihi contentio erat cum M. Antonio sceleratissimo homine;

Ergo summæ temperantiæ fuit cum illo contendere sine contumelia.

Assumptionem amplificat, enumeratis iis, quæ scelerate Antonius gesserat, & *a Comparatione imparium*, hoc est M. Crassi.

(*a*) *At etiam literas*) Quintum crimen est de inconstantia Ciceronis desumptum ex quibusdam literis ab eo missis Antonio, quæ habentur lib. XIV. ad Att.

pers, & vitæ communis ignarus. Quis enim (*a*) unquam, qui paulum * modo bonorum consuetudinem nosset, literas ad se ab amico missas, offensione aliqua interposita, in medium protulit, palamque recitavit? Quid est aliud, tollere e vita vitæ societatem **, quam tollere amicorum colloquia absentium? Quam multa joca (*b*) solent esse in epistolis, quæ prolata si sint, inepta esse videantur? quam multa seria, neque tamen ullo modo divulganda?

Sit hoc inhumanitatis tuæ ***: stultitiam (*c*) incredibilem videte. Quid habes, quod mihi opponas, homo diserte, ut Mustellæ Tamisio, & Tironi Numisio videris? qui cum hoc ipso tempore stent cum gladiis in conspectu senatus, ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo si eos inter sicarios defensurus. Sed quid opponas tandem, si negem, me unquam istas literas ad te misisse? quo me teste convincas? an chirographo? (*d*) in quo habes scientiam quæstuosam (1). Qui pos-

* Vulg. *paullulum*. ** Vul. *societatem? tollere*.
*** In Vulg. deest *tuæ*.
(1) *Quæstuosam*) Quia chirographa fingis, quasi a Cæsare scripta. Infra. *Manut.*

A N A L Y S I S.

(a) *Quis enim*) Cicero redarguit Antonium, ut inhumanum, *a Consequentibus:*

Inhumanitatis est tollere vitæ societatem, & amicorum absentium colloquia;
Sed hæc tolluntur, si literæ amicorum proferantur, interposita aliqua offensione;
Ergo inhumanissime meas tu literas palam recitasti.

(b) *Quam multa joca*) *Assumptionis* approbatio; nemo scilicet erit, qui vel jocari in epistolis, vel etiam serio loqui velit.

(c) *Stultitiam*) Deinde, præmisso convicio de satellitibus, qui armati erant in Senatu cum Antonio, eundem stultitiæ accusat hoc modo:

Stultus est, qui id objicit adversario, quod, si negetur, probari non potest;
Sed, si negem a me illas literas conscriptas fuisse, tu probare non potes;
Ergo stulte mihi has literas objicis.

(d) *An chirographo?*) *Assumptionis* approbatio; nam librarii manu scriptæ sunt, & aliorum chirographa scis ementiri.

possis? sunt enim librarii * manu. Jam invideo (*a*) magistro tuo, qui te tanta mercede, quantam jam proferam (1), nihil sapere docuit.

Quid enim est (*b*) minus, non dico oratoris, sed hominis, quam id objicere adversario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit, qui objecerit? At ego non nego (*c*): teque in isto ipso convinco non inhumanitatis solum, sed etiam amentiæ. Quod enim verbum in istis literis est non plenum humanitatis, officii, benevolentiæ? Omne autem crimen tuum est, quod de te in his literis non male existimem: quod scribam tanquam ad civem, tanquam ad bonum virum, non tanquam ad sceleratum & latronem. At ego (2) tuas (*d*) literas, etsi jure poteram a te lacessitus, tamen non proferam: quibus petis, ut tibi per me liceat quendam de exilio reducere: adjurasque, id te, invito me, non esse facturum: idque a me im-

* Al. *liberti.*

(1) *Proferam*) Infra, cap. 17.

(2) *At ego*) Concludit mentione literarum, quas de Sexti Clodii restitutione ad Ciceronem scripserat Antonius. Ex libro 14. ad Atticum, loco item decimo quarto, referuntur hoc initio: *Occupationibus est factum meis.* Ubi his verbis petit Antonius: *A Cæsare petii, ut S. Clodium restitueret: impetravi. Erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio ejus, si tu concessisses: quo magis laboro, ut tua voluntate id per me facere nunc liceat.* Et ita concludit: *Quod si non impetro, per me Clodio daturus non sum: ut intelligas quanti apud me auctoritas tua sit, atque eo te placabiliorem præbeas.* Respondet Cicero epistola sequenti: *Ego vero tibi istuc, mi Antoni, remitto, atque ita, ut me a te, cum his verbis scripseris, liberalissime & honorificentissime tractatum existimem.* Idem.

ANALYSIS.

(a) *Jam invideo*) *Complexio.*

(b) *Quid enim est*) *Propositio.*

(c) *At ego non nego*) Stultitiam rursus exprobrat Antonio, cujus crimen esset, quod ad eum scripsisset Cicero tanquam ad bonum virum, non tanquam ad latronem.

(d) *At ego tuas*) *Modestiam* præsefert; scripserat autem Antonius Ciceroni, ut sibi per eum liceret restituere Sex. Clodium exulem; respondit Cicero, sed id libenter illi concedere, aitque sed id concessisse, tum ne Antonii obstaret audaciæ, tum etiam quia neque suo, neque Antonii beneficio restituebatur, qui jam erat Cæsaris lege restitutus.

impetras. Quid enim me interponerem audaciæ tuæ, quam neque auctoritas hujus ordinis, neque existimatio populi Romani, neque leges ullæ possent coercere? Veruntamen quid erat, quod me rogares, si erat is, de quo rogabas, Cæsaris lege reductus? Sed videlicet meam gratiam voluit esse, in quo ne ipsius quidem ulla poterat esse, lege lata (1).

V. Sed cum mihi (*a*), Patres Conscripti, & pro me aliquid, & in M. Antonium multa dicenda sint, alterum peto a vobis, ut me pro me dicentem, benigne, alterum ipse efficiam, ut, contra illum cum dicam, attente audiatis. Simul illud oro, si meam cum in omni vita, tum in dicendo moderationem modestiamque cognostis, ne me hodie, cum isti, ut provocavit, respondero *, oblitum esse putetis mei. Non tractabo ut consulem: ne ille quidem me ut consularem. Etsi ille (*b*) nullo modo consul, vel quod ita vivit, vel quod ita rempublicam gerit, vel quod ita factus est consul: ego sine ulla controversia consularis.

Ut igitur (*c*) intelligeretis, qualem ipse se con-

* Vulg. *respondebo*.

(1) *Lege lata*) Nam si lege Cæsaris reditum in patriam impetraverat, Antonii beneficium in eo restituendo nullum erat. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *Sed cum mihi*) Hactenus de violata amicitia, nunc accedit ad reliqua crimina; locum autem præmittit ab *benevolentiam*, & *attentionem* conciliandam, deprecaturque offensionem, si qua esse poterat in insectatione scelerum Antonii, usus argumento *a majori ad minus*, quod ita se habet:

Magis ille tractare me debet ut Consularem, quam ego eum ut Consulem;
Sed me ille non tractavit ut Consularem;
Ergo multo minus ego eum debeo tractare ut Consulem.

(b) *Etsi ille*) *Propositionis* approbatio.

(c) *Ut igitur*) Vituperaverat Antonius res a Cicerone gestas in Consulatu; sic autem primum respondet Cicero *a Causis*.

Qui meas res gestas vituperat, eum vituperat, quo auctore illas res gessi:
Sed Senatu auctore res omnes gessi in Consulatu;
Ergo Antonius, qui eas vituperat, Senatum reprehendit.

Adeoque stultitiam Antonio objicit, qui hæc dixerit in Senatu.

consulem profiteretur, objecit mihi consulatum meum. Qui consulatus verbo meus, Patres Conscripti, re vester fuit. Quid enim ego constitui, quid gessi, nisi ex hujus ordinis consilio, auctoritate, sententia? Hæc tu homo sapiens, non solum eloquens, apud eos, quorum consilio sapientiaque gesta sunt, ausus es vituperare? Quis autem (*a*) meum consulatum, præter * P. Clodium, qui vituperaret, inventus est? cujus quidem tibi fatum, sicuti C. Curioni, manet (1): quoniam id domi tuæ est, quod fuit illorum utrique fatale (2).

 Non

* Al. *præter te & P. Clodium*.

(1) *Cujus quidem* te *fatum*, *sicuti* C. Curionem, *manet*) Non habeo dubium, quin legi debeat ita, ut in optimo libro scriptum est: *Cujus quidem tibi fatum, sicuti C. Curioni manet*. Sed nescio quomodo fit, ut quicquid paulo longius ab usitata loquendi consuetudine discedit, id quorundam aures protinus repudient. *Muret.* Faernum & Muretum secutus est Lambinus. In meo quoque codice est *tibi*. Laudat etiam sic hunc locum Sanctius in Minerva, lib. II, cap. 4. & constructionem pluribus exemplis confirmat, ut illo Virgilii:

Hæc eadem matrique tuæ, generique manebunt.

Sed præstat ut alia ibi legas. *Grævius*.

(2) *Quod fuit illorum utrique fatale*) Fatalis maritis suis Fulvia, quod eos & ambitione inflaret, & ad ciendas turbas excitaret. Plutarchus in Antonio: *Nuptiis animum adjecit, ducens Fulviam, quæ olim Clodio populari concionatori nupserat, mulierem neque lanificio, neque rei domesticæ deditam, neque viro privato imperare dignantem, sed magistratum obtinenti præesse, & imperanti volentem imperare*. Adeo ut in proscriptione triumvirali multos ipsa suo nomine proscripserit, ut referunt Dio, & Appianus, & tum ipsa, tum Antonius Senatum ludibrio habuerint, ut auctor est Dio, lib. 48: *Eas ludibrio habuerunt, tum aliis modis, tum Senatum Caligam vocantes, quod Senatores calceamentis militaribus uterentur*: Et ipsa post victos Brutum & Cassium, absente Antonio, bellum contra Cæsarem Octavianum, qui in Italiam redierat, excitat. Quo bello ut ibidem narrat Dio, Fulvia & *gladio accingebatur, & militibus tesseram dabat*. Hæc illa est Fulvia, quæ tam fœde insultavit abscisso capiti Ciceronis. Idem Dio, lib. 47: *Fulvia autem id caput arreptum, priusquam auferretur, insultansque amarulentis verbis & conspuens genibus suis imposuit: orique ejus aperto linguam extractam, acubus (quales secum comendi capitis causa mulieres ferunt) compun-*

ANALYSIS.

(a) *Quis autem*) Ab uno P. Clodio nequissimo homine reprehensum fuisse suum Consulatum affirmat, quasi jure eum imitaretur Antonius, cui mala ominatur.

Non placet M. Antonio consulatus meus. At placuit (*a*) P. Servilio, ut eum primum nominem ex illius temporis consularibns, qui proxime mortuus est: placuit Q. Lutatio Catulo, cujus semper in hac republica vivet auctoritas: placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, C. Curioni, M. Lepido, C. Pisoni, M. Glabrioni, L. Volcatio, C. Figulo, D. Silano, L. Murenæ, qui tum erant consules designati: placuit idem, quod consularibus, M. Catoni, qui cum multa, vita excedens, providit, tum quod te consulem non vidit. Maxime vero consulatum meum Cn. Pompejus probavit, qui ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus & gratulans, meo beneficio patriam se visurum esse dixit. Sed quid singulos commemoro? frequentissimo senatui sic placuit, ut esset nemo, qui mihi non, ut parenti, gratias ageret, qui non mihi vitam suam, liberos, fortunas, rempublicam referret acceptam.

VI. Sed quoniam illis, quos nominavi, tot ac talibus viris respublica orbata est, veniamus ad vivos, qui duo e consulari * numero reliqui sunt. L. Cotta, vir summo ingenio, summaque prudentia, rebus iis gestis, quas tu reprehendis, supplicationem decrevit verbis amplissimis: eique illi ipsi, quos

punxit, additis crebris ac turpibus opprobriis. Ut mirum non sit turbulentam hanc mulierem Antonio dici fatalem. Etsi enim insanus amor Cleopatræ extremam ei pestem invexit, id tamen Plutarchus Fulviæ refert acceptum: *Ut mercedem Fulviæ, quod ancillari Antonium docuisset fœminis, debuerit Cleopatra, quæ plane cicurem & velut a tirocinio institutum ad obtemperandum fœminis accepit.* Hæc Plutarchus. Neque tamen uxorem solum, sed etiam equum fatalem habuisse creditus est Antonius. Vide Gellii lib. III. Noct. Attic. cap. 9. *Abram.*

* Al. *de consularium.*

A N A L Y S I S.

(a) *At placuit*) Sic etiam *ab auctoritate* illorum omnium, qui in Rep. principes erant:

Male vituperat Antonius, quod omnes Viri principes probarunt;
Sed omnes Consulares probarunt Consulatum meum;
Ergo illum male Antonius vituperat.

quos modo nominavi, consulares, senatusque cunctus assensus est. Qui honos post conditam hanc urbem habitus est togato ante me nemini. L. Cæsar, avunculus tuus, qua oratione, qua constantia, qua gravitate sententiam dixit in sororis suæ virum, vitricum tuum (1)? Hunc tu (*a*) cum auctorem, & præceptorem omnium consiliorum, totiusque vitæ debuisses habere, vitrici te similem, quam avunculi esse maluisti. Hujus ego alienus consiliis consul usus sum; tu sororis filius, ecquid ad eum unquam de republica retulisti? Ad quos (*b*) refert? dii immortales! ad eos scilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi sunt.

Hodie non descendit Antonius. Cur? dat natalitia in hortis. Cui? neminem nominabo. Putate tum Phormioni (2) alicui, tum Gnathoni, tum Ballioni. O fœditatem (*c*) hominis flagitiosam! o impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam! Tu cum principem senatorem, civem singularem, tam propinquum habeas, ad eum de repu-

 blica

(1) *Vitricum tuum*) Virum matris tuæ, nam mater Antonii fuit Julia Lucii Cæsaris soror, quam post mortem Antonii patris P. Lentulus Sura duxit uxorem: Lentulus autem inter conjuratos jussu Ciceronis est in carcere jugulatus. *Idem*.

(2) *Phormioni*) Parasitis, quales sunt Phormio & Gnatho apud Terentium, & lenonibus similibus illi Ballioni, qui apud Plautum inducitur. *Idem*.

A N A L Y S I S.

(a) *Hunc tu*) Postquam suum defendit, Consulatum Antonii contra redarguit, & videtur argumentum sumptum *a Caussis*:

Illius Consulatus reprehendendus est, qui nihil refert ad bonos viros, & solum homines nequissimos consulit;

Sed Antonius nihil refert ad bonos viros, & homines perditos tantum consulit:

Ergo illius Consulatus reprehendendus est.

Hunc tu) *Assumptionis* prima pars amplificata *ab Adjunctis*; nihil enim referebat ad L. Cæsarem, sapientem Senatorem, avunculum, & quo consultore ipse Cicero homo alienus usus fuerat.

(b) *Ad quos*) *Assumptionis* secunda pars.

(c) *O fœditatem*) Concludit per vehementem *Exclamationem*, quod post absolutam amplificationem facere plerumque solet.

blica nihil referas, ad eos referas, qui suam rem nullam habent (1), tuam exhauriunt? Tuus videlicet (*a*) salutaris consulatus, perniciosus meus.

VII. Adeone pudorem cum pudicitia (2) perdidisti, ut hoc in eo templo dicere ausus sis, in quo ego senatum illum, qui quondam florens orbi terrarum præsidebat, consulebam, tu homines perditissimos cum gladiis collocavisti? At etiam (*b*) ausus es (quid autem est, quod tu non audeas?) clivum Capitolinum dicere, me consule, plenum servorum armatorum fuisse. Ut illa (*c*), credo, nefaria senatusconsulta (3) fierent, vim afferebam senatui. O miserum, sive illa tibi nota non sunt (nihil enim bonum nosti) sive sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare! Quis enim eques (*d*) Romanus, quis, præter te, adolescens nobilis, quis ullius ordinis, qui se civem esse meminisset, cum senatus in hoc templo esset, in clivo Capitolino

(1) *Qui suam rem nullam habent*) Lusit in vocabulo *res*. Cur ad eos, inquit, refers de rep. qui suam ipsi rem nullam habent, tuam perdunt? *Manut.*

(2) *Pudorem cum pudicitia*) Pudor est animi, pudicitia corporis. Tu igitur, Antoni, qui pudicitiam perdideras, parum de pudore laborasti: qui enim impudicus fuerit, eum impudentem esse quis miretur? *Idem*.

(3) *Nefaria Senatusconsulta*) Ironice loquitur. Intelligit enim ea Senatusconsulta, quæ de conjuratis facta sunt.

A N A L Y S I S.

(a) *Tuus videlicet*) *Complexio* de utriusque Consulatu cum increpatione Antonii.

(b) *At enim*) Secundum Antonii objectum, cui respondet *a Repugnantibus*:

Ille non utitur servis armatis, qui optima a Senatu decreta fieri vult, & habet præsidium bonorum omnium;
Sed optime a Senatu decerni volebam, & habebam præsidium bonorum omnium;
Ergo uti servis armatis non potui.

(c) *Ut illa*) *Propositionis* prima pars per *ironiam*, & impudentiam exprobrat Antonio.

(d) *Quis enim eques*) *Assumptionis* secunda pars, cujus approbatio statim sequitur; nam cum ageretur de Patriæ salute, & Cicero Dux esset, non poterant non convenire omnes ad Patriam defendendam.

limo non fuit? quis nomen non dedit (1)? Quanquam nec scribæ sufficere, nec tabulæ nomina illorum capere potuerunt. Etenim cum homines nefarii de patriæ parricidio confiterentur, consciorum indiciis, sua manu, voce pene literarum (2) coacti, se urbem inflammare, cives trucidare, vastare Italiam, delere rempublicam consensisse: quis esset, qui ad salutem communem defendendam non excitaretur? præsertim cum senatus, populusque Romanus haberet ducem, qualis si qui nunc esset, tibi idem, quod illis accidit, contigisset. Ad sepulturam (a) corpus vitrici (3) sui negat a me datum. Hoc vero ne P. quidem Clodius dixit unquam, quem, quia jure ei fui inimicus, doleo a te jam omnibus vitiis esse superatum. Qui autem tibi venit in mentem, redigere in memoriam nostram, te domi P. Lentuli esse educatum? an verebare, ne non putaremus natura te potuisse tam improbum evadere, nisi accessisset etiam disciplina?

(1) *Quis nomen non dedit*) Nomen dare dicuntur, qui in delectu in militum matriculam referuntur. Livius lib. II. *Delectuque decreto nemo nomen dedit*. Paulo post: *Omisso certamine nomina dedere*. Libro IV: *Cognitio vacantium militiæ munere post bellum differtur. Ita dubii quoque inclinant ad nomina danda*. Manut.

(2) *Voce pene literarum*) Certe, ut Bisciolæ nostri verbis utar lib. VI. Subsecivarum, cap. XII: *Mirabantur & nostro seculo Indi papyrum loquentem, ut ipsi putabant, quod a rerum Indicarum scriptoribus narratur*. Quo in genere lepida est narratiuncula de illo puero, qui jussu heri fiscellam ficibus plenam ad herilem amicum deferens, partem ederat in via, partem ei reddiderat ad quem fuerant destinatæ. Et rem per literas de hero detectam admirans, paulo post cum eandem ferendarum ficuum accepisset provinciam, literas, ne quid illæ rescifcerent, in terram defodit, ficusque, ut rebatur, sine arbitris manducavit.

(3) *Vitrici*) Lentuli.

ANALYSIS.

(a) *Ad sepulturam*) Tertium objectum; Cicero contra Antonium accusat improbitatis *a Comparatione* Clodii; impudentiæ, quod fateretur educatum se domi P. Lentuli hominis perditissimi; & inscitiæ, quod sibi ipse contradicat.

VIII. Tam autem eras excors, ut tota in oratione tua tecum ipse pugnares; ut non modo non cohærentia inter se diceres, sed maxime disjuncta, atque contraria; ut non tanta mecum, quanta tecum tibi esset contentio. Vitricum tuum in tanto fuisse scelere fatebare, pœna affectum querebare. Ita, quod proprie meum est, laudasti; quod totum senatus est, reprehendisti. Nam comprehensio sontium, mea, animadversio, senatus fuit. Homo disertus non intelligit, eum, quem contra dicit, laudari a se, eos, apud quos dicit, vituperari.

Jam illud (*a*) cujus est, non dico audaciæ, (cupit enim se audacem dici) sed, quod minime vult, stultitiæ, qua vincit omnes, clivi Capitolini mentionem facere, cum inter subsellia nostra versentur armati? cum in hac cella Concordiæ (1), o dii immortales! in qua, me consule, salutares sententiæ dictæ sunt, quibus ad hanc diem viximus, cum gladii homines collocati stent? Accusa senatum (*b*), accusa equestrem ordinem, qui tum cum senatu copulatus fuit, accusa omnes ordines, omnes cives, dum confiteare, hunc ordinem,

(1) *In hac cella Concordiæ*) Deprehensis conjuratorum literis, ut narrat Plutarchus in Cicerone, *Senatui in cellam Concordiæ convocato, literas recitavit, & indices audivit*. Unde illud pro Sextio: *Erat eodem tempore Senatus in æde Concordiæ, quod ipsum tempus repræsentabat memoriam consulatus mei*. Manutius.

ANALYSIS.

(a) *Jam illud*) Hinc subdit aliam increpationem Antonii *a Repugnantibus*, quod ausus esset objicere Ciceroni clivum Capitolinum, de quo supra; hoc modo:

Qui cepit arma Reip. perniciosa, non debet alteri objicere, quæ pro salute Reip. sumpta sunt;
Sed Antonius arma cepit Reip. perniciosa;
Ergo mihi objicere non debuit, quæ cepi pro salute Reip.

(b) *Accusa Senatum*) *Assumptio* præcedit; hac autem invidiosa, & stomachi plena *Concessione* continetur *Propositionis* approbatio *ab Adjunctis*.

nem, hoc ipso tempore, ab Ithyreis (1) circumsederi. Hæc tu non propter audaciam dicis tam impudenter, sed qui * tantam rerum repugnantiam non videas: nihil profecto sapis. Quid est enim dementius, quam, cum ipse ** reipublicæ perniciosa arma ceperis, objicere alteri salutaria?

At etiam (*a*) quodam loco facetus esse voluisti. Quam id (dii boni!) te non decebat! in quo est tua culpa nonnulla. Aliquid enim salis ab uxore mima (2) trahere potuisti. *Cedant arma togæ*. Quid? tum nonne cesserunt? At postea tuis armis cessit toga. Quæramus igitur, utrum melius fuerit, libertati populi Romani sceleratorum arma, an libertatem nostram armis tuis cedere. Nec vero tibi de versibus respondebo: tantum dicam breviter, neque illos, neque ullas te omnino literas nosse, me nec reipublicæ, nec amicis unquam defuisse, & tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse operis subsecivis, ut meæ vigiliæ, meæque literæ & juventuti utilitatis, & nomini Romano laudis aliquid afferrent. Sed hæc non hujus temporis; ad majora veniamus ***.

IX. P. Clodium (*b*) meo consilio interfectum esse

* Vict. Man. Lamb. *quia tantarum rerum*.
** Vict. *contra rempublicam*. *** Vulg. *majora videamus*.
(1) *Ab Ithyreis*) Barbaris ab Ithyra urbe in Tauro monte. *Idem*.
(2) *Ab uxore mima*) A Cytheride, amica sua, quam secum vel in castra ducebat. Unde Virg. *Tua, Galle, Lycoris, Perque nives alium, perque horrida castra secuta est*. Cytheridem significat, ut ait Probus, quæ & Volumnia vocabatur, quod eam Volumnius Eutrapelus antequam Antonius, amavit. Vide infra, & epist. ult. lib. IX. Fam. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *At etiam*) Quarto versum quemdam objecerat, ut ineptum, & jactantiæ plenum, quo usus fuerat Cicero post extinctam Catilinæ conjurationem. Respondet, tunc reipsa togæ arma cessisse; Antonium id exprobrare non debuisse, cujus armis e converso toga cedat; se autem cum Antonio comparat.

(b) *P. Clodium*) Quintum crimen ita diluit *a majori ad minus*: *Tibi*

esse dixisti. Quidnam homines putarent, si tum occisus esset, cum tu illum in foro, inspectante populo Romano, gladio stricto insecutus es, negotiumque transegisses, nisi ille se in * scalas tabernæ librariæ conjecisset, hisque oppilatis impetum tuum compressisset? Quod quidem ego favisse (1) me tibi fateor; suasisse, ne tu quidem dicis. At Miloni ne favere quidem potui. Prius enim rem transegit, quam eum quisquam facturum id suspicaretur. At ego suasi. Scilicet is animus erat Milonis, ut prodesse reipublicæ sine suasore non posset. At lætatus sum (a). Quid **? ergo in tanta lætitia cunctæ civitatis me unum tristem esse oportebat?

Quanquam de morte P. Clodii (2) fuit quæstio non satis prudenter illa quidem constituta. Quid enim attinebat nova lege quæri de eo, qui hominem occidisset, cum esset legibus quæstio constituta? Quæsitum est tamen. Quod ergo, cum res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis post tu es

* Vulg. *sub*. ** Vulg. *Quid ergo?*

(1) *Favisse*) Plausu significasse tuum factum, sive potius conatum mihi probari. Cujus autem impudentiæ fuit, objicere alteri consilium patrati facinoris, quod sua manu patrare voluerat Antonius? *Abram.* Monuit Fr. Sanctius, *Minerv.* III. 3. verbum *faveo* non minus activum esse, quam *invideo*: atque ut latine dixit Virgilius, Georg. I. 503. *Nobis cæli te regia invidet*, ita latinum esse *Faveo tibi hanc rem*, *hoc factum*. Si quis tamen hic ellipsin esse velit præpositionis *ob*, *propter*, non valde reluctabor. Vulg. *sed quid? ego favisse*.

(2) *Quamquam de morte P. Clodii*) Occurrit tacitæ objectioni, *Si omnes, ut dicis, Clodii morte lætati sunt, cur igitur Milo damnatus est?* Id acceptum refert non causæ Milonis, quæ fuit optima, sed institutioni novæ quæstionis. De qua multis queritur pro Milone. *Abram.*

ANALYSIS.

Tibi volenti Clodium interficere favebam quidem, sed non suadebam;
Sed Miloni neque favere potui, neque suadere;
Ergo non debent homines putare, meo consilio interfectum fuisse Clodium a Milone.

(a) *At lætatus sum*) Suam lætitiam excusat, & quæstionem constitutam de morte P. Clodii reprehendit, quod fusius facit orat. pro Milone.

es inventus, qui diceres? Quod vero (*a*) dicere ausus es, idque multis verbis, opera mea Pompejum a Cæsaris amicitia esse disjunctum, ob eamque causam mea culpa civile bellum esse natum, in eo non tu quidem tota re, sed, quod maximum est, temporibus errasti.

X. Ego M. Bibulo, præstantissimo cive, consule, nihil prætermisi, quantum facere enitique potui, quin Pompejum a Cæsaris conjunctione avocarem. In quo Cæsar fuit felicior. Ipse enim Pompejum a mea familiaritate disjunxit. Postea vero quam se totum Pompejus Cæsari tradidit, quid ego illum ab eo distrahere conarer? Stulti erat sperare, suadere impudentis.

Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Cæsarem Pompejo suaserim. Ea velim reprehendas, si potes. Unum, ne quinquennii imperium (1) Cæsari prorogaretur: alterum, ne pateretur ferri (2), ut absentis ejus ratio haberetur (3). Quorum si utrumvis persuasissem, in has miserias nunquam incidissemus. Atque idem ego cum jam omnes opes, & suas, & populi Romani Pompejus ad Cæsarem detulisset, seroque ea sentire cœpisset, quæ ego ante multo provideram, inferrique patriæ bellum nefarium viderem, pacis, concordiæ, compositionis auctor esse non destiti: meaque illa vox est nota multis, *Utinam, Pompei, cum Cæsare societatem aut nunquam coisses,* *aut*

(1) *Ne quinquennii imperium*) Vide Orat. de Prov. Consul.
(2) *Ferri*) Subauditur legem.
(3) *Ratio haberetur*) In Comitiis Consularibus.

ANALYSIS.

(a) *Quod vero*) Sextum crimen ita purgat *a Causis:*
Bellum Civile nullum fuisset, si Pompejus aut nunquam societatem cum Cæsare coisset, aut unquam diremisset;
Sed ego suasi Pompejo ne societatem cum Cæsare coiret, deinde ne eam dirimeret;
Ergo si mea consilia valuissent, nullum fuisset bellum civile.
Assumptionem accurate exponit quoad utramque partem.

aut nunquam diremisses! Fuit alterum gravitatis, alterum prudentiæ tuæ. Hæc mea, M. Antoni, semper & de Pompejo, & de republica consilia fuerunt. Quæ si valuissent, respublica staret: tu tuis flagitiis, egestate, infamia, concidisses.

XI. Sed hæc vetera (*a*): illud vero recens, Cæsarem meo consilio interfectum. Jam vereor (*b*), Patres Conscripti, ne, quod turpissimum est, prævaricatorem mihi apposuisse videar, qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret alienis. Quis enim meum (*c*) in istius gloriosissimi facti conscientia * nomen audivit? cujus autem (*d*), qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum? Occultatum dico? cujus non statim divulgatum? Citius dixerim jactasse se aliquos, ut fuisse in ea societate viderentur, qui socii ** non fuissent, quam ut quisquam celare vellet.

Quam verisimile porro est, in tot hominibus, partim obscuris, partim adolescentibus, neminem occultantibus, meum nomen latere potuisse? Etenim si (*e*) auctores ad liberandam patriam desi-de-

* Vulg. *in ista societate gloriosissimi facti*.
** Vulg. *cum conscii .... celari vellet, qui fuisset*.

A N A L Y S I S.

(a) *Sed hæc vetera*) Septimum objectum, quod primo falsum esse probat *ab Adjunctis*:

Si fuissem conscius conjurationis, meum nomen non fuisset occultatum;
Sed nemo me inter Conjuratores nominavit;
Ergo non fui conscius illius Conjurationis.

(b) *Jam vereor*) Ut ostendat, se negare fuisse in eo numero in gratiam veritatis, non autem, quod factum pulcherrimum reprehenderet.

(c) *Quis enim meum*) *Assumptio*.

(d) *Cujus autem*) *Propositionis* duplex approbatio, tum quod nemo latere voluerit suum nomen, tum quod neque poterat latere ob ignobilitatem, & ætatem Conjuratorum.

(e) *Etenim si*) Secundo idem confirmat *a Causis*:

Illis ego non suasi mortem Cæsaris, qui vel aliis causis movebantur, vel mihi erant suspecti;
Sed ex Conjuratis alii excitabantur aliunde, alii mihi suspecti erant;

Erge

derarentur illis auctoribus (1), Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti imaginem quotidie videret, alter etiam Ahalæ? Hi igitur his majoribus orti, ab alienis potius consilium peterent, quam a suis? & foris potius, quam domo? Quid? C. Cassius, in ea familia natus, quæ non modo dominatum, sed ne potentiam quidem cujusquam ferre potuit, me auctorem, credo, desideravit: qui etiam sine his clarissimis viris hanc rem in Cilicia ad ostium fluminis Cydni confecisset, si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contrariam, naves * appulisset. Cn. Domitium (2) non

* Al. *navi*.

(1) *Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis auctoribus*) Si M. Brutus, Decimus Brutus, C. Cassius, qui conspirationis in Cæsarem factæ principes & auctores fuerunt, eguissent aliis auctoribus & impulsoribus ad illud facinus designandum, non opus erat ut eos ipse hortarer, iisque tanti facinoris auctor essem, cum haberent domesticos hortatores & majorum suorum exempla. Et uterque Brutus inter paternas majorum suorum imagines in atrio domus suæ collocatas viderent imaginem Luc. Bruti, qui Tarquinios ejecit, & patriam ab eorum dominatione liberavit. M. Brutus etiam inter maternas majorum imagines videret imaginem Ahalæ Servilii, qui sua manu occidit Spurium Melium, qui annona levanda, jacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem venerat regni appetendi. Cassius haberet exempla majorum suorum, e quibus ille fuit Cassius, qui filium suum legibus agrariis populares auras aucupantem, cum in suspicionem venisset affectati regni, dicitur interemisse, & bona ejus Cereri consecrasse. *Abr.*

(2) *Cn. Domitium*) Cn. Domitius me auctore non egebat ad inferendam Cæsari necem, satis excitatus interitu patris sui Luc. Domitii, qui occubuit pugna Pharsalica, & avunculi sui M. Catonis Uticensis, qui Uticæ mortem sibi ipse conscivit, ne in Cæsaris victoris manus deveniret. Hic autem est Cn. ille Domitius Neronis proavus, quem Tranquillus in Nerone cap. 3. ait, *omnibus gentis suæ præferendum*. Subditque: *Is inter conscios Cæsarianæ necis* (*quanquam insons*) *damnatus lege Pedia, cum ad Cassium Brutumque se propinqua sibi cognatione conjunctos contulisset, post utriusque interitum classem olim commissam retinuit:* *auxit*

ANALYSIS.

Ergo iis non potui suadere Cæsaris mortem.

In amplificanda Assumptione, exponit quibus rebus excitati sint ad libertatem recuperandam uterque Brutus, Cassius, Domitius, & Servilii, & quam ipse diffideret Trebonio, & Tullio Cimbro.

non patris interitus, clarissimi viri, non avunculi mors, non spoliatio dignitatis, ad recuperandam libertatem, sed mea auctoritas excitavit? An C. Trebonio ego persuasi? cui ne suadere quidem ausum essem. Quo etiam majorem ei respublica gratiam debet, qui libertatem populi Romani unius amicitiæ præposuit: depulsorque dominatus, quam particeps esse maluit. An L. Tullius Cimber me est auctorem secutus? quem ego magis fecisse illam rem sum admiratus, quam facturum putavi. Admiratus sum autem ob eam causam, quod immemor beneficiorum, memor patriæ fuisset. Quid duos Servilios? Cascas dicam, an Ahalas? & hos auctoritate mea censes excitatos potius, quam caritate reipublicæ? Longum est persequi cæteros: idque reipublicæ præclarum fuisse tam multos, ipsis gloriosum *.

XII. At quemadmodum (*a*) me coarguerit homo acutus, recordamini. Cæsare interfecto, inquit, statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit, atque ei recuperatam libertatem est gratulatus. Cur mihi potissimum? Quod sciebam? Vide ne illa causa fuerit appellandi me, quod cum rem gessisset consimilem rebus iis, quas ipse gesseram, me potissimum testatus est, se æmulum mearum laudum extitisse. Tu autem (*b*) omnium stultissime non in-

* Al. *ipsis gloriosus est*.

A N A L Y S I S.

auxit etiam, nec nisi partibus ubique profligatis, M. Antonio sponte & ingentis meriti loco tradidit, solusque omnium ex iis qui pari lege damnati erant, restitutus in patriam, amplissimos honores percucurrit. Abram.

(a) *At quemadmodum*) Verba refert, quibus hoc objecerat Antonius: seque ideo a Bruto appellatum ait, quod utriusque idem pro Rep. factum fuisset.

(b) *Tu autem*) Tertio sic arguit *a Pari*:
Idem crimen est, velle aliquem interfici, & lætari morte illius;
Sed nulla est culpa, quod lætatus sum morte Cæsaris;
Ergo pariter nulla, etiamsi volui illum interfici.
Propositio præcedit cum sua approbatione.

intelligis, si id, quod me arguis, voluisse interfici Cæsarem, crimen sit, etiam lætatum esse morte Cæsaris, crimen esse? Quid enim interest inter suasorem facti, & probatorem? aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? Ecquis est (*a*) igitur, te excepto *, & iis qui illum regnare gaudebant, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? Omnes ergo in culpa. Etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Cæsarem occiderunt. Aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit; voluntas nemini.

Sed stuporem (*b*) hominis, vel dicam pecudis, attendite. Sic enim dixit, *M. Brutus, quem ego honoris causa nomino, cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamavit: ex quo intelligi debet, eum conscium fuisse.* Ergo ego sceleratus appellor a te, quem tu suspicatum aliquid suspicaris, ille, qui stillantem præ se pugionem tulit, is a te honoris causa nominatur? Esto: sit (*c*) in verbis tuis hic stupor. Quanto in rebus, sententiisque major? Constitue hoc (*d*), consul, ali-

* Vulg. *exceptis iis, qui.*

ANALYSIS.

(a) *Ecquis est*) *Assumptio* approbata: nulla enim mea culpa feci, quod feci simul cum omnibus bonis.

(b) *Sed stuporem*) Quarto stuporem, & inscitiam tum in verbis, tum in sententiis exprobrat Antonio, *a Repugnantibus*; in verbis quidem sic:

Summa inscitia est, honorare, quem interfectorem fatearis; sceleratum dicere, quem suspiceris conscium fuisse;
Sed ab Antonio honoris causa nominatur Brutus, quem fatetur interfectorem, ego dicor sceleratus, quem suspicatur conscium fuisse;
Ergo summa est inscitia, & stupor Antonii.

(c) *Esto: sit*) In sententiis autem hac ratione, itidem *a Repugnantibus*:

Stulte objicitur adversario, convicii loco, quod laude dignum est;
Sed mors Cæsaris res est laudabilis;
Ergo stulte mihi illam Antonius objicit loco convicii.

(d) *Constitue hoc*) *Assumptionis* approbatio per *Dilemma*:
Mors Cæsaris aut est res laudabilis, aut maximum scelus;
Sed maximum scelus fuisse ipse Antonius negat;
Ergo fatetur fuisse rem laudabilem.

Pri-

liquando; Brutorum, C. Caſſii, Cn. Domitii, C. Trebonii, reliquorum, quam velis eſſe cauſam. Edormi crapulam, inquam, & exhala. An faces admovendæ ſunt, quæ te excitent, tantæ cauſæ indormientem? Numquamne intelligis, ſtatuendum tibi eſſe, utrum illi, qui iſtam rem geſſerunt, homicidæ ſint, an vindices libertatis?

XIII. Attende enim pauliſper, cogitationemque ſobrii hominis punctum temporis ſuſcipe. Etenim * ego, qui ſum illorum, ut ipſe fateor, familiaris, ut a te arguor, ſocius, nego quidquam eſſe medium: confiteor eos, niſi liberatores populi Romani conſervatoreſque reipublicæ ſint, plus quam ſicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas eſſe: ſiquidem eſt atrocius patriæ parentem, quam ſuum occidere. Tu homo ſapiens (*a*) & conſiderate, quid dicis? ſi parricidæ, cur honoris cauſa a te ſunt & in hoc ordine, & apud populum Romanum ſemper appellati? cur M. Brutus (1), te referente, legibus eſt ſolutus, ſi ab urbe, plus quam decem dies abfuiſſet? cur ludi Apollinares (2) incredibili M. Bruti honore celebrati? cur provinciæ Caſſio & Bru-

* In vulg. deeſt *etenim*.

(1) *M. Brutus*) Cui, quia prætor erat, ab urbe plus quam decem dies abeſſe non licebat, niſi legibus ſolveretur. *Manut.*

(2) *Cur ludi Apollinares*) Brutus & alii Cæſaris percuſſores patrata cæde, veteranorum, & plebeculæ metu ex urbe profugerant, & Senatus ut honeſtum fugæ prætextum daret, Brutum & Caſſium annonæ præfecerat. Cum autem Prætoris eſſet urbani ludos Apollinares exhibere, eos C. Antonius Prætor abſentis Bruti nomine magnifice ſuppeditatis a Bruto ſumptibus celebravit. *Abram.*

A N A L Y S I S.

Prima eſt *Propoſitio* cum vehementi increpatione Antonii; patet autem ex eo, quod, ſi Cæſarem interfecerunt Reip. cauſa, libertatis vindices; ſi privato odio, parricidæ ſine controverſia dicendi ſunt.

(*a*) *Tu homo ſapiens*) Sequitur *Aſſumptio*; non enim Antonius omnibus in rebus eos ornaſſet, a quibus maximum ſcelus admiſſum judicaret.

Bruto datæ (1)? cur quæstores additi? cur legatorum numerus auctus? Atque hæc acta per te. Non igitur homicidæ. Sequitur (*a*), ut liberatores tuo judicio sint: quandoquidem tertium nihil potest esse.

Quid est? num conturbo te? Non enim fortasse satis, quæ distinctius dicuntur, intelligis. Sed tamen hæc est summa conclusionis meæ: Quoniam scelere a te liberati sunt, ab eodem te amplissimis præmiis dignissimos judicatos. Itaque jam (*b*) retexo (2) orationem meam. Scribam ad illos, ut, si qui forte, quod a te mihi objectum est, quærent, sitne verum, ne cui negent. Etenim vereor, ne aut celatum me ab ipsis, illis * non honestum; aut invitatum refugisse, mihi sit turpissimum. Quæ enim res unquam, pro sancte Jupiter! non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta major? quæ gloriosior? quæ commendatior hominum memoriæ sempiternæ? In hujus me consilii societatem, tanquam in equum Trojanum cum principibus includis **? non recuso.

Ago etiam gratias, quoquo animo facis. Tanta enim res est, ut invidiam illam, quam tu in me

* Vulg. *celatum me, illis ipsis non honestum.*

** Vulg. *includi cum principibus non recuso.*

(1) *Cur provinciæ Cassio & Bruto datæ*) Bruto Macedonia, Cassio Syria. *Idem.*

(2) *Retexo*) Retracto quæ dixeram, me videlicet conspirationis illius conscium non fuisse. Videtur autem esse ironia: non enim ad Brutum & Cassium ea de re scribere decreverat. Retexo, est muto & corrigo. Sic epist. 14. lib. xi. ad Familiares: *Novi timores retexunt superiora.* Manutius ibidem, epist. 28. *An quod adolescens præstiti, cum etiam errare cum excusatione possem: id nunc ætate præcipitata, commutem, ac me ipse retexam?* Ubi Manutius: *Qui retexit, mutat, quod jam fecit quasi male factum.* Abram.

ANALYSIS.

(a) *Sequitur*) *Complexio*, quam statim *Epicheremate* illustrat.

(b) *Itaque jam*) Nunc amplificat superius argumentum *a Repugnantibus*, & accipere se ait laudes, quas in vituperando sibi Antonius impertiat, illamque rem extollit *a Comparatione* minorum, & parium, hoc est Equi Trojani, & a consecutura apud omnes gentes immortalitate.

vis concitare, cum laude non comparem. Quid enim beatius illis, quos tu expulsos a te prædicas, & relegatos? qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus, qui illos, quo accesserint, non affari atque appetere videatur? qui homines tam agrestes, qui se, cum eos adspexerint, non maximum cepisse vitæ fructum putent? quæ vero tam immemor posteritas, quæ tam ingratæ literæ reperientur, quæ eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequantur? Tu vero adscribe me talem in numerum.

XIV. Sed unam rem (*a*) vereor, ne non probes. Si enim fuissem, non solum regem, sed regnum etiam de republica sustulissem: &, si meus stylus (1) ille fuisset, (ut dicitur) mihi crede, non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem. Quanquam si (*b*) interfici Cæsarem voluisse

(1) *Si meus stylus*) Si fuissem poeta illius fabulæ, quam Brutus & Cassius egerunt, &c. Fabula est liberatio reipublicæ, poeta Cicero, stylus consilium, actus unus cædes Cæsaris, reliqui quatuor actus ad absolvendam fabulam requisiti videntur esse cædes Lepidi & trium Antoniorum, quos Cicero de medio sustulisset, quod iis stantibus non posset stare respublica. Alia translatione idem expressit lib. XII. ep. ad Cassium 4. *Vellem Idibus Martiis me ad cœnam invitasses; reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiæ vestræ exercent, & quidem præter cæteros me.* Quod repetit lib. X. ad Familiares, epistola ad Trebonium, quæ est 28. *Idem.*

A N A L Y S I S.

(a) *Sed unam rem*) Quinto ita rursus in Antonium insurgit:

Si ego fuissem in numero Conjuratorum, Antonium cum Cæsare interfecissem;

Sed perpercerunt Antonio;

Ergo me Auctorem illi non sunt secuti.

(b) *Quanquam si*) Sexto *a Pari*, tali ratione:

Si ego in culpa sum, quod volui Cæsarem interfici, omnes erunt in eadem culpa, qui illum interfici voluerunt;

Sed etiam Antonius de morte Cæsaris aliquando cogitavit;

Ergo ille etiam in culpa est.

Hoc tamen consilium non ceperat Antonius cum Trebonio Narbone, ut ait Cicero, sed communicatum a Trebonio non indicaverat Antonius Cæsari, neque vero particeps consilii esse voluerat. Plut. & Appianus.

luisse crimen est (1) vide, quæso, Antoni, quid tibi futurum sit, quem & Narbone hoc consilium (2) cum C. Trebonio cepisse notissimum est, & ob ejus consilii societatem, cum interficeretur Cæsar, tum te a Trebonio vidimus sevocari (3). Ego autem (vide quam tecum agam non inimice) quod bene cogitasti aliquando, laudo: quod non indicasti, gratias ago: quod non fecisti, ignosco. Virum res illa quærebat.

Quod si te (*a*) in judicium quis adducat, usurpetque illud Cassianum (4), *Cui bono fuerit*:

(1) *Quanquam si interfici Cæsarem voluisse crimen est*) Antonius Cæsari ex Hispania redeunti victis Pompeji liberis, Narbonem usque obviam progressus comitem habuit, & contubernalem C. Treboninum; isque oblique necandi Cæsaris mentionem injecit. Antonius Trebonii consilio non acquievit ille quidem, sed fideliter rem silentio suppressit, ne ad aures Cæsaris manaret. Cicero rem aliter interpretatus contendit, Antonio necandi Cæsaris voluntatem adfuisse, sed audaciam defuisse. *Idem*

(2) *Hoc consilium*) Ita rem narrat Plutarchus in Antonio: *Et cum ex amicis fidelissimum quemque ad id negotium eligerent, deliberabant circa Antonium. Cumque cæteri vellent eum in consilii societatem admittere, repugnavit Trebonius. Dicebat enim quo tempore Cæsari ex Hispania redeunti obviam ierunt, sibi comitem & contubernalem fuisse M. Antonium, cujus animum cum ipse pedetentim, & caute experiri voluisset, Antonium ajebat sensisse quidem quorsum ea dicerentur, id tamen facinus aggredi noluisse, sed nihilo secius fideliter tacuisse, neque insidias ad Cæsarem detulisse*. Abram.

(3) *Te a Trebonio vidimus sevocari*) Plutarchus tamen in Cæsare: *Antonium, qui & Cæsari fidelis erat & robustus, extra curiam detinuit Brutus Albinus injiciens sermonem data opera longiorem*. Sed Plutarcho Plutarchum opponimus: *At Trebonius*, inquit in Bruto, *Antonium circa curiæ januam seductum injecto sermone foris detinuit*. Cui conceptis verbis adstipulatur etiam Dio lib. 43. & Noster lib. 10. ad Familiares epist. 28. quæ est ad ipsum Trebonium: *Quod vero a te viro optimo seductus est, tuoque beneficio adhuc vivit hæc pestis, interdum, quod vix mihi fas est, tibi subirascor*. Idem Philipp. XIII. *Idem*.

(4) *Cassianum*) Vide Orat. pro Milone, cap. 12, & ibi Asconium.

ANALYSIS.

(a) *Quod si te*) Ultimo transferre videtur culpam interfecti Cæsaris in Antonium, qui non maxima tantum commoda, sed etiam regnum ea morte obtinuerat; hoc ipsum tamen in illius vituperationem tandem convertit.

rit: vide, quæso, ne hæreas. Quanquam illud quidem fuit, ut tu dicebas, omnibus bono, qui servire nolebant: tibi tamen præcipue, qui non modo non servis, sed etiam regnas: qui maximo te ære alieno ad ædem Opis liberasti: qui per easdem tabulas (1) innumerabilem pecuniam dissipavisti: ad quem e domo Cæsaris (2) tam multa delata sunt: cujus domus, quæstuosissima est falsorum commentariorum & chirographorum officina: agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium, flagitiosissimæ nundinæ. Etenim quæ res egestati & æri alieno tuo, præter mortem Cæsaris, subvenire potuisset?

Nescio quid conturbatus esse videris. Nunquid subtimes, ne ad te hoc crimen pertinere videatur? Libero te metu: nemo credet unquam: non est tuum de republica bene mereri: habet istius pulcherrimi facti clarissimos viros respublica auctores: ego te tantum gaudere dico, fecisse non arguo. Respondi (*a*) maximis criminibus: nunc etiam reliquis respondendum est.

XV. Castra mihi (*b*) Pompeji, atque illud omne

(1) *Per easdem tabulas*) Infra: *Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis quæ sunt ad Opis patebat?* Eam autem pecuniam dicitur per easdem tabulas dissipasse, quia tabulas adulteraverat, ne furtum illud extaret. *Abramus*.

(2) *E domo Cæsaris*) Post Cæsaris necem Calpurnia Cæsaris conjux, verita ne vel Cæsaris percussores, vel etiam Senatus invaderet, ingentem pecuniæ vim e domo Cæsaris prolatam, id est tria circiter talentum millia deposuit apud Antonium. Et in his Cæsaris commentarios, in quibus ipsius manu notata erant, quæ Cæsar facere decreverat. Interim cum Senatus nihil de Cæsaris actis mutandum censuisset, Antonius hanc occasionem rapiens Cæsaris commentarios adulteravit, & agros, immunitates, vectigalia civitatibus concessit, nihilque non vendidit cujus invenit emptorem. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Respondi*) Gravissimis criminibus hactenus satisfecit; nunc cætera, eaque longe leviora persequitur.

(b) *Castra mihi*) 1. Timiditatem objecerat Ciceroni in castris Pompeji ante pugnam Pharsalicam, & importunam mœstitiam;

omne tempus objecisti. Quo quidem tempore si, ut dixi, meum consilium, auctoritasque valuisset: tu hodie egeres, nos liberi essemus; respublica non tot duces & exercitus (1) amisisset. Fateor enim, me, cum ea, quæ acciderunt, providerem futura (2), tanta in mœstitia fuisse, quanta cæ-

(1) *Exercitus*) Tres, quorum unus in Thessalia apud Pharsalum, alter in Africa apud Thapsum, tertius in Hispania apud Mundam deletus est. Primus Imperatorem habuit Cn. Pompejum, secundus P. Scipionem, tertius Cneum & Sextum liberos Pompeji. *Abram.* Vide infra, cap. 22.

(2) *Providerem futura*) Quam prudenter Orator bello civili futura providerit, vide orat. pro Marcello: *Tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem prudens & sciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium.* Adde Epist. IV. lib. x. ad Attic. *Præclara igitur conscientia sustentor, cum cogito me de republica aut meruisse optime, cum potuerim, aut certe nunquam nisi divine cogitasse: eaque ipsa tempestate eversam esse rempublicam, quam ego quatuordecim annis ante prospexerim.* Libro VII. epist. v: *Pace opus est. Ex victoria cum multa mala, tum certe tyrannis existet.* Lib. x, epist. v: *Regnandi contentio est, in qua pulsus est modestior Rex, & probior & integrior, & is, qui nisi vincit, nomen populi Romani deleatur necesse est: sin autem vincit, Syllano more exemploque vincet.* Jam quid de interitu Pompeji prædixerit, constat e multis, ut lib. VIII. ad Attic. epist. I. *Invitus in eam causam descendo, in qua neque pacis, neque victoriæ ratio quæsita est unquam, semper flagitiosæ & calamitosæ fugæ.* Lib. XI, epist. VI: *De Pompeji exitu mihi dubium nunquam fuit: tanta enim desperatio rerum ejus omnium regum & populorum animos occuparat, ut quocunque venisset, hoc putarem futurum.* Quid? quod etiam Cæsaris exitum longe ante prospexit. Epist. VI, lib. x: *Nullo enim modo posse video stare istum diutius, quin ipse per se etiam languentibus nobis concidat, quippe qui florentissimus ac novus septem diebus ipsi illi egenti ac perditæ multitudini in odium acerbissimum venerit, qui duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello, divitiarum in ærario.* Item: *Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quod diximus: nec fallit, nec aliter accidet. Corruat iste necesse est aut per adversarios, aut ipse per se, qui quidem sibi est adversarius unus acerrimus. Id spero vivis nobis fore: quanquam tempus est nos de illa perpetua jam, non de hac exigua vita cogitare: sin quid acciderit maturius, haud sane mea mul-*

ANALYSIS.

tiam; se Cicero tuetur *a Causis*.

Mœrere causa Reip., non privato periculo, dignum est laude;
Sed ego in castris mœrebam causa Reip., non periculo mortis;
Ergo mea illa mœstitia digna erat laude.

teri optimi cives, si idem providissent, fuissent. Dolebam, dolebam, Patres Conscripti, rempublicam, vestris quondam meisque consiliis conservatam, brevi tempore esse perituram. Neque vero eram tam indoctus, ignarusque rerum, ut frangerer animo propter vitæ cupiditatem, quæ me manens conficeret angoribus, dimissa molestiis omnibus liberasset. Illos ego præstantissimos viros, lumina reipublicæ, vivere volebam, tot consulares, tot prætorios, tot honestissimos senatores, omnem præterea florem nobilitatis ac juventutis, tum optimorum civium exercitus, qui si viverent, quamvis iniqua conditione pacis, (mihi enim omnis pax cum civibus bello civili utilior videbatur) rempublicam hodie teneremus. Quæ sententia si valuisset, ac non ii maxime mihi quorum ego vitæ consulebam, spe victoriæ elati, obstitissent, ut alia omittam, tu certe nunquam in hoc ordine, vel potius nunquam in hac urbe mansisses.

At (*a*) vero (1) Cn. Pompeji voluntatem a me alienabat oratio mea. An ille quemquam plus

multum interfuerit; utrum factum videam, an futurum esse multo ante viderim. Falsus est tamen aliquando, ut epistola undecima ad Tironem: *Videtur si insaniet, posse opprimi, modo ut urbe salva*. Abram.

(1) *At vero*) Objectio Antonii. Macrobius libro II. Saturnaliorum cap. 3. *Pompejus Ciceronis facetiarum impatiens fuit. Cujus de eo dicta ferebantur. Ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo*. Paulo post: *Et cum donasset Pompejus transfugam civitate Romana, O hominem bellum! inquit, Gallis civitatem promittit alienam, qui nobis nostram non potest reddere. Propter quæ merito videbatur dixisse Pompejus: Cupio ad hostes Cicero transeat, ut nos timeat*. Plura ejus dicta referemus, cum de jocis differetur. Dictum vero Pompeji elegantius ponitur apud Fabium libro VI, capite 4: *Transi ad Cæsarem, me timebis*. Idem.

ANALYSIS.

(a) *At*) 2. Abalienatam proinde Pompeji voluntatem a Cicerone, quod non cessaret detestari bellum. Cicero contra summum Pompeji erga se amorem colligit tum ex assidua familiaritate, tum ex animo utriusque bene in Remp. propenso, tum denique ex confessione Pompeji post pugnam Pharsalicam.

plus dilexit? cum ullo aut sermones, aut consilia contulit sæpius? quod quidem erat magnum de summa re * dissentientes, in eadem consuetudine amicitiæ permanere. Sed & ego **, quid ille, & contra ille, quid ego sentirem & spectarem, videbat. Ego incolumitati civium primum, ut postea dignitati possemus ***: ille præsenti dignitati potius consulebat. Quod autem habebat uterque quod sequeretur, idcirco tolerabilior erat nostra dissensio. Quid vero ille consularis vir (1), ac pene divinus de me senserit, sciunt qui eum de Pharsalica fuga Paphum prosecuti sunt. Nunquam ab eo mentio de me, nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderii, cum me vidisse plus fateretur, se speravisse meliora. Et ejus viri (2) nomine me insectari audes, cujus me amicum, te sectorem esse fateare?

XVI. Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix fuisti. Ne jocis (*a*) quidem (3)

* Vulg. *reip. dissidentes.* ** Vulg. *Ego quid.*
*** Al. *& postea dignitati; ille.*

(1) *Consularis vir*) Minus est *consularis*, quam ut hæc vox possit huic loco convenire. Legunt alii *singularis vir*, quod placet. *Idem*. Vulg. *clarissimus*.

(2) *Et ejus viri*) Epiphonema: sector Pompeji fuit Antonius, quia, ut infra dicetur, *Bona Cn. Pompeji Magni, voci acerbissimæ subjecta præconis. Expectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam Diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo præter Antonium*. Abram.

(3) *Ne jocis quidem*) Prætermissio. Quod spectat ad jocos quibus me in castris intempestive usum esse dixisti, illud crimen indignum est responsione. De jocis Plutarchus in Cicerone jam ante laudatus: *Ipse quidem sine risu & mæstus obibat exercitum; aliis autem, cum minime requirerent, ridendi materiam suggerebat*. Sed quid nocebit, si tum ipse, tum Macrobius uterque loco citato, nonnihil nobis harum facetiarum impertiat?

Ma-

A N A L Y S I S.

(a) *Ne jocis*) 3. Jocos exprobraverat, quibus in castris usus fuerat, maxime importuno tempore. Respondet Cicero, etiam in rebus gravissimis relaxandos esse animos; deinde ita arguit *a Contrariis*:

Ubi quis est mæstus, non potest esse nimium facetus;
Sed me in Castris dicit mæstum fuisse;
Ergo non fui nimium facetus, adeoque in utroque moderatus.

liquando; Brutorum, C. Caſſii, Cn. Domitii, C. Trebonii, reliquorum, quam velis eſſe cauſam. Edormi crapulam, inquam, & exhala. An faces admovendæ ſunt, quæ te excitent, tantæ cauſæ indormientem? Numquamne intelligis, ſtatuendum tibi eſſe, utrum illi, qui iſtam rem geſſerunt, homicidæ ſint, an vindices libertatis?

XIII. Attende enim pauliſper, cogitationemque ſobrii hominis punctum temporis ſuſcipe. Etenim * ego, qui ſum illorum, ut ipſe fateor, familiaris, ut a te arguor, ſocius, nego quidquam eſſe medium: confiteor eos, niſi liberatores populi Romani conſervatoreſque reipublicæ ſint, plus quam ſicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas eſſe: ſiquidem eſt atrocius patriæ parentem, quam ſuum occidere. Tu homo ſapiens (*a*) & conſiderate, quid dicis? ſi parricidæ, cur honoris cauſa a te ſunt & in hoc ordine, & apud populum Romanum ſemper appellati? cur M. Brutus (1), te referente, legibus eſt ſolutus, ſi ab urbe, plus quam decem dies abfuiſſet? cur ludi Apollinares (2) incredibili M. Bruti honore celebrati? cur provinciæ Caſſio & Bru-

* In vulg. deeſt *etenim*.

(1) *M. Brutus*) Cui, quia prætor erat, ab urbe plus quam decem dies abeſſe non licebat, niſi legibus ſolveretur. *Manut.*

(2) *Cur ludi Apollinares*) Brutus & alii Cæſaris percuſſores patrata cæde, veteranorum, & plebeculæ metu ex urbe profugerant, & Senatus ut honeſtum fugæ prætextum daret, Brutum & Caſſium annonæ præfecerat. Cum autem Prætoris eſſet urbani ludos Apollinares exhibere, eos C. Antonius Prætor abſentis Bruti nomine magnifice ſuppeditatis a Bruto ſumptibus celebravit. *Abram.*

ANALYSIS.

Prima eſt *Propoſitio* cum vehementi increpatione Antonii; patet autem ex eo, quod, ſi Cæſarem interfecerunt Reip. cauſa, libertatis vindices; ſi privato odio, parricidæ ſine controverſia dicendi ſunt.

(*a*) *Tu homo ſapiens*) Sequitur *Aſſumptio*; non enim Antonius omnibus in rebus eos ornaſſet, a quibus maximum ſcelus admiſſum judicaret.

Bruto datæ (1)? cur quæstores additi? cur legatorum numerus auctus? Atque hæc acta per te. Non igitur homicidæ. Sequitur (*a*), ut liberatores tuo judicio sint: quandoquidem tertium nihil potest esse.

Quid est? num conturbo te? Non enim fortasse satis, quæ distinctius dicuntur, intelligis. Sed tamen hæc est summa conclusionis meæ: Quoniam scelere a te liberati sunt, ab eodem te amplissimis præmiis dignissimos judicatos. Itaque jam (*b*) retexo (2) orationem meam. Scribam ad illos, ut, si qui forte, quod a te mihi objectum est, quærent, sitne verum, ne cui negent. Etenim vereor, ne aut celatum me ab ipsis, illis* non honestum; aut invitatum refugisse, mihi sit turpissimum. Quæ enim res unquam, pro sancte Jupiter! non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta major? quæ gloriosior? quæ commendatior hominum memoriæ sempiternæ? In hujus me consilii societatem, tanquam in equum Trojanum cum principibus includis**? non recuso.

Ago etiam gratias, quoquo animo facis. Tanta enim res est, ut invidiam istam, quam tu in me vis

* Vulg. *celatum me, illis ipsis non honestum.*

** Vulg. *includi cum principibus non recuso.*

(1) *Cur provinciæ Cassio & Bruto datæ*) Bruto Macedonia, Cassio Syria. *Idem.*

(2) *Retexo*) Retracto quæ dixeram, me videlicet conspirationis illius conscium non fuisse. Videtur autem esse ironia: non enim ad Brutum & Cassium ea de re scribere decreverat. Retexo, est muto & corrigo. Sic epist. 14. lib. XI. ad Familiares: *Novi timores retexunt superiora.* Manutius ibidem, epist. 28. *An quod adolescens præstiti, cum etiam errare cum excusatione possem: id nunc ætate præcipitata, commutem, ac me ipse retexam?* Ubi Manutius: *Qui retexit, mutat, quod jam fecit quasi male factum.* Abram.

ANALYSIS.

(a) *Sequitur*) *Complexio*, quam statim *Epicheremate* illustrat.

(b) *Itaque jam*) Nunc amplificat superius argumentum *a Repugnantibus*, & accipere se ait laudes, quas in vituperando sibi Antonius impertiat, illamque rem extollit *a Comparatione* minorum, & parium, hoc est Equi Trojani, & a consecutura apud omnes gentes immortalitate.

vis concitare, cum laude non comparem. Quid enim beatius illis, quos tu expulsos a te prædicas, & relegatos? qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus, qui illos, quo accesserint, non affari atque appetere videatur? qui homines tam agrestes, qui se, cum eos adspexerint, non maximum cepisse vitæ fructum putent? quæ vero tam immemor posteritas, quæ tam ingratæ literæ reperientur, quæ eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequantur? Tu vero adscribe me talem in numerum.

XIV. Sed unam rem (*a*) vereor, ne non probes. Si enim fuissem, non solum regem, sed regnum etiam de republica sustulissem: &, si meus stylus (1) ille fuisset, (ut dicitur) mihi crede, non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem. Quanquam si (*b*) interfici Cæsarem voluisse

(1) *Si meus stylus*) Si fuissem poeta illius fabulæ, quam Brutus & Cassius egerunt, &c. Fabula est liberatio reipublicæ, poeta Cicero, stylus consilium, actus unus cædes Cæsaris, reliqui quatuor actus ad absolvendam fabulam requisiti videntur esse cædes Lepidi & trium Antoniorum, quos Cicero de medio sustulisset, quod iis stantibus non posset stare respublica. Alia translatione idem expressit lib. XII. ep. ad Cassium 4. *Vellem Idibus Martiis me ad cœnam invitasses; reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiæ vestræ exercent, & quidem præter cæteros me.* Quod repetit lib. X. ad Familiares, epistola ad Trebonium, quæ est 28. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *Sed unam rem*) Quinto ita rursus in Antonium insurgit:

Si ego fuissem in numero Conjuratorum, Antonium cum Cæsare interfecissem;

Sed perpercerunt Antonio;

Ergo me Auctorem illi non sunt secuti.

(b) *Quanquam si*) Sexto *a Pari*, tali ratione:

Si ego in culpa sum, quod volui Cæsarem interfici, omnes erunt in eadem culpa, qui illum interfici voluerunt;

Sed etiam Antonius de morte Cæsaris aliquando cogitavit;

Ergo ille etiam in culpa est.

Hoc tamen consilium non ceperat Antonius cum Trebonio Narbone, ut ait Cicero, sed communicatum a Trebonio non indicaverat Antonius Cæsari, neque vero particeps consilii esse voluerat. Plut. & Appianus.

luisse crimen est (1) vide, quæso, Antoni, quid tibi futurum sit, quem & Narbone hoc consilium (2) cum C. Trebonio cepisse notissimum est, & ob ejus consilii societatem, cum interficeretur Cæsar, tum te a Trebonio vidimus sevocari (3). Ego autem (vide quam tecum agam non inimice) quod bene cogitasti aliquando, laudo: quod non indicasti, gratias ago: quod non fecisti, ignosco. Virum res illa quærebat.

Quod si te (*a*) in judicium quis adducat, usurpetque illud Cassianum (4), *Cui bono fuerit*:

(1) *Quanquam si interfici Cæsarem voluisse crimen est*) Antonius Cæsari ex Hispania redeunti victis Pompeji liberis, Narbonem usque obviam progressus comitem habuit, & contubernalem C. Trebonium; isque oblique necandi Cæsaris mentionem injecit. Antonius Trebonii consilio non acquievit ille quidem, sed fideliter rem silentio suppressit, ne ad aures Cæsaris manaret. Cicero rem aliter interpretatus contendit, Antonio necandi Cæsaris voluntatem adfuisse, sed audaciam defuisse. *Idem*

(2) *Hoc consilium*) Ita rem narrat Plutarchus in Antonio: *Et cum ex amicis fidelissimum quemque ad id negotium eligerent, deliberabant circa Antonium. Cumque cæteri vellent eum in consilii societatem admittere, repugnavit Trebonius. Dicebat enim quo tempore Cæsari ex Hispania redeunti obviam ierunt, sibi comitem & contubernalem fuisse M. Antonium, cujus animum cum ipse pedetentim, & caute experiri voluisset, Antonium ajebat sensisse quidem quorsum ea dicerentur, id tamen facinus aggredi noluisse, sed nihilo secius fideliter tacuisse, neque insidias ad Cæsarem detulisse*. Abram.

(3) *Te a Trebonio vidimus sevocari*) Plutarchus tamen in Cæsare: *Antonium, qui & Cæsari fidelis erat & robustus, extra curiam detinuit Brutus Albinus injiciens sermonem data opera longiorem*. Sed Plutarcho Plutarchum opponimus: *At Trebonius*, inquit in Bruto, *Antonium circa curiæ januam seductum injecto sermone foris detinuit*. Cui conceptis verbis adstipulatur etiam Dio lib. 43. & Noster lib. 10. ad Familiares epist. 28. quæ est ad ipsum Trebonium: *Quod vero a te viro optimo seductus est, tuoque beneficio adhuc vivit hæc pestis, interdum, quod vix mihi fas est, tibi subirascor*. Idem Philipp. XIII. *Idem*.

(4) *Cassianum*) Vide Orat. pro Milone, cap. 12, & ibi Asconium.

ANALYSIS.

(a) *Quod si te*) Ultimo transferre videtur culpam interfecti Cæsaris in Antonium, qui non maxima tantum commoda, sed etiam regnum ea morte obtinuerat; hoc ipsum tamen in illius vituperationem tandem convertit.

rit: vide, quæso, ne hæreas. Quanquam illud quidem fuit, ut tu dicebas, omnibus bono, qui servire nolebant: tibi tamen præcipue, qui non modo non servis, sed etiam regnas: qui maximo te ære alieno ad ædem Opis liberasti: qui per easdem tabulas (1) innumerabilem pecuniam dissipavisti: ad quem e domo Cæsaris (2) tam multa delata sunt: cujus domus, quæstuosissima est falsorum commentariorum & chirographorum officina: agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium, flagitiosissimæ nundinæ. Etenim quæ res egestati & æri alieno tuo, præter mortem Cæsaris, subvenire potuisset?

Nescio quid conturbatus esse videris. Nunquid subtimes, ne ad te hoc crimen pertinere videatur? Libero te metu: nemo credet unquam: non est tuum de republica bene mereri: habet istius pulcherrimi facti clarissimos viros respublica auctores: ego te tantum gaudere dico, fecisse non arguo. Respondi (*a*) maximis criminibus: nunc etiam reliquis respondendum est.

XV. Castra mihi (*b*) Pompeji, atque illud omne

(1) *Per easdem tabulas*) Infra: *Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis quæ sunt ad Opis patebat?* Eam autem pecuniam dicitur per easdem tabulas dissipasse, quia tabulas adulteraverat, ne furtum illud extaret. *Abramus*.

(2) *E domo Cæsaris*) Post Cæsaris necem Calpurnia Cæsaris conjux, verita ne vel Cæsaris percussores, vel etiam Senatus invaderet, ingentem pecuniæ vim e domo Cæsaris prolatam, id est tria circiter talentum millia deposuit apud Antonium. Et in his Cæsaris commentarios, in quibus ipsius manu notata erant, quæ Cæsar facere decreverat. Interim cum Senatus nihil de Cæsaris actis mutandum censuisset, Antonius hanc occasionem rapiens Cæsaris commentarios adulteravit, & agros, immunitates, vectigalia civitatibus concessit, nihilque non vendidit cujus invenit emptorem. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Respondi*) Gravissimis criminibus hactenus satisfecit; nunc cætera, eaque longe leviora persequitur.

(b) *Castra mihi*) 1. Timiditatem objecerat Ciceroni in castris Pompeji ante pugnam Pharsalicam, & importunam mœstitiam;

omne tempus objecisti. Quo quidem tempore si, ut dixi, meum consilium, auctoritasque valuisset; tu hodie egeres, nos liberi essemus; respublica non tot duces & exercitus (1) amisisset. Fateor enim, me, cum ea, quæ acciderunt, providerem futura (2), tanta in mœstitia fuisse, quanta cæ-

teri

(1) *Exercitus*) Tres, quorum unus in Thessalia apud Pharsalum, alter in Africa apud Thapsum, tertius in Hispania apud Mundam deletus est. Primus Imperatorem habuit Cn. Pompejum, secundus P. Scipionem, tertius Cneum & Sextum liberos Pompeji. *Abram.* Vide infra, cap. 22.

(2) *Providerem futura*) Quam prudenter Orator bello civili futura providerit, vide orat. pro Marcello: *Tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem prudens & sciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium.* Adde Epist. IV. lib. x. ad Attic. *Præclara igitur conscientia sustentor, cum cogito me de republica aut meruisse optime, cum potuerim, aut certe nunquam nisi divine cogitasse: eaque ipsa tempestate eversam esse rempublicam, quam ego quatuordecim annis ante prospexerim.* Libro VII. epist. v: *Pace opus est. Ex victoria cum multa mala, tum certe tyrannis existet.* Lib. x, epist. v: *Regnandi contentio est, in qua pulsus est modestior Rex, & probior & integrior, & is, qui nisi vincit, nomen populi Romani deleatur necesse est: sin autem vincit, Syllano more exemploque vincet.* Jam quid de interitu Pompeji prædixerit, constat e multis, ut lib. VIII. ad Attic. epist. I. *Invitus in eam causam descendo, in qua neque pacis, neque victoriæ ratio quæsita est unquam, semper flagitiosæ & calamitosæ fugæ.* Lib. XI, epist. VI: *De Pompeji exitu mihi dubium nunquam fuit: tanta enim desperatio rerum ejus omnium regum & populorum animos occuparat, ut quocunque venisset, hoc putarem futurum.* Quid? quod etiam Cæsaris exitum longe ante prospexit. Epist. VI, lib. x: *Nullo enim modo posse video stare istum diutius, quin ipse per se etiam languentibus nobis concidat, quippe qui florentissimus ac novus septem diebus ipsi illi egenti ac perditæ multitudini in odium acerbissimum venerit, qui duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello, divitiarum in ærario.* Item: *Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quod diximus: nec fallit, nec aliter accidet. Corruat iste necesse est aut per adversarios, aut ipse per se, qui quidem sibi est adversarius unus acerrimus. Id spero vivis nobis fore: quanquam tempus est nos de illa perpetua jam, non de hac exigua vita cogitare: sin quid acciderit maturius, haud sane mea mul-*

ANALYSIS.

tiam; se Cicero tuetur *a Causis*.

Mœrere causa Reip., non privato periculo, dignum est laude;
Sed ego in castris mœrebam causa Reip., non periculo mortis;
Ergo mea illa mœstitia digna erat laude.

teri optimi cives, si idem providissent, fuissent. Dolebam, dolebam, Patres Conscripti, rempublicam, vestris quondam meisque consiliis conservatam, brevi tempore esse perituram. Neque vero eram tam indoctus, ignarusque rerum, ut frangerer animo propter vitæ cupiditatem, quæ me manens conficeret angoribus, dimissa molestiis omnibus liberasset. Illos ego præstantissimos viros, lumina reipublicæ, vivere volebam, tot consulares, tot prætorios, tot honestissimos senatores, omnem præterea florem nobilitatis ac juventutis, tum optimorum civium exercitus, qui si viverent, quamvis iniqua conditione pacis, (mihi enim omnis pax cum civibus bello civili utilior videbatur) rempublicam hodie teneremus. Quæ sententia si valuisset, ac non ii maxime mihi quorum ego vitæ consulebam, spe victoriæ elati, obstitissent, ut alia omittam, tu certe nunquam in hoc ordine, vel potius nunquam in hac urbe mansisses.

At (*a*) vero (1) Cn. Pompeji voluntatem a me alienabat oratio mea. An ille quemquam plus

multum interfuerit; utrum factum videam, an futurum esse multo ante viderim. Falsus est tamen aliquando, ut epistola undecima ad Tironem: *Videtur si insaniet, posse opprimi, modo ut urbe salva.* Abram.

(1) *At vero*) Objectio Antonii. Macrobius libro II. Saturnaliorum cap. 3. *Pompejus Ciceronis facetiarum impatiens fuit. Cujus de eo dicta ferebantur. Ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo.* Paulo post: *Et cum donasset Pompejus transfugam civitate Romana, O hominem bellum! inquit, Gallis civitatem promittit alienam, qui nobis nostram non potest reddere. Propter quæ merito videbatur dixisse Pompejus: Cupio ad hostes Cicero transeat, ut nos timeat.* Plura ejus dicta referemus, cum de jocis differetur. Dictum vero Pompeji elegantius ponitur apud Fabium libro VI, capite 4: *Transi ad Cæsarem, me timebis.* Idem.

ANALYSIS.

(a) *At*) 2. Abalienatam proinde Pompeji voluntatem a Cicerone, quod non cessaret detestari bellum. Cicero contra summum Pompeji erga se amorem colligit tum ex assidua familiaritate, tum ex animo utriusque bene in Remp. propenso, tum denique ex confessione Pompeji post pugnam Pharsalicam.

plus dilexit? cum ullo aut sermones, aut consilia contulit sæpius? quod quidem erat magnum de summa re * dissentientes, in eadem consuetudine amicitiæ permanere. Sed & ego **, quid ille, & contra ille, quid ego sentirem & spectarem, videbat. Ego incolumitati civium primum, ut postea dignitati possemus ***: ille præsenti dignitati potius consulebat. Quod autem habebat uterque quod sequeretur, idcirco tolerabilior erat nostra dissensio. Quid vero ille consularis vir (1), ac pene divinus de me senserit, sciunt qui eum de Pharsalica fuga Paphum prosecuti sunt. Nunquam ab eo mentio de me, nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderii, cum me vidisse plus fateretur, se sperasse meliora. Et ejus viri (2) nomine me insectari audes, cujus me amicum, te sectorem esse fateare?

XVI. Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix fuisti. Ne jocis (a) quidem (3) re-

* Vulg. *reip. dissidentes*. ** Vulg. *Ego quid*.
*** Al. *& postea dignitati; ille*.

(1) *Consularis vir*) Minus est *consularis*, quam ut hæc vox possit huic loco convenire. Legunt alii *singularis vir*, quod placet. *Idem*. Vulg. *clarissimus*.

(2) *Et ejus viri*) Epiphonema: sector Pompeji fuit Antonius, quia, ut infra dicetur, *Bona Cn. Pompeji Magni, voci acerbissimæ subjecta præconis. Expectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam Diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo præter Antonium*. Abram.

(3) *Ne jocis quidem*) Prætermissio. Quod spectat ad jocos quibus me in castris intempestive usum esse dixisti, illud crimen indignum est responsione. De jocis Plutarchus in Cicerone jam ante laudatus: *Ipse quidem sine risu & mæstus obibat exercitum; aliis autem, cum minime requirerent, ridendi materiam suggerebat*. Sed quid nocebit, si tum ipse, tum Macrobius uterque loco citato, nonnihil nobis harum facetiarum impertiat? Ma-

ANALYSIS.

(a) *Ne jocis*) 3. Jocos exprobraverat, quibus in castris usus fuerat, maxime importuno tempore. Respondet Cicero, etiam in rebus gravissimis relaxandos esse animos; deinde ita arguit *a Contrariis*:
Ubi quis est mæstus, non potest esse nimium facetus;
Sed me in Castris dicit mæstum fuisse;
Ergo non fui nimium facetus, adeoque in utroque moderatus.

respondebo, quibus me in castris usum esse dixisti. Erant quidem illa castra plena curæ: veruntamen homines, quamvis in turbidis rebus sint, tamen, si modo homines sunt, interdum animis relaxantur. Quod autem idem mœstitiam meam reprehendit, idem jocum *, magno argumento est, me in utroque fuisse moderatum.

Hereditates (1) mihi (a) negasti venire. Utinam hoc tuum verum crimen esset! plures amici

Macrobius: *Cum ad Pompejum venisset: dicentibus sero eum venisse, respondit: Minime sero veni: nam nihil hic paratum video.* In eo jocus fuit, quod tanquam ad epulas invitatus responderit, orationemque a bello ad convivia traduxerit. *Deinde interroganti Pompejo, ubi gener ejus Dolabella esset, respondit: cum socero tuo.* Elegans plane jocus: obscure crimini dabat Pompejus, quod in adversis partibus esset gener Ciceronis, quasi genero & socero non bene conveniret: ipse quasi aliud agens crimen retorsit, & Pompejo crimini vertit, quod a Cæsare socero suo diffideret. Plutarchus: *Cum Domitius quendam usu militari non satis probatum ad ordines militiæ promovere vellet, diceretque eum & probum esse & frugi, Cur igitur, inquit, eum non servas, ut sit curator tuorum liberorum? Quibusdam Theophanem Lesbium præfectum fabrum laudantibus, quod Rhodios amissa classe commode consolatus esset; Quam bonum est, inquit, Græcum habere præfectum! Cum Cæsari plurima ex animi sententia succederent, isque quodammodo jam ipsos obsideret, Lentulo dicenti se comperisse Cæsaris amicos esse tristes, respondit, Dicis eos Cæsarem odisse. Marico autem quodam ex Italia veniente, dicenteque Romæ famam esse Pompejum obsideri: Deinde, inquit, huc navigasti ut esses testis oculatus? Post cladem Pharsalicam, Nonio dicente bene sperandum esse, quod e Pompeji exercitu septem aquilæ superessent, Bene, inquit, hortaris, si cum graculis bellum gereremus. Labieno divinationibus nitente quasi in fatis esset, ut penes Pompejum esset totius belli victoria; Videlicet, inquit, hoc usi stratagemate modo castra amisimus.* Abram.

* Vulg. *jocos*.

(1) *Hereditates*) Ignominiosum fuit in amicorum testamentis præteriri, quod illud indicio esset præteritos parum amari. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Hereditates mihi*) 4. Paucas etiam venisse Ciceroni hereditates dixerat, unde arguebat amicorum inopiam; quomodo huic objecto satisfaciat, legenti patebit. Insurgit præterea in Antonium hoc argumento *ab Adjunctis*:

Qui Patris hereditatem non adiit, alienas invasit, non debet alterum de hereditatibus criminari;
Sed Antonius Patris hereditatem non adiit, alienas invasit;
Ergo non debebat me de hereditatibus criminari.

Assumptionis secundam partem amplificat ex eo, quod eorum hereditates adierat, qui non erant illi ne facie quidem noti.

mici mei & necessarii viverent. Sed qui istuc tibi venit in mentem? ego enim amplius H-S. ducenties acceptum hereditatibus retuli. Quanquam in hoc genere fateor feliciorem esse te. Me nemo, nisi amicus, fecit heredem, ut cum illo commodo, si quod erat, animi quidam dolor jungeretur: te is, quem tu vidisti nunquam, L. Rubrius Cassinas, fecit heredem. Et quidem vide (1), quam te amarit is, qui, albus aterne fueris, ignorans, fratris filium præteriit: Q. Fufii, honestissimi equitis Romani, suique amicissimi, quem palam heredem semper factitarat, ne nomen quidem perscripsit: * te, quem nunquam viderat, ac nunquam salutaverat, fecit heredem. Velim mihi dicas, nisi molestum est, L. Turselius qua facie fuerit, qua statura, quo municipio, qua tribu. Nihil scio, inquies, nisi quæ prædia habuerit. Igitur fratrem exheredans, te faciebat hæredem. In multas præterea pecunias alienissimorum hominum, ejectis veris heredibus, tanquam heres esset, invasit. Quanquam hoc maxime admiratus sum, mentionem te hereditatum ausum esse facere, cum ipse hereditatem patris non adisses (2).

XVII. Hæc ut (a) colligeres, homo amentissime, tot dies in aliena villa declamasti? Quanquam tu quidem (ut tui familiarissimi dictitant) vini exhalandi, non ingenii acuendi causa declamas.

* Ita al. *quem palam heredem semper factitarat, ne meminit quidrm; te quem nunquam viderat; aut certe nunquam salutaverat.*

(1) *Et quidem vide*) Ironia, quæ gravius aliquid suspicandum relinquit. Amor enim non fertur in incognitum: nec Rubrius amare potuit Antonium, quem penitus ignorabat. Quibus innuitur, testamentum illud quod Antonium Rubrii faciebat heredem, adulteratum & subjectum fuisse. *Idem.*

(2) *Hereditatem patris non adisses*) Quippe nulla erat. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Hæc ut*) Conclusio *Confutationis*, qua quædam attingens de Antonio, ejusque præceptore Sex. Clodio Rhetore, transitum facit ad *Contentionem*.

mas. Et vero adhibes joci causa magistrum; suffragio tuo, & compotorum tuorum, rhetorem (1): cui concessisti, ut in te, quæ vellet, diceret. Salsum omnino hominem! sed materia facilis est* in te, & in tuos dicta dicere. Vide autem, inter te & avum tuum quid intersit. Ille sensim dicebat, quod causæ prodesset; tu cursim dicis aliena.

At quanta merces rhetori data est? Audite, audite, Patres Conscripti, & cognoscite reipublicæ vulnera. Duo millia jugerum campi Leontini (2) Sex. Clodio rhetori assignasti, & quidem immunia (3), ut pro tanta mercede nihil sapere disceres. Num etiam hoc, homo audacissime, ex Cæsaris commentariis? Sed dicam alio loco & de Leontino agro & de Campano: quos iste agros ereptos reipublicæ turpissimis possessoribus inquinavit. Jam enim, quoniam criminibus ejus satis respondi, de ipso emendatore & correctore nostro quædam dicenda sunt. Nec enim omnia effundam; ut, si sæpius decertandum sit, ut erit, semper novus veniam: quam facultatem mihi multitudo istius vitiorum peccatorumque largitur. Visne igitur te inspiciamus a puero? sic opinor. A principio ordiamur.

CON-

* Al. omittunt *est*.

(1) *Rhetorem*) Sextus Clodius, Siculus, de quo Suetonius lib. de Claris Rhet.

(2) *Campi Leontini*) Campus Leontinus in Sicilia dictus ab urbe Leontio, cujus meminerunt Plinius & Ptolemæus. Is autem ager fuit Siciliæ totius uberrimus. M. Tullius Frumentaria in Verrem: *Ætnensis vero ager, qui solebat esse cultissimus, & quod caput est rei frumentariæ, campus Leontinus, cujus antea species hæc erat, ut cum obsitum vidisses, annonæ caritatem non vererere*. Jam si fuit uberrima Siciliæ pars, facile vides quantum Antonius hac largitione reipublicæ vulnus inflixerit. *Idem*.

(3) *Immunia*) Libera ab omni servitute, decumis & aliis ejusmodi vectigalibus non obnoxia contra leges Siculorum, quorum agri decumam pendebant. *Manut*.

CONTENTIO.

XVIII. Tenesne (*a*) memoria prætextatum (1) te decoxiſſe? Patris, inquies, iſta culpa eſt (2). Concedo: etenim eſt pietatis plena defenſio. Illud tamen (3) audaciæ (*b*) tuæ, quod ſediſti in

(1) *Prætextatum*) Per prætextam ætas deſignabatur. Nam veſte prætexta utebantur pueri ab anno ſeptimo ad decimum ſextum. Prætexta autem dicta eſt, quod limbo purpureo circumduceretur, etſi alterius eſſet coloris: eadem veſte utebantur Romani Nobiles.

(2) *Patris, inquies, iſta culpa eſt*) Pater eſt ille M. Antonius Creticus tam diſſolutus nepos, ut ne tabulas quidem rationum conficere crederetur. Cicero libro III. in Verrem: *Audimus aliquem tabulas nunquam confeciſſe: quæ opinio hominum de Antonio falſi.* Ubi Aſconius: *Hic eſt Mar. Antonius diſſolutiſſimus curator oræ maritimæ, Cretæ mortuus, &c. quem Salluſtius ait perdendæ pecuniæ genitum, & vacuum a curis, niſi inſtantibus.* Ut Orator Antonio filio diſſolutionem patris his verbis objecerit: PATRIS, INQUIES, ISTA CULPA EST. Antonii pater fuit, *Antonius Creticus*, *vir*, ut eſt apud Plutarchum, *non ita quidem ſplendidus & illuſtris in republica, vir bonis tamen & commodis moribus, tum potiſſimum in largiendo liberalis, ut ex uno ejus facto facile cognoſci poteſt. Cum enim magnas divitias haudquaquam poſſideret, & eam ob rem ab uxore liberalitatem exercere prohiberetur, contigit ut familiaris quidam ad eum pecuniam petens accederet. Deficiente pecunia, ſervulo mandavit, ut aquam in vas argenteum infunderet, ad ſeque deferret. Quo allato quaſi barbam raſurus mentum rigavit, & ſervulum alio prætextu abs ſe dimiſit. Amico vaſculum dedit, jubens, ut eo pro ſuo commodo uteretur. Cum autem quid eo vaſculo factum eſſet diligenter inter domeſticos quæreretur, uxorem graviter ſtomachari videns, & de ſingulis velle habere quæſtionem, factum confeſſus eſt, rogans, ut illa ſibi ignoſceret.* Hæc Plutarchus paulo liberalius & benignius quam Orator, vel etiam ipſe Antonius. *Abram.*

(3) *Illud tamen*) Lex Roſcia theatralis a L. Roſcio Othone Tribuno plebis lata, ne quis ſpectaret in quatuordecim primis

ANALYSIS.

(a) *Teneſne*) Hactenus de ſe ipſo, deinceps contra Antonium, cujus primo loco vitam examinat uſque ad Tribunatum; exprobrat autem 1. eum ante ſumptam virilem togam decoxiſſe, hoc eſt creditoribus fidem fefelliſſe.

(b) *Illud tamen audaciæ*) 2. Cum decoctor eſſet, ſediſſe tamen in quatuordecim contra legem Roſciam.

in quatuordecim ordinibus (1) cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortunæ vitio, non suo decoxisset.

Sumpsisti (a) virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti (2). Primo vulgare scortum: certa

mis graduum ordinibus, qui proxime ad orchestram & podium accedebant, nisi si esset ingenuus ab ingenuo patre, & censum equestrem, id est, quadringenta sestertia, possideret. Iis autem ex senatorio vel equestri ordine natis, qui sive suo, sive fortunæ vitio decoxerant, neque jam censum equestrem obtinebant, peculiarem locum constituit. Ex hoc igitur capite Antonii carpit audaciam, quod legem Rosciam præfracte violarit, & sederit in quatuordecim, cum decoxisset.

(1) *In quatuordecim ordinibus*) Quatuordecim gradus in theatro infimi & horchestræ proximi Roscia lege fuerunt equitibus destinati, vetitumque ne quis plebejus hujusmodi gradus occuparet. Vetus interpres Horatii ad illa epodi verba in Mœnam, sive Mœnodorum libertum Sexti Pompeji:

Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet.

Otho, inquit, quatuordecim gradus in theatro equiti separarat, ex quibus primi tribunitiis potestatibus vacarent. Hinc hujusmodi gradus modo equestria, modo quatuordecim, modo ordines nominati. Dicti etiam quatuordecim, quod is revera graduum numerus esset Equiti destinatus. Seneca: *At mehercule multis quatuordecim gradus sunt clausi, non omnes Curia admittit.* Sub Augustis tamen ita excrevit equestris ordo, ut non solum quatuordecim illos gradus, sed interdum totam caveam occuparet. Alii omittunt *ordinibus*, sed non recte. *Grævius.*

(2) *Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti*) Aliud si nihil in hac oratione emendassem, quam hunc locum, operam tamen præclare a me positam judicarem. Quis est enim eorum, qui has literas tractant, cui unquam venerit in mentem, cum aliter legendum esse, quam ita uti vulgo ante nos legebatur? *Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti.* Quæ tamen scriptura quam prava, quamque vitiosa sit, spero cognituros esse omnes, qui totam rem accurate consideraverint. Hoc enim ait Cicero, Antonium, ubi primum togam puram, seu quod idem est, virilem sumpsit, (quod fieri solitum, cum pueri ad annum XVII. pervenissent, omnes sciunt) primo quidem prostitisse ad libidinem omnium, & quasi diobolarem aliquam meretriculam, omnes omnium impuritates corpore

ANALYSIS.

(a) *Sumpsisti*) 3. Impudicitiam, & familiaritatem maxime cum C. Curione: eam vero amplificat *a Comparatione* puerorum, qui emi solebant causa libidinis, & *ab Adjunctis* loci, & temporis; probat autem a testimonio sui ipsius.

certa flagitii merces, nec ea parva: sed cito Curio intervenit, qui te a meretricio quæstu abduxit, & tanquam stolam dedisset, in matrimonio stabili & certo locavit.

Nemo unquam puer emptus libidinis causa tam fuit in domini potestate, quam tu in Curionis. Quoties te pater ejus domo sua ejecit? quoties custodes posuit, ne limen intrares? cum tamen tu, nocte socia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demitterere: quæ flagitia domus illa diutius ferre non potuit. Scisne me de rebus mihi notissimis dicere? Recordare tempus illud, cum pater Curio mœrens jacebat in lecto: filius,

re suo excepisse: postea vero, repudiatis cæteris, uni Curioni morigerum atque obsequentem fuisse, uni fecisse copiam sui, cum ab eo prope in uxoris loco haberetur. Primum illud tempus notat, cum ait: *Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti.* Quæ enim mulieres vulgo patebant, venalemque habebant pudicitiam, eæ, ignominiæ causa, ut ab aliis internoscerentur, togam ferebant, non, ut matronæ, stolam. Horatius:

Quid inter-
Est in matrona, ancilla, peccesne togata? Id.
Atque etiam melius persæpe togatæ.

At de matrona loquens, stolam nominat:

Quid vis tibi? nunquid ego a te
Magno prognatum deposco consule cunnum,
Velatumque stola, mea cum conferbuit ira?

Et in eadem Satyra:

Ad talos stola demissa, & circumdata palla.

Sed & adulterii damnatæ impudicitiam profiteri cogebantur, & togam gestare: unde est illud Martialis:

Coccina famosæ donas, & bianthina mœchæ.
Vis, mage quæ meruit, mittere? mitte togam.

Et illud ejusdem:

Thelyn viderat in toga spadonem:
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Cum igitur toga meretricum esset, matronarum stola: constat, ad exprimendum illud tempus, quo Antonius meretricum more prostabat, stolæ nomen aptum non esse. At postea ubi tanquam nupsisse Curioni dicitur, & apposite in primis, & salse adhibitum est stolæ vocabulum: *Sed cito*, inquit, *Curio intervenit, qui te a meretricio quæstu abduxit, & tanquam stolam dedisset, in matrimonio stabili & certo locavit*. Est autem hic locus in eo libro, qui nobis ad has emendationes dux fuit, ita ut eum ipsi edidimus, plane ac sine ulla vel minima lituræ suspicione scriptus. *Muretus*.

filius., se ad pedes meos prosternens, lacrymans te mihi commendabat; orabat, ut te contra suum patrem, si sestertium sexagies peteret, defenderem: tantum enim se pro te intercessisse (1). Ipse autem amore ardens confirmabat, quod desiderium tui discidii ferre non posset, se in exilium esse iturum.

Quo ego tempore tanta mala florentissimæ familiæ sedavi, vel potius sustuli. Patri persuasi, ut æs alienum filii dissolveret, redimeret adolescentem (2) summa spe & animi & ingenii præditum, rei familiaris facultatibus, eumque tua non modo familiaritate, sed etiam congressione patrio jure & potestate prohiberet. Hæc tu cum per me acta meminisses: nisi illis, quos videmus, gladiis confideres, maledictis me provocare ausus esses?

XIX. Sed jam stupra (*a*), & flagitia omittam: * sunt quædam, quæ honeste non possum dicere: tu autem eo liberior, quod ea in te admisisti, quæ a verecundo inimico audire non posses. Sed reliquum vitæ cursum videte, quem quidem celeriter perstringam: ad hæc enim, quæ in civili bello, in maximis reipublicæ miseriis fecit, & ea, quæ quotidie facit, festinat animus. Quæ peto, ut quanquam multo notiora vobis, quam mihi

* Al. *omittamus*.

(1) *Intercessisse*) Soluturum promisisse. Sic alibi Cicero - cutus. *Manut.*

(2) *Redimeret adolescentem*) *Redimi* dicebantur ii, qui solvebantur, & liberabantur ære alieno. Debitores enim, si solvendo non erant, ipsi vinciebantur, & creditoribus addicebantur in servitutem, donec æs alienum dissolverent. Quæ consuetudo etiam duodecim tabulis confirmata est.

ANALYSIS.

(a) *Sed jam stupra*) 4. Impudentiam, quam exaggerat a *Comparatione minorum*; nam ausus erat in se admittere, quæ commemorare inimicum puderet; *Attentionem* interea parat ad ea, quæ sequuntur.

mihi sunt, tamen, ut facitis, attente audiatis. Debet enim talibus in rebus excitare animos non cognitio solum rerum, sed etiam recordatio. Tametsi incidamus oportet media, ne nimis sero ad extrema veniamus.

Intimus (*a*) erat in tribunatu Clodio: qui sua erga me beneficia commemorat: ejus omnium incendiorum fax. Cujus etiam domi quiddam jam tum molitus est (1). Quid dicam, ipse optime intelligit. Inde itum (*b*) * Alexandriam contra senatus auctoritatem, contra religionem. Sed habebat ducem Gabinium (2), quicum quidvis re-ctiss-

* Al. *iter .... contra remp. & religiones.*

(1) *Cujus etiam domi quiddam jam tum molitus est*) De stupranda ejus uxore, inquit Manutius. Dici posset etiam jam tum Antonium conspirasse contra rempublicam, ut Pompejum reliquosque principes civitatis occiderent, statumque imperii Romani convellerent. Sed Abramus sum, non Oedipus, & fortasse non est in eo magnopere laborandum. Solent enim Oratores aliquando, etiamsi in re nihil subsit, suspiciose loqui, & cum probare nihil possunt, testari ipsam adversariorum conscientiam. Sic enim & adversarios mire lancinant, nec alligantur mendacii. *Abram.*

(2) *Sed habebat ducem Gabinium*) Tradit contra Plutarchus Antonium fuisse ducem Gabinio: *Gabinio decem talentorum millibus sollicitante Ptolemæo, ut simul cum ipso in Ægyptum expeditionem susciperet, & ipse regnum reciperet, legatorum & præfectorum plurimi repugnabant, & Gabinium quamvis tanta mercede constrictum ab eo bello quædam formido revocabat. Antonius autem in omnes magnarum rerum occasiones intentus, & Ptolemæo roganti gratificans, ad hanc expeditionem Gabinium impulit, & concitavit.* Cæterum postquam a Clodio discessit, antequam se Gabinio conjungeret, in Græcia fuerat aliquandiu commoratus. Sed Orator tempus illud relinquit intactum, vel studio brevitatis, vel quia quod in eo reprehenderet non habebat. Hoc enim temporis spatio Antonius intermissa literarum & elo-

ANALYSIS.

(a) *Intimus*) 5. Clodii familiaritatem, & adulterium, quod cum uxore Clodii committere molitus fuerat.

(b) *Inde itum*) 6. Militiam in Syria cum Gabinio, & in Gallia cum Cæsare; ubi etiam attingit summam rei familiaris inopiam.

ctissime facere posset. Qui tum inde reditus (1), aut qualis? Prius in ultimam Galliam ex Ægypto (2), quam domum. Quæ autem erat domus*? suam enim quisque domum (3) tum obtine-

eloquentiæ studia renovarat. Missus etiam a Gabinio fuerat in Judæam, hostium arcem primus invaserat, Aristobulum cum filio ceperat, parva militum manu ingentes Judæorum copias conciderat. Id quoque prudens & sciens Tullius omittit: paucisque perstringit profectionem in Ægyptum, dixisse contentus, ea profectione Senatus auctoritatem, rempublicam, religiones fuisse violatas, dissimulatis rebus in Ægypto præclare gestis, quibus Antonius reliquerat suæ fortitudinis, providentiæ, humanitatis impressa vestigia. Nam cum equitatu præmissus, viarum angustias, atque adeo urbem Pelusium occuparat, & intervenerat, ne Ptolemæus Ægyptiorum primores occideret, & ingenti prælio, circumiens hostes & a tergo invadens, *victoriam iis qui ex adverso veniebant expediens*, *præmiis*, *ut par fuit*, *militaribus donatus est*: & Archelai *demortui caput inventum*, *& ornatum regia magnificentia sepelivit*. Quare Noster quod invidiosum erat, videlicet ipsam profectionem contra religiones & oracula susceptam, insectatur; reliqua tacet, quod Antonius ex iis veluti fontibus ad hominum commendationem & militum benevolentiam profluxerat. Et allegoria suam orationem obscurat, ne vel aperte damnet Gabinium, quem olim majestatis accusatum defenderat, vel inimicum laudare videatur. *Abram*.

* Al. omittunt *erat*.

(1) *Qui tum inde reditus*) Jure invehitur in reditum Antonii, quod ex Ægypto rediens, non domum & necessarios suos inviserit, sed profectus fuerit in ultimam Galliam ad Cæsarem. Quod profecto non fecisset, nisi desperatis vitæ suæ rationibus videret se in urbe stare non posse, aut propter flagitia sic invisum esse suis, ut ad matrem non auderet accedere. *Idem*.

(2) *Ex Ægypto*) Vetus liber, *ex Ægupto*: eadem videlicet ratione, qua *Purrhum*, & *Bruges*, & *Sullam*, & talia priscos illos dixisse accepimus. *Muretus*. Hæc putent sibi dicta veteris illius scripturæ amatores, quibus fortasse displicuerint ea, quæ Tomo superiore nobis permisimus, ubi de Sylla, pro *Sulla*. Olivetus.

(3) *Suam enim quisque domum*) Acriter reddit rationem cur Antonius domum non haberet. Si enim dixisset, Tu enim decoxeras, & domus patris addicta fuerat creditoribus, veram quidem ille causam reddidisset. Sed longe vehementius, *Suam enim quisque domum tum obtinebat*, quibus verbis & memoria belli civilis, quod tam multos sedibus suis expulit, refricatur, & invidia quæritur Antonio, qui in tam multorum civium domos invasit. *Abram*.

tinebat, neque erat usquam tua. Domum dico? quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres, præter unum Misenum, quod cum sociis tanquam Sisaponem (1) tenebas?

XX. Venisti (*a*) e Gallia ad quæsturam petendam. Aude dicere, te prius ad parentem tuum (2) venisse, quam ad me. Acceperam enim jam ante Cæsaris literas, ut mihi satisfieri paterer a te. Itaque ne loqui quidem sum te passus de

(1 *Tanquam Sisaponem*) Manutius: *Cum probro dictum & quasi civitatem vitiis infamem & luxu perditam*. Magis arridet Turneb. lib. x. adversar. cap. 12. id referens *ad miniaria metalla Sisaponensium, quæ societates publicanorum exercebant: dicit enim Antonium non unum possessorem Miseni fuisse, sed possessioni socios habuisse multos*. Sisapo oppidum est in Hispania, olim in conventu Cordubensi, ut auctor est Plinius lib. III. Nat. Hist. cap. 1. Videtur autem fuisse adagium: non enim aliter M. Tullius huncdicendi modum inde usque ab Hispania petiisset, cum ipse monuerit voraginem patrimonii, potius quam syrtim esse dicendam, ne voces longius arcessitas alio transferamus. *Idem*.

(2) *Ad parentem tuum*) Vulgo, *ad patrem tuum*. Hic locus criticos haud parum exercuit, dum alii *matrem tuam*, alii *parentem tuam*, alii *patruum tuum*, alii denique *amatorem tuum* emendant. Unum Bisciolam audiamus: *Non possum intelligere, quem hic Antonii patrem vocet. Quidam imperitissime C. Cæsarem, qui postea Dictator fuit, accipiunt: sed is bellum gerebat in Gallia, unde nuper discesserat Antonius. Nec Marc. Antonius Creticus intelligi potest, a quo moriente puerulus fuerat relictus. Non L. Lentulus vitricus: nam eum in carcere Consul Cicero strangularat: & in hac tamen scriptura codices omnes, quos quidem mihi legere contigit, legi autem plurimos, consentiunt. Itaque existimo* parentem tuàm *legi debere, ut matrem M. Antonii intelligamus: ea erat Julia lectissima fœmina*. Eadem sentiunt Manutius, Lambinus & Bucananus. Et hi quidem duo negant *patruum* legi posse, quod tum temporis C. Antonius Marci patruus exularet. Sed de damnatione & exilio C. Antonii postea differemus. *Amatorem tuum*, est a conjectura Mureti Var. Lect. XVIII. c. 6. id est, Curionem qui te efflictim adamabat. Primam illam lectionem *parentem tuam* eo libentius amplector, quod & plures ei suffragentur, & Janus Gruterus afferat *parentem tuum*, in Mss. melioribus inveniri. *Abram*.

ANALYSIS.

(a) *Venisti*) 7. Petitionem Quæsturæ, & mutua inter se, & Antonium officia commemorat.

de gratia. Postea custoditus sum a te (1), tu a me observatus (2) in petitione quæsturæ. Quo qui-

(1) *Postea custoditus sum a te*) Ita quidem Pal. prim. sed sec. *postea cultus a te*. Quod & in uno Ferrarii, neque mihi admodum displicet: quamvis pro vulgato pugnet Gulielmius in Asinariam Plautinam cap. 5. Muretus lib. XIX. Var. lect. c. 7., quod invenisset in uno mſ. *beatus*, in altero *ovatus* conjiciebat, *sublevatus*. Grut. Si legas, *Postea cultus sum a te*, sensus est, Domum meam ventitasti ut me coleres, & obsequium tuum mihi deferres. Si malis, *Postea custoditus sum a te*, mens fuit Oratoris: Posteaquam Cæsaris literis commendatus in gratiam receptus es, me comitatus es per urbem, meumque latus stipavisti, ut me contra vim & arma P. Clodii defenderes. Respicit tempus illud quo Publius Clodius restituto Cicerone insidias ei comparavit, ad vimque confugit. Vide epist. 1. lib. IV. ad Atticum, ubi narravit domum Qu. Fratris ante diem tertium Non. Novembris a Clodianis inflammatam fuisse. *Ille*, inquit, *vehementer furere. Post hunc vero furorem, nil nisi cædem inimicorum cogitare, vicatim ambire, servis aperte spem libertatis ostendere*. Paulo post: *Itaque ante diem tertium Idus Novembres, cum sacra via descenderem, insecutus est me cum suis: clamor, lapides, fustes, gladii: hæc improvisa omnia*. Ciceronem autem secum lateris sui custodes & stipatores (nobiles videlicet adolescentes, equitumque liberos) habuisse, qui ipsum contra Clodii vim defenderent, indicant quæ sequuntur: *Discessimus in vestibulum N. Terentii Damionis: qui erant mecum, facile operas aditu probibuerunt. Ipse occidi potuit. Sed ego diæta curari incipio. Chirurgiæ tædet*. Quæ etsi C. Lentulo & Metello Nepote Consulibus contigerunt: tamen Clodius ad consequentes annos propagavit, donec tandem post annos quatuor a Milone occisus est. Vide epistolam 3. lib. II. ad Quintum Fratrem, & Dionem lib. 39. Et sane Ciceronem, cum opus fuit, nobiles adolescentes adhibuisse ad sui corporis custodiam constat ex iis, quæ refert Plutarchus in Cæsare. *Idem*.

(2) *Tu a me observatus*) Quibus hæc lectio non placuit, quod Antonium adolescentem a Cicerone viro Consulari observandum fuisse non putarent, hunc locum misere lancinarunt: & alii quidem *adjutus*, alii *comitatus*, alii *ornatus*, alii denique *sublevatus* legendum esse censuerunt. Nihil muto, quod *observari* dicerentur adolescentes a proceribus, qui in petitione magistratuum honoris & commendationis causa deducebantur. Observari etiam minorem a majore ostendit Cic. lib. VII. ad Familiares, epist. XXVII: *Ego enim te in consulatu observaram*. Scribit autem ad Gallum. Fuit autem Gallus, (ut multis probat Manutius) Publius ille Sextius, qui Quæstor fuit Consule Cicerone, & ab eo post judicio de vi defensus est, pro quo extat nobilis illa oratio. Igitur observatus est Quæstor a Consule, ut mirari non debeas Antonium quæsturæ candidatum observatum fuisse a Tullio consulari. *Est autem observare*, verba sunt Manutii, epist. citata, *cum ad aliquem honoris officiique causa sæpe accedimus*. Id quidem ille probat tum hoc loco, tum epist. I. ad

quidem tempore P. Clodium, approbante populo Romano, in foro es conatus occidere: cumque eam rem tua sponte conarere, non impulsu meo, tamen ita prædicabas, te non existimare, nisi illum interfecisses, unquam mihi pro tuis in me injuriis (1) satis esse facturum. In quo demiror, cum Milonem impulsu meo rem illam egisse dicas, cum te ultro mihi idem illud deferentem nunquam sim adhortatus. Quanquam, si in eo perseverares (2), ad tuam gloriam rem illam referri malebam, quam ad meam gratiam.

Quæstor es (a) factus: deinde continuo (3) sine senatusconsulto, sine sorte, sine lege, ad Cæsarem cucurristi (4). Id enim unum in terris, egestatis, æris alieni, nequitiæ, perditis vitæ ratio-

ad Atticum: *Observat Luc. Domitium maxime*. Sed expressius exemplum est pro Murena: *Neque enim fieri potest, neque postulandum est a nobis, aut ab equitibus Romanis, ut suos necessarios candidatos sectentur totos dies: a quibus si domus nostra celebratur, si interdum ad forum deducimur, si uno basilicæ spatio honestamur, diligenter observari videmur, & coli*. Qui legunt *sublevatus*, habent exemplum Cæsaris de Lentulo Spinthere, ita loquentis lib. 1. de Bello civili: *In petitione consulatus ab eo erat sublevatus*. Idem.

(1) *Pro tuis in me injuriis*) Quas tu mihi intuleras, cum eras intimus Clodio in tribunatu, ejusque omnium incendiorum fax. *Idem*.

(2) *Si in eo perseverares*) Si constans esses in illo odio improborum. *Idem*. In meo codice non male, *si in eo perseverasses*, & sic omnino scripsisse Tullium censeo. Loquitur enim de præteritis. *Græv*.

(3) *Deinde continuo*) Solebant Patres quas in provincias Proprætores aut Proconsules annui mitterentur, deinde Quæstores inter se sortiri, ut in eam provinciam mitterentur, quæ cuique sorte obvenisset. Aliquando tamen extra ordinem non Senatus aut sortis beneficio, sed populi suffragiis & lege perlata provinciæ mandabantur Quæstoribus. Antonius ut primum factus est Quæstor, nulla interposita mora, contra jus & morem majorum, sine S. C. sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurrit. *Abram*.

(4) *Ad Cæsarem cucurristi*) Ut ei quæstor esses in Gallia. *Manutius*.

ANALYSIS.

(a) *Quæstor es*) 8. Quæsturam contra leges, & avare gestam.

tionibus, perfugium esse ducebas. Ibi te cum & illius largitionibus, & tuis rapinis explevisses, (si hoc est explere, quod statim effundas) advolasti * egens ad tribunatum, ut in eo magistratu, si posses, viri tui similis (1) esses.

XXI. Accipite nunc (*a*), quæso, non ea, quæ ipse in se, atque in domesticum dedecus impure atque intemperanter, sed quæ in nos, fortunasque nostras, id est in universam rempublicam, impie ac nefarie fecerit. Ab hujus enim scelere omnium malorum principium natum reperietis. Nam, cum (*b*) L. Lentulo, C. Marcello consulibus, Kalendis Januar. labentem & prope cadentem rempublicam fulcire cuperetis, ipsique C. Cæsari (2), si sana mente esset, consulere velletis: tum iste venditum atque emancipatum tribunatum consiliis vestris opposuit, cervicesque suas ei

* Vulg. *advolas*.

(1) *Viri tui similis*) Curionem designat, qui superiore anno Tribunus plebis fuerat, emptusque a Cæsare ab ejus causa pertinaciter steterat. *Ferratius*. Dicitur vir Antonii, eadem mente qua superius dicitur *a Curione in matrimonio stabili & certo locatus esse*. Addit *si posses*, quia difficile fuit Antonio Curionis similem evadere, quod neque animo, neque ingenio, & eloquentia ad Curionem aspiraret. *Abram.*

(2) *Ipsique C. Cæsari*) Quoniam potuit Antonius causari se intercessisse senatusconsulto, quod Cæsari, cui fuerat Quæstor anno superiore, injuriam fieri videret (siquidem factum fuerat S. C. uti ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret: si non faceret, eum adversus rempublicam facturum videri) idcirco prudenter huic objectioni noster occurrit, ajens Senatum C. Cæsari, si sana mente esset, & Senatui obtemperare vellet, consulere voluisse. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Accipite nunc*) Secundo insectatur Antonii Tribunatum, eumque bellorum Civilium auctorem fuisse, ita probat *a Causis*:

Ille malorum causa est, qui ne remedia malis adhibeantur, prohibet;

Sed Antonius prohibuit, ne bello Civili remedia adhiberentur;

Ergo ille causa fuit belli Civilis.

(b) *Nam, cum*) *Assumptionis* approbatio; nam cum Setus vellet adimere Cæsari provinciam, & exercitum, Antonius S. C. intercessit.

ei ſubjecit ſecuri (1), qua multi minoribus in peccatis occiderunt. In te autem, M. (*a*) Antoni, id decrevit ſenatus, & quidem incolumis, nondum tot luminibus extinctis, quod in hoſtem togatum decerni (2) eſt ſolitum more majorum. Et tu apud Patres Conſcriptos contra me dicere auſus es, cum ab hoc ordine ego conſervator eſſem, tu hoſtis reipublicæ judicatus? Commemoratio illius tui ſceleris intermiſſa eſt, non memoria quieta. Dum genus hominum, dum populi Romani nomen extabit, (quod quidem erit, ſi per te licuerit, ſempiternum) tua illa peſtifera interceſſio (3) nominabitur.

Quid cupide a ſenatu, quid temere fiebat, cum tu, unus adoleſcens, univerſum ordinem decernere de ſalute reipublicæ prohibuiſti? neque id ſemel (4), ſed ſæpius? neque tu tecum de ſena-

(1) *Cervicesſque ſuas ei ſubjecit ſecuri*) Suo ſcelere condemnandum ſenatui ſe tradidit. *Manutius*.

(2) *In hoſtem togatum decerni*) Senatus nonnunquam decernebat, ut perturbatores reipublicæ in hoſtium numero haberentur. In Piſonem: *De me Senatus ita decrevit, Cn. Pompejo auctore, & ejus ſententiæ principe, ut ſi quis impediſſet reditum meum, in hoſtium numero putaretur*. Ubi diximus Senatum nonnunquam ita decreta ſua muniiſſe ut adſcriberet, ſi quis interceſſerit, ſe graviſſime laturum, vel interceſſorem videri facturum contra rempublicam, vel eum in hoſtium numero habendum. Quæ eodem pene recidebant. Idem enim fuit videri feciſſe contra rempublicam, atque in hoſtium numero cenſeri. Vide pro Sextio, cap. I. *Abramus*.

(3) *Interceſſio*) Qua impedivit, ne valeret S. C. quo decretum erat, ut ante certam diem Cæſar exercitum dimitteret. *Man.*

(4) *Neque id ſemel*) Aliud adjectum quo Antonii ſcelus exaggerat, quod Antonius in eo pertinax fuerit & obſtinatus, oſtenderitque ſe non ſubito naſcentis cupiditatis impetu, ſed certa animi inductione ſenatuſconſulto de provinciis intercedere, neque ſecum agi de Senatus auctoritate, id eſt, ne voces quidem eorum admiſerit, qui rogabant, ne ſe unus Senatus auctoritati opponeret. *Abramus*.

ANALYSIS.

(a) *In te autem, M.*) Amplificatur ſcelus Antonii *ab Adjunctis* tum pœnæ illi inflictæ a Senatu, tum pertinaciæ, qua in ſententia permanſit.

tus auctoritate agi passus es? Quid autem agebatur, nisi ne delere & evertere rempublicam funditus velles? cum te neque principes civitatis rogando, neque majores natu monendo, neque frequens senatus agendo, de vendita atque addicta sententia movere potuit. Tum illud (1), multis rebus ante tentatis, necessario tibi vulnus inflictum, quod paucis ante te, quorum incolumis fuit nemo. Tum contra te dedit arma hic ordo consulibus, reliquisque imperiis & potestatibus: quæ non effugisses, nisi te ad arma Cæsaris contulisses.

XXII. Tu, tu, inquam (2), M. (*a*) Antoni, princeps C. Cæsari, omnia perturbare cupien-

(1) *Tum illud*) Redit ad notam Senatus, qui in Antonium decrevit, quod in hostem togatum decerni est solitum more majorum. Id est, decrevit eum contra rempublicam facturum videri, si diutius Senatusconsulto de provinciis Cæsaris obstitisset. Notat tamen id factum fuisse, & multis rebus ante tentatis & necessario, ut ostendat Senatus lenitatem, qui ad hujusmodi pœnam infligendam non descendisset, nisi necessitate compulsus. Notat paucis ante Antonium id vulnus inflictum *fuisse*, ut eo pœna gravior quo inusitatior appareat, eorum quibus inflictum est, incolumem fuisse neminem, ad exaggerandam pœnæ gravitatem. *Idem*.

(2) *Tu, tu, inquam*) Verbi reduplicatione Antonium pungit, & quasi repetitis ictibus stimulat, quod C. Cæsari quasi quidam antesignanus fuerit ad bellum patriæ inferendum. Legunt aliqui, ut notat Lambinus, *ansam belli*, pro *causam belli*, quæ lectio mihi plurimum arridet. Si enim Cæsar jam ante omnia turbare cupiebat & tantummodo speciosum prætextum suo sceleri quærebat, non reipsa belli causa fuit expulsio, & circumscriptio M. Antonii, sed tantum prætextus, & occasio, quam Cæsar oblatam arripuit, quasi ansam, ad bellum reipublicæ inferendum. Eam tamen causam videri volebat Cæsar, quasi non ambitione duceretur, sed intercessionem Tribunitiam & jura plebis Romanæ defenderet. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Tu, tu, inquam, M.*) Idem, quod supra, confirmat a Cæsaris testimonio:

Illa fuit causa belli Civilis, quam causam inferendi belli Cæsar ipse afferebat;

Sed hanc causam belli inferendi Cæsar afferebat, quod intercessio Antonii neglecta, Antonius circumscriptus esset;

Ergo Antonius causa fuit belli Civilis.

pienti, causam belli contra patriam inferendi dedisti. Quid enim aliud ille dicebat? quam causam dementissimi sui consilii, & facti afferebat, nisi quod intercessio neglecta, jus tribunitium sublatum, circumscriptus a senatu * esset Antonius? Omitto quam hæc falsa, quam levia: præsertim cum omnino nulla causa justa cuiquam esse possit contra patriam arma capiendi. Sed nihil de Cæsare: tibi certe confitendum est, causam perniciosissimi belli in persona tua constitisse. O miserum (a) te, si intelligis! miseriorem, si non intelligis, hoc literis mandari, hoc memoriæ prodi; hujus rei ne posteritatem quidem omnium seculorum unquam immemorem fore; consules ex Italia excussos, cumque his Cn. Pompejum, qui imperii populi Romani decus ac lumen fuit: omnes consulares, qui per valetudinem exsequi cladem illam (1) fugamque potuissent: prætores, prætorios, tribunos plebis, magnam partem senatus, omnem sobolem juventutis, unoque verbo rempublicam expulsam, atque exterminatam suis sedibus.

Ut igitur in seminibus est causa arborum & stirpium, sic hujus luctuosissimi belli semen tu fuisti. Doletis, tres exercitus (2) populi Roma-

* Al. omittunt *a Senatu*.

(1) *Exsequi cladem illam*) A funeribus & exequiis videtur petita translatio, quasi, Consulibus & Pompejo fugientibus, funere elata fuerit respublica. Lib. IX. ad Atticum epist. XIV. de hac ipsa fuga Pompeji differens: *Miseros nos! cur non omnes fatum illius executi sumus?* Exequi, vox funerum. *Idem*.

(2) *Tres exercitus*) Primus populi Romani exercitus deletus a Cæsare, & interfectus est ad Philippos & Pharsalum in Thessalia, cui præerat ipse Cn. Pompejus. Secundus in Africa ad Thapsum, duce Scipione socero Pompeji; tertius ad Mundam in Hispania, ducibus Cneo & Sexto Pompejis. Multas & ipse Cæsar clades per suos legatos accepit, *quorum C. Curio*, inquit

Tran-

A N A L Y S I S.

(a) *O miserum*) Rursus amplificat Antonii scelus, tum *ab Adjunctis* personarum, tum *ab Effectis*; & utramque amplificationem illustrat duplici *Similitudine*, feminum, & Helenæ.

ni interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos quoque eripuit vobis Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta est? afflixit Antonius. Omnia denique, quæ postea vidimus, (quid autem mali non vidimus?) si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. Ut Helena Trojanis, sic iste huic reipublicæ *causa* belli, causa pestis atque exitii fuit. Reliquæ partes (*a*) tribunatus principio similes. Omnia *perfecit*, quæ senatus, salva republica ne fieri possent, perfecerat. Cujus tamen scelus in scelere cognoscite (1).

XXIII. Restituebat multos calamitosos. In his patrui (2) nulla mentio. Si severus: cur non in

Tranquillus, cap. 36. *in Africa periit*, (cum duabus legionibus & equitibus quingentis, ex Cæsare) *C. Antonius in Illyrico in adversariorum devenit potestatem*: *P. Dolabella classem in eadem Illyrico*, *Cn. Domitius Calvinus in Ponto exercitum amiserunt*. Ipse duo circiter millia militum prælio Dyrrhachino, Mundensi mille amiserat. Sed tres tantum clades enumerat Orator, quasi Cæsariani non in civium, sed in hostium numero censeantur. *Idem*.

(1) *Cujus tamen scelus in scelere cognoscite*) Scelus in scelere dicit, quia scelus quidem fuit restituere damnatos, & res judicatas rescindere, sed hoc scelere posito scelus aliud admisit, patruum suum C. Antonium, qui damnatus erat, beneficio suæ legis excludens. Vel enim nullum omnino restituere debuit, vel non debuit patruum suum excludere, cujus tamen nullam fecit mentionem. *Idem*.

(2) *Patrui*) C. Antonii collegæ Ciceronis in Consulatu, qui accusatus a M. Cælio fuit, a Cicerone defensus, a judicibus damnatus, quod expilavisset Macedoniam. In exiliumne fuerit ejectus, an tantum æstimata lite ob expilatam provinciam mulctatus, & ab honoribus & reipublicæ administratione submotus, possit non immerito dubitari. Exulasse significant illa verba Vatinianæ: *At nunc quidem C. Antonius hac una re miseriam suam consolatur, quod imagines patris & fratris sui, fratrisque filiam non in familia, sed in carcere collocatas audire maluit, quam videre*. Contra videri possit non exulasse verbis illis infra: *Frequentissimo Senatu, sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella odii causam ausus es dicere, quod ab eo sorori & uxori tuæ stuprum oblatum esse comperisses*. Idem.

ANALYSIS.

(a) *Reliquæ partes*) Quædam alia attingit, quæ fecerat Antonius in Tribunatu; ad primum quidem exprobrat Patruum ejus C. Antonium cum cæteris Exulibus non restitutum, qui damnatus fuerat de majestate, Cæsare Consule.

in omnes? si misericors, cur non in suos? Sed omitto (*a*) cæteros. Licinium * Denticulam, de alea condemnatum, collusorem suum, restituit: quasi vero ludere (1) cum condemnato non liceret: sed ut, quod ille in alea perdiderat (2), beneficio legis dissolveret. Quam attulisti (*b*) rationem populo Romano, cur eum restitui oporteret? Absentem credo (3) in reos relatum, rem indicta causa judicatam, nullum fuisse de alea lege judicium, vi oppressum, & armis, postremo, quod de patruo tuo dicebatur, pecunia judicium esse corruptum. Nihil horum. At vir bonus, & republica dignus. Nihil id quidem ad rem (4): ego tamen, quoniam condemnatum esse ** pro nihilo

* Vict. *Lenticulam*.

** Man. Lamb. Grut. *pro nihilo est*.

(1) *Quasi vero ludere*) Legendum est: *Non quasi ludere cum condemnato non liceret; sed*, &c. *Muret.* Var. Lect. XVIII. 7. Vide Schott. Mod. 12.

(2) *Sed ut, quod ille in alea perdiderat*) Insinuat Antonium fuisse pecuniis inductum ad ferendam legem de restitutione Denticulæ, ut videlicet *hujus legis beneficio*, id est, pecuniis ob hanc legem ferendam acceptis, æs alienum dissolveret Antonius, quod ipse contraxerat, ut pecuniis mutuatitiis alea luderet, totumque illud mutuum ludendo perdiderat. *Abram.*

(3) *Absentem credo*) Ironia, qua omnes causas, quibus res judicata rescindi potuit, complectitur. Si absens in reos referretur, nec daretur ei spatium veniendi, seque defendendi: si temere nec auditis partibus reus damnaretur: si quæstio nulla lege esset constituta: si vi oppressus esset reus: si judices pecunia corrupti reum damnavissent. Sed causas ejusmodi nullas attulit ad restituendum Denticulam. *Idem*.

(4) *Nihil id quidem ad rem*) Cur non ad rem, causa redditur Verrina de suppliciis: *Perditæ civitates, desperatis omnibus rebus, hos solent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur, vincti solvantur, exules reducantur, res judicatæ rescindantur. Quæ cum accidunt, nemo est quin intelligat ruere illam rempublicam.* &c. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Sed omitto*) Deinde coarguit, quod Licinium Denticulam aleatorem restituerit, usus argumento *a Causis*:

Qui studio ludendi alea exulem restituit, scelerate facit;
Sed Antonius Denticulam restituit, studio ludendi alea;
Ergo magnum scelus admisit.

(b) *Quam attulisti*) *Assumptionis* approbatio a remotione aliarum Causarum.

hilo vis, si ita esset, ignoscerem. Hominem omnium nequissimum, qui non dubitaret vel in foro alea ludere, lege, quæ est de alea, condemnatum qui in integrum restituit, is non apertissime studium suum ipse profitetur?

In eodem vero (*a*) tribunatu, cum Cæsar in Hispaniam proficiscens huic conculcandam Italiam tradidisset: quæ fuit ejus peragratio itinerum? lustratio municipiorum? Scio me in rebus celebratissimis sermone omnium versari, eaque, quæ dico, dicturusque sum, notiora omnibus esse, qui in Italia tum fuere, quam mihi, qui non fui (1). Notabo tamen singulas res: etsi nullo modo poterit oratio mea satisfacere vestræ scientiæ. Etenim quod * unquam in terris tantum flagitium extitisse auditum est? tantam turpitudinem? tantum dedecus?

XXIV. Vehebatur in essedo (2) tribunus plebis

* Al. *Ecquod enim*.

(1) *Quam mihi, qui non fui*) Aliquanto tempore substitit in Italia Cicero, postquam Cæsar in Hispaniam profectus est, ut constat ex literis Cæsaris ad Ciceronem xv. Kal. Maji ex itinere datis, quibus eum rogat, ut ab omni contentione absit, nec naviget ad Pompejum. Habentur libro x. ad Atticum epist. VIII. Substitit autem in Italia usque ad æquinoctium. Eodem lib. XVIII. *Nunc quidem æquinoctium nos moratur: quod valde perturbatum erat, id scilicet cras erit*. Datæ sunt hæ literæ xvII. Kalendas Junii. Imo epistola sequenti scribit Tulliam suam peperisse xIv. Kalendas Junii, quo tempore adhuc in Italia morabatur. E quibus videas eum in Italia fuisse quadraginta pene dies postquam Cæsar Italiam conculcandam Antonio tradidisset. *Idem*.

(2) *Vehebatur in essedo*) Adverte vim singulorum verborum, quibus lustrationem Italiæ, ejusque turpitudinem exaggerat. *Vehebatur* muliebri mollitie. *In essedo*, quod genus est barbarici vehiculi, & a moribus Romanis alieni. *Tribunus plebis*, qui pedibus deberet incedere, ut se magis popularem & conventu facilem exhiberet. *Lictores antecedebant*, quos habere Tribuno plebis jus non fuit: *laureati*, ob expulsos Consules & Cn. Pompejum. *Inter quos* lictores Citheris *mima portabatur*, quod est indignissimum, meretriculam ornare his magistratus insignibus

ANALYSIS.

(*a*) *In eodem vero*) Tandem impudentiam hominis exagitat *ab Adjunctis*, qui Tribunus pl. cum mima, & lenonibus peragraverit Italiam, matre neglecta.

bis (1): lictores laureati (2) antecedebant: in-

bus, & *aperta lectica portabatur*, ad majorem impudentiam. Cætera etiam suam emphasim habent, ut quod eam salutarent municipales homines honesti, quod non sponte, sed necessario illi obviam procederent. *Idem*.

(1) *Tribunus plebis*) Non temere Tribunum plebis appellat: quantum enim conjectare licet, fas non fuit Tribuno plebis uti vehiculo, quamdiu erat in magistratu. Neque enim poterat longius ab urbe discedere, aut extra pomœrium pernoctare; neque decebat ut magistratus plebejus ad infimi ordinis patrocinium institutus, cultu corporis, aut incessu a plebejis differret, aut vehiculo uteretur, ne difficilis ad eum esset accessus. Quam ob causam, *Prætextam non gestat Tribunus plebis*, ut scribit Plutarchus quæst. Rom. probl. 81. Subdit: *Neque enim aut lictores habent, aut in sella curuli sedentes jus dicunt*. Et aliquanto post, quod magis facit ad præsens institutum: *Dum autem Tribunus plebis e plebe sumpserit originem, in eo vis ejus est omnis, ut sit valde popularis, ejusque omnis amplitudo est, ut non majores spiritus sumat quam cæteri, sed & habitu corporis & veste & vivendi ratione similis sit cuicunque civium. Nam pompa Consuli convenit, & Prætori: at vero Tribunum plebis, ut ajebat C. Curio, conculcari oportet, neque specie majestatem præferre, aut esse inaccessum, & multitudini difficilem: sed ita super alios omnes eminere, ut tamen possit facile conveniri. Et eam ob rem neque illi domus januas claudere fas est, sed diu noctuque aperit, tanquam portus & perfugium indigentibus. Quo magis autem externa specie corporis abjectus est, eo magis potestate attollitur*. Quare probabilissimum est eos, ut planius a quovis etiam plebejo adiri possent, vehicula ejeravisse, ut se magis populares exhiberent. Confirmari potest ex eo quod etiam Dictatorem equo, aut vehiculo uti nefas fuit, ut quoniam summam rerum omnium potestatem obtineret, hac saltem una re plebejus videretur. Vide Plutarchum in Fabio. Quod etiam de legatis tradit Spartianus in Severo: *Ex quo factum est, ut in vehiculo etiam legati sederent, qui ante pedibus ambulabant*. Flamini etiam Diali, ne facile ab urbe discederet, equi usus interdictus fuit. Plutarchus quæstionibus Romanis, problemate 40. *Apud Romanos id sacerdoti* (loquitur de Flamine Diali) *proprium est, ut neque equo utatur, neque ultra dies tres peregrinetur*. Festus etiam causam addit: *Equo vehi Flamini Diali non licebat, ne si longius digrederetur, sacra negligerentur*. Abram.

(2) *Lictores laureati*) Cæsar potitus Italia, iis, quos sibi legavit, dedit lictores laureatos, non Antonio solum, sed etiam Curioni. Narrat enim Tullius epist. IV, l. x. Ad Atticum, hoc ipso tempore quo Cæsar proficiscebatur in Hispaniam, C. Curionem in villam ad se divertisse: *Quid isti, inquam, tui fasces? si ab Senatu, cur laureati? si ab ipso, cur sex? Cupivi, inquit, ex S. C. surrepto: nam aliter non poterat. At ille impendio nunc magis odit Senatum. A me, inquit, omnia proficiscentur. Sex autem, quia duodecim nolui; nam licebat*. Sed id magis tolerari potuit in Curione quam in Antonio: quia hic Tri-

inter quos, aperta lectica, mima portabatur: quam ex oppidis municipales, homines honesti, obviam necessario prodeuntes, non noto illo & mimico nomine, sed Volumniam (1) consalutabant. Sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequissimi (2): rejecta mater amicam impuri filii,

Tribunus plebis erat, qui lictores habere non potuit, ut jam vidimus e Plutarcho. *Idem*.

(1) *Volumniam*) Cytheris liberta fuit P. Volumnii Eutrapeli, ut scribit Servius in Eclogam decimam, & eadem a Volumnio adamata, ut colligitur ex epistola ultima libri IX. ad Familiares: *Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi. Dices, Ubi? apud Volumnium Eutrapelum, & quidem supra me Atticus, infra Verrius*, &c. *Infra Eutrapelum Cytheris accubuit*. Ad hunc amorem lib. VII. ep. XXXII. alludit scribens ad eundem Volumnium: *Ut nihil sit tam ἀκύθηρον, quod non alicui venustum esse videatur*. Volumnius autem familiaris fuit Antonio. Cornelius Nepos in Attici vita: *Atticus cum Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto, non modo nihil iis indulsit ad Antonium violandum, sed e contrario familiares ejus ex urbe profugientes quantum potuit, texit: quibus indiguerunt, adjuvit. Pub. vero Volumnio ea tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint*. Apud quem etiam latuit Triumvirali proscriptione: *Idem Luc. Julium Calidium*, &c. *in proscriptorum numerum a P. Volumnio præfecto fabrum Antonii absentem relatum expedivit*. E quibus agnoscis & conjunctionem Antonii cum Cytheride, & causam cur Cytheris Volumnia diceretur. Adde quod gens Volumnia nobilissima fuit, & patricia, ex qua P. Volumnius Consul fuit anno post Reges exactos quarto & quinquagesimo, quo tempore solis patriciis patebat aditus ad Consulatum, ut constat e Livio lib. III. & fastis Cassiodori. Ex eadem etiam gente fuit Volumnia uxor Coriolani, de qua Livius lib. II. & alii passim; ut merito Cytheris ex hoc nomine gloriam quæsierit. *Abram*.

(2) *Sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequissimi*) Sic nonnulli v. l. *Sequebantur rheda cum lenonibus comites nequissimi*. Quos probo: ut pro comitibus nequissimis, meritorios pueros intelligat. Id quod paulo infra apertius dicet. *Ingenui* (inquit) *pueri cum meritoriis, scorta inter matresfamilias versabantur*. Rheda autem sit sexti casus: ut Sallustius dixit, *equo circumiens*: & alter nescio quis, scriptor certe non malus, *equo sequi*. Petrus Victorius, quem honoris causa nomino, corrigendum putat, *Sequebatur rheda cum leonibus: comites nequissimi*. Et mehercule opinionis suæ librum, illum quidem non antiquum, sed tamen scriptum, adstipulatorem habet. Arbitratur enim vir doctissimus, Ciceronem id significare voluisse, quod Plinius lib. VIII. cap. 16. memoriæ prodidit. *Primus*, inquit, *leones Romæ ad currum junxit M. Antonius, & quidem civili bello, cum dimicatum esset in Pharsalicis campis: non sine ostento*

filii, tanquam nurum, sequebatur. O miseræ mulieris fœcunditatem calamitosam! Horum flagitiorum iste vestigiis omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impressit.

Reliquorum (*a*) factorum ejus, Patres Conscripti, difficilis est sane reprehensio & lubrica. Versatus in bello est: saturavit se sanguine dissimillimorum sui civium. Fuit felix, si potest ulla esse in scelere felicitas. Sed, quoniam veteranis (2) cautum esse volumus, quanquam dissimilis est

to quodam temporum, generosos spiritus jugum subire illo prodigio significante. Nam quod ita vectus est cum mima Cytheride, supra monstra etiam illarum calamitatum fuit. Hæc Plinius: quæ Plutarchus, quæ Cicero ipse tradidit. Ego autem præterquam quod pro uno illi possum viginti adstipulatores regerere, in eis tres vetustissimos: præterea, qui ita loqueretur, ut diceret, *rheda cum equis*, *rheda cum mulis*, id est, rheda mulis juncta, neminem adhuc inveni. Jam vero ut rem tam inusitatam ac pene portenti similem tam breviter attingeret, nec ullos in ipsam orationis aculeos emitteret, adduci ad credendum nullo modo possum. Tu igitur judicium adhibebis: idque eliges, quod ad locum aptius convenire judicabis. *Ferrarius*. Nondum satis, verum ut fatear, constituere potui, de hujus loci lectione, Victorio ne potius, an Ferrario assentiendum putem. Magna utriusque eruditio, magna diligentia & accuratio, magna exercitatio in veterum scriptis: sententiæ suæ rationes uterque probabiles affert: & nescio quomodo melius uterque, quantum ego quidem judicare possum, reprehendit aliena, quam confirmat sua. Cum igitur in dubio esset animus, optimum factu esse duxi, veteris libri scripturam, ut erat, proponere. Quanquam si alterius utrius sententiam probare necesse sit, aliquanto equidem libentius Victorio accesserim. *Muret*.

(2) *Sed, quoniam veteranis*) Nihil de belli genere dicam, nec invehar in te, quod interfueris bello civili suscepto contra rempublicam. Non, inquam, invehar propter duas rationes: altera est, quoniam veteranis cautum esse volumus, ne priventur iis militiæ commodis, quæ vel jam adepti sunt a Cæsare, vel brevi adipiscentur a Senatu: altera est, quia nolo committere, ut tu me apud illos in invidiam voces, eorumque animos contra me inci-

ANALYSIS.

(a) *Reliquorum*) Tertio examinat expeditionem in Pompejum, & reliqua usque ad reditum Cæsaris Alexandria. Attingit igitur, quæ in prælio Pharsalico admisit in Cives, sed admodum leviter, ne veteranos offendat, quorum tamen, & Antonii causam diversam fuisse ostendit.

est militum causa, & tua: illi secuti sunt, tu quæsisti ducem: tamen, ne apud illos me in invidiam voces, nihil de belli genere dicam. Victor (*a*) e Thessalia Brundusium cum legionibus (1) revertisti. Ibi me non occidisti. Magnum beneficium; potuisse enim fateor: quanquam nemo erat eorum, qui tunc tecum fuerunt, qui mihi non censeret parci oportere. Tanta enim est caritas patriæ, ut vestris etiam legionibus sanctus essem, quod eam a me servatam esse meminissent. Sed fac (*b*) id te dedisse mihi, quod non ademisti, meque a te habere vitam, quia a te non sit erepta: licuitne mihi per tuas contumelias hoc beneficium

incites, quasi ego eorum commodis detrahendum putem. Quanquam, etiamsi in te inveherer, quod interfueris bello civili, non tamen reprehenderentur a me veterani. Siquidem alia tua est, alia veteranorum causa. Illi enim sequuti sunt Cæsarem ducem, qui ipsis datus fuerat a Senatu populoque Romano; nec examinare debuerunt causam, cur Cæsar Pompejo bellum inferret: tu autem cum & Tribunus plebis esses, ac proinde nullo sacramento militari obligatus, tu sponte ducem quæsiisti. *Abram.*

(1) *Cum legionibus*) Cæsar victo ad Pharsalum Pompejo magnam exercitus sui partem in Italiam remisit, eique præfecit M. Antonium: ipse cum reliquis copiis instituit sequi Pompejum fugientem. Cicero, qui & invitus bellum susceperat, & nullam videbat Pompejanis partibus spem superesse, audita clade Pharsalica, cui propter adversam valetudinem non interfuit, statuit ab armis discedere, neque Catoni & Cn. Pompejo filio exercitum ei tradentibus, hortantibusque, ut præesset, bellique extrema persequeretur, acquievit, sed in Italiam navigavit, appulsusque Brundusium incidit in Antonium cum exercitu victore redeuntem. Quem cum Antonius jure belli occidere posset, incolumem dimisit. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *Victor*) Beneficium Antonii, quod ab eo non fuerit Brundusii interfectus, hic etiam elevat hujusmodi Syllogismo:

Eum occidere non debebas, quem Cæsariani omnes vita dignum putabant;
Sed me omnes Cæsariani milites vita dignum putabant;
Ergo me occidere non debebas.

(b) *Sed fac*) Per *Concessionem* Rhetoricam admittit, quod admittendum supra negat, illud fuisse beneficium; se tamen id tueri non debere novis contumeliis lacessitum ab Antonio.

ficium sic tueri, ut tuebar, præsertim cum te hæc auditurum videres (1)?

XXV. Venisti (a) Brundusium, in sinum quidem & in complexum tuæ mimulæ. Quid est? num mentior? quam miserum est id negare non posse, quod sit turpissimum confiteri! Si te municipiorum non pudebat, ne veterani quidem exercitus? Quis enim miles fuit, qui Brundusii illam non viderit? quis, qui nescierit venisse eam tibi tot dierum viam (2) gratulatum? quis, qui non indoluerit, tam sero se, quam nequam hominem secutus esset, cognoscere?

Italiæ rursus percursatio (3) eadem comite mima:

(1) *Præsertim cum te hæc auditurum videres*) Hoc videtur dicere: Miror per tuas contumelias non licuisse mihi beneficium illud sic animo, & memoria colere, ut colebam: præsertim cum fore videres, ut audires a me, quæ meritus es. Tu me novis injuriis veteris beneficii memoriam abjicere coegisti. *Manut.*

(2) *Tot dierum viam*) De longitudine viæ Appiæ, quæ Roma Brundusium extendebatur, Lipsius lib. III, cap. 10. de Magnitudine Romana, ubi & testatur inter utramque urbem fuisse milliariorum circiter CCCL. intervallum: quare si singulis diebus quinque & viginti milliaria conficias, iter erit dierum quatuordecim: quam viam Cytheris ivit Antonio gratulatum. *Abram.* Horatius l. 1, sat. V. suum iter describens Roma Brundusium, innuit se quindecim diebus illud confecisse. *Manut.*

(3) *Percursatio*) Sic legendum (*eadem comite*) Vox *eadem*, vel ad percursationem referri potest, *percursatio eadem*, *comite mima*; vel ad mimam, *percursatio*, *eadem comite mima*. Malo ad percursationem referre: quasi dicat, Non opus est referre, quid fecerit e Thessalia reversus, ne bis idem dixisse videamur. Eodem enim modo se gessit in ista secunda percursatione Italiæ, quo se gesserat in priore. Cum enim, ut referunt Plutarchus & Plinius, hæc secunda lustratione Italiæ, tum alia insolentissime fecerit, profecto non omisisset Orator, nisi eadem utraque percursatione contigissent. *Abram.* Sed aliter interpretatur Ferratius; nam ita distinguit, *Italiæ rursus percursatio*, *eadem comite*, &c. Quod ille hac distinctione, nos accentu notavimus.

ANALYSIS.

(a) *Venisti*) Igitur res ab eo gestas per illud tempus sic reprehendit *ab Adjunctis*:

Homo est nequissimus, qui Imperator libidinose, & intemperanter vivat in conspectu militum, & Provinciæ, Magister Equitum cum Mimis vitam latronis agat;

Sed talis fuit Antonius tum Imperator, tum Magister Equitum;

Ergo est omnium nequissimus.

Assumptionem amplificat quoad utramque partem.

ma: in oppida militum crudelis & misera deductio (1): in urbe auri, argenti, maximeque vini, fœda direptio. Accessit (2), ut, Cæsare ignaro, cum ille esset Alexandriæ, beneficio amicorum ejus magister equitum constitueretur. Tum existimavit (3) se suo jure cum Hippia (4) vivere, & equos vectigales (5) Sergio mimo tradere. Tum sibi non hanc (6), quam nunc male

(1) *In oppida militum crudelis & misera deductio*) Dicuntur in oppida deduci milites, cum vel ad hiberna mittuntur ad tempus, ut, cum se vis hyemis remiserit, rursus ad militiam educantur, vel cum stipendiis confectis, in oppida mittuntur, assignatis agris, accepturi præmia & veteranorum privilegia. Posteriore sensu libentius interpretor. Hæc enim deductio crudelis fuit & misera, cum ejectis veteribus colonis in eorum possessiones novi succederent. *Abram.*

(2) *Accessit*) Ad superioris percursationis nequitiam accessit huic posteriori magistratus, nimirum, ut magister equitum crearetur Cæsare Dictatore. Posteaquam enim de pugna Pharsalica, & nece Cn. Pompeji Romæ nuntiatum est, multi honores Cæsari decreti fuerunt, isque ad annum integrum Dictator, Antonius autem magister equitum constitutus. Id Cicero videri vult factum ignaro Cæsare, beneficio amicorum ejus, ut etiam indicet Antonium Cæsari contemptui fuisse. Sed rem aliter narrat Plutarchus in Antonio. Videatur Dio, lib. 42. *Idem.*

(3) *Tum existimavit*) Postquam magister equitum constitutus est Antonius, existimavit se jus habere vivendi familiariter cum Hippia: quia videlicet ipse magister equitum erat, sive ἵππαρχος, Hippia autem ab equis, quos Græci ἵππους appellant, nomen obtinebat. *Abram.*

(4) *Hippia*) Putavi nonnunquam Hippiam mulierculam fuisse famosam. Id enim nomen eo sensu Juvenalis usurpat:

Quot amaverit Hippia mœchos.

Imo hanc Sergio ludio adhæsisse tradit Sat. VI. E quibus patet & ludium & gladiatorem fuisse Sergium, & Hippiam matronam fuisse nobilem, sed multorum adulterorum libidini prostitutam, & eandem ab Antonio amari potuisse, & cum Sergio libidinis habuisse commercium, ut non frustra Noster utriusque meminerit. Hæc, inquam, putavi, & etiamnum putarem, nisi me Plutarchi reverentia rem in medio relinquere compelleret, veritum toties a tanto viro dissidere: Qui, ut sequenti sectione referemus, Hippiam non mulierem, sed mimum fuisse testatur, *in Hippiæ mimi nuptiis*. Idem.

(5) *Vectigales*) Arguitur dedisse mimo equos sui magistratus, ex quibus ille quæstum faceret. *Ferratius.*

(6) *Tum sibi non hanc &c.*) In eo magistratu non domum Cn. Pompeji, quam invasit quidem, sed male tuetur, Sexto Pompejo Cnei Magni filio eam repetente, sed M. Pisonis domum elege-

male tuetur, sed M. Pisonis domum, ubi habitaret, legerat. Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? Cogebat (*a*) egestas: quo se verteret non habebat. Nondum ei tanta a L. Rubrio, non a L. Turselio hereditas venerat: nondum in Cn. Pompeji locum, multorumque aliorum, qui aberant, repentinus heres successerat. Erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum rapere potuisset.

Sed hæc (*b*), quæ robustioris improbitatis sunt, omittamus: loquamur potius de nequissimo genere levitatis. Tu istis faucibus (1), istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie. O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam, in ipsis tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu vero populi Romani, negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum & to-

legerat, cum ipse propriam domum non haberet in qua habitaret. Pater enim ejus decoxerat. Hic autem M. Piso videtur esse M. Puppius Calpurnianus, qui biennio post Ciceronem cum M. Valerio Messala Consul fuit. *Abram.*

(1) *Tu istis faucibus*) Hunc locum Fabius frequenter expendit, ut lib. VIII. cap. 4: IX. 4. &c.

ANALYSIS.

(a) *Cogebat*) Extremum illud de latrociniis ingeniose excusat, quo reprehensio acerbior fit; eum fuisse coactum vivere ritu latronum, quia nondum multorum bona occupaverat, quod postea fecisse arguitur.

(b) *Sed hec*) Ultimo loco rem narrat turpissimam, & acri *Exclamatione* interposita, ita exaggerat *a Comparatione minorum*;
Si tibi id accidisset intra domesticos parietes, turpe tamen esset;
Ergo multo turpius in conspectu populi Romani.
Amplificatio crescit *ab Adjunctis* tum loci, tum personæ, tum temporis.

totum tribunal implevit *. Sed hoc ipse (*a*) fatetur esse in suis sordibus: veniamus ad splendida.

XXVI. Cæsar (*b*) Alexandria se recepit (1), felix, ut sibi quidem videbatur, mea autem sententia, si quis reipublicæ sit infelix *, felix esse non potest. Hasta posita (2) pro æde Jovis Statoris, bona Cn. Pompeji (miserum me! consumptis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeji Magni, voci acerbissimæ subjecta præconis. Una in illa re servitutis oblita civitas ingemuit, servientibusque animis, cum omnia metu tenerentur, gemitus tamen populi Romani liber fuit. Expectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam diis, hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo, præter Antonium: præsertim cum tot essent circum hastam illam,

* Al. *nisi qui reipublicæ sit felix*, ... *nemo potest*.

(1) *Se recepit*) Se recipere dicuntur, qui ex aliquo periculo incolumes evaserint. Cæsar autem Alexandriæ, ut Tranquilli verbis utar, *cum Ptolemæo Rege, a quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit: neque loco, neque tempore æquo, sed hieme anni, & intra mœnia copiosissimi ac solertissimi hostis, inops ipse rerum omnium, atque imparatus*. Neque refert quod non continuo Romam Alexandria contendit, sed *ab Alexandria in Syriam & inde Pontum transiit*: tam celeriter enim eas regiones obiit, ut non opus habuerit Orator illius itineris facere mentionem. Pharnacem enim *intra quintum, quam adfuerat diem, quatuor, quibus in conspectum venerat, horis una profligavit acie*. Ut nihil aliud ad Senatum de hac victoria rescripserit, quam *veni, vidi, vici*. *Abram*.

(2) *Hasta posita*) In auctionibus publicis hastam figebant eo loco, ubi res venales subjiciebantur auctioni, fortasse quia publicarum auctionum origo fuit ex venditione prædæ armis & hasta partæ. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Sed hoc ipse*) Quarto ea persequitur, quæ a reditu Cæsaris Alexandria usque ad bellum Hispaniense confectum evenerant.

(b) *Cæsar*) 1. Præmissa sua de Cæsaris felicitate sententia, sectorem Pompeii Antonium sic increpat *ab Adjunctis*:

Ille est omnium nequissimus, qui ex multis sceleratis unus facit id, quod mœstitiam afferat universæ Civitati;

Sed ex tot improbis unus Antonius Pompeji sector fuit, gemente pop. Rom.

Ergo Antonius omnium nequissimus.

illam, qui alia omnia auderent. Unus inventus est, qui id auderet, quod omnium fugisset & reformidasset audacia.

Tantus igitur (*a*) te stupor oppressit, vel, ut verius dicam, tantus furor, ut primum, cum sector (1) sis isto loco natus (2), deinde cum Pompeji sector, non te exsecrandum populo Romano, non detestabilem, non omnes tibi deos, omnes homines, & esse inimicos, & futuros scias? At quam (*b*) insolenter statim helluo invasit in ejus viri fortunas, cujus virtute terribilior erat populus Romanus exteris gentibus, justitia carior!

XXVII. In ejus igitur copias cum se subito ingur-

(1) *Sector*) Asconius in tertiam Verrinam: *Sectorem autem dicit æstimatorem redemptoremque bonorum damnati, atque proscripti, qui spem sectans lucri sui, id est, secutus spem æstimationis suæ, bona omnia auctione vendit, & semel infert pecuniam vel ærario, vel sociis*. Satis obscure. Libenter legerim pro *vendit*, *emit*. Clarius aliquanto post: *Sectores autem dicti sunt, qui spem lucri sui secuti, bona condemnatorum semel auctionabantur, proque iis pecunias pensitabant singulis: ac postea compendio suo singulas quasque res pecunia populo venditabant*. Vellem Festi verba superessent, nam Paulus ridicule mutilavit: *Sectio, persecutio juris. Sectores & qui secant dicuntur, & qui empta sua persequuntur*. Nonius Marcellus: *Secare, sequi; unde & sectatores bonorum sectores dicti sunt*. Hinc colligo eum in auctionibus publicis sectorem fuisse, qui bona proscripti vel damnati universa simul & semel suo periculo redimebat, quæ deinde vel sibi retineret, vel per partes venderet ad majus rei familiaris compendium. Dictus *sector*, vel quod commodum suum & lucrum sequeretur, ut volunt illi Grammatici, vel potius quod illa damnati vel proscripti bona in partes secaret, & singulis creditoribus singulas exsolveret. *Abram*.

(2) *Isto loco natus*) Vel quod nobilitatem sui generis dedecoraret illa sectionis infamia, vel quod filius esset M. Antonii Cretici, hominis ad perdendam pecuniam geniti, & ipse prætextatus patris sui culpa decoxisset. Indignissimum est autem eum qui ante decoxerit, ad hastam publicam accedere, & fortunæ prioris oblitum, fieri sectorem. Atque hæc a persona Antonii, deinde a Pompeji persona sectionis indignitatem amplificat. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Tantus igitur*) *Complexio*; præcedit autem *Assumptio*.
(b) *At quam*) Amplificat insolentiam, qua in Pompeji fortunas invasit; *comparatione* mimicæ personæ eamdem irridet. Quam cito omnia dissipaverit, exponit *per Similitudines* Charybdis, & Oceani, & ex vitæ ratione, quam instituerat.

gurgitavisset, exsultabat gaudio, persona de mimo (1), modo egens, repente dives. Sed, ut est apud poetam nescio quem, *Male parta male dilabuntur*: incredibile ac simile portenti est, quonam modo illa tam multa, quam paucis, non dico mensibus, sed diebus effuderit. Maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti (2), pretiosa vestis, multa & lauta supellex, & magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. Horum paucis diebus nihil erat.

Quæ Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quæ si fuit, fuit animal unum (3): Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum. Apothecæ (4) totæ nequissimis hominibus condonabantur: alia mimi rapiebant, alia mimæ: domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum: totos dies potabatur, atque id locis pluribus: suggerebantur etiam sæpe (non enim semper ipse felix) damna aleatoria: conchyliatis Cn. Pompeji peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres. Quamobrem (*a*) desinite mirari,

(1) *Persona de mimo*) Ut mimus personam mutat, modo hunc agens, modo illum: sic tu fortunam mutasti, ex egente repente dives factus. *Manutius*.

(2) *Argenti*) Argentum & aurum pro pateris aureis & argenteis. Quo in genere quanta fuerit Antonii insolentia, videre est apud Plinium lib. XXXIII, cap. 3. *Abram*.

(3) *Animal unum*) Legere videtur Fabius: *Quæ si fuit, fuit animal vivum*. Nihil facile mutaverim. Al. *quæ si fuit animal, unum fuit*. *Idem*.

(4) *Apothecæ*) Vinum aliud erat doliare, aliud diffusum. Cellæ vinariæ sub terra fuerunt, & vinum doliare continebant. Apothecæ autem fuerunt in superiore tabulato, & vinum in amphoras defusum servabant. Jam Noster non cellas vinarias, sed apothecas ait viris nequissimis fuisse condonatas, quia majoris pretii vetustiora fuerunt vina in amphoris & apothecis, quam in doliis cellisque vinariis. *Idem*. Vide Plin. XIV. 21.

A N A L I S I S.

(a) *Quamobrem*) *Complexio* hujus amplificationis, illustrata *a Comparatione majorum*.

ri, hæc tam celeriter esse consumpta. Non modo unius patrimonium, quamvis amplum, ut illud fuit, sed urbes & regna celeriter tanta nequitia devorare potuisset.

At ejusdem * (*a*) ædes etiam, & hortos. O audaciam immanem!. tu ingredi (*b*) illam domum ausus es; tu illud sanctissimum limen intrare; tu illarum ædium diis penatibus os importunissimum ostendere? Quam domum aliquandiu nemo adspicere poterat, nemo sine lacrymis præterire, hac te in domo tamdiu diversari non pudet? in qua, quamvis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse jucundum.

XXVIII. An tu illa in vestibulo (1) rostra, spolia cum adspexisti (2), domum tuam te introire putas? Fieri non potest. Quamvis enim sine mente, sine sensu sis, ut es, tamen & te, &

* Al. *at idem*.

(1) *Vestibulo*) Vestibulum non fuit, ut aliqui putant, vel ipsa janua, vel arcus januæ præpositus, quasi προπύλαιον, aut etiam porticus ante januam, sed Aquilius Gallus apud Gellium in noctibus Atticis libro XVI. cap. 15. *Vestibulum esse dicit non in ipsis ædibus, neque partem ædium, sed locum ante januam domus vacuum, per quem a via aditus accessusque ad ædes est, cum dextra sinistraque inter januam tectaque, quæ sunt viæ juncta, spatium relinquitur: atque ipsa janua procul a via est, area vacanti intersita*. Vide ibi plura, & Macrob. Saturn. VI. 8. *Grævius*.

(2) *An tu illa in vestibulo rostra, spolia cum adspexisti*) Alii, *in vestibulo rostra, & hostium spolia*. Alii, quod magis placet, *An tu illa vestibula, rostra, spolia*. Majorem enim vim habet oratio si dissoluta fuerit, ut plura conglobari, & quasi in cumulum coacervari videantur, nec moris est oratori, duas tantum voces continuari, nisi vinculo copulentur. *Abram*. Puto Ciceronem scripsisse, *An tu illa in vestibulo rostra, an spolia cum inspexisti*. Grævius. *al. hostium spolia*.

ANALYSIS.

(a) *At ejusdem*) Impudentiam objicit Antonio, quod in ædibus Pompeji habitare audeat, sic *a Contrariis*.

Turpe est, hominem impurum habitare in ædibus viri pudici, & sancti;

Sed Antonius homo impurus, Pompejus vir fuit sanctus, & pudicus;

Ergo turpe est, Antonium in Pompeji ædibus habitare.

(b) *Tu ingredi*) *Complexio* cum increpatione; hinc furiis agitari dicit Antonium.

tua & tuos nosti. Nec vero te unquam neque vigilantem, neque in somnis credo mente posse consistere. Necesse est, quamvis sis, ut es, violentus & furens, cum tibi objecta sit species singularis viri, perterritum te de somno excitari, furere etiam sæpe vigilantem. Me quidem miseret parietum ipsorum, atque tectorum. Quid enim (*a*) unquam domus illa viderat, nisi pudicum, nisi * ex optimo more & sanctissima disciplina? Fuit enim ille vir, Patres Conscripti, sicut scitis, cum foris clarus, tum domi admirandus: neque rebus externis magis laudandus, quam institutis domesticis. Hujus in sedibus pro cubiculis stabula (1), pro tricliniis popinæ sunt. Etsi jam negat (*b*): nolite, nolite quærere: frugi factus est: mimam illam suam suas res (2) sibi habere jussit ex duodecim tabulis: claves ademit, exegit. Quam porro spectatus civis, quam probatus, cujus ex omni vita nihil est honestius, quam quod cum mima fecit divortium!

At quam crebro (*c*) usurpat, *& consul, & Antonius*? Hoc est dicere, & consul, & impudicissimus, & consul, & homo nequissimus. Quid enim est aliud Antonius? Nam si dignitas significaretur in nomine; dixisset, credo, aliquando, avus tuus, *& Consul, & Antonius* **. Nunquam dixit. Dixisset etiam collega meus, patruus tuus. Nisi

* Al. *quid nisi* ** Al. *se & Consulem, & Antonium*.

(1) *Stabula*) Loca nequitiæ, meritoria. *Ferratius*.

(2) *Suas res*) Divortium his plane verbis fiebat: *Tuas res tibi habeto*. Tum clavibus ademptis mulierem foras exigebat. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Quid enim*) *Assumptionis* utraque pars.

(b) *Etsi jam negat*) Occurrit tacitæ *Prolepsi*, quasi jam desierit Antonius impure vivere; & mimam domo expulsam (quod appellat divortium) irridet.

(c) *At quam crebro*) Denique arrogantiam illius obiter reprehendit, cum ediceret aliquid, & imperaret; idque tum deterrima interpretatione, tum aliorum comparatione.

Nisi tu solus es Antonius. Sed omitto (*a*) ea peccata, quæ non sunt earum partium (1) propria, quibus tu rempublicam vexavisti: ad ipsas tuas partes redeo, id est, ad civile bellum, quod natum, conflatum, susceptum opera tua est.

XXIX. Cui bello (*b*) cum propter timiditatem tuam, tum propter libidines (2) defuisti. Gustaras (*c*) civilem sanguinem, vel potius exsorbueras: fueras in acie Pharsalica antesignanus: L. Domitium (3), nobilissimum & clarissimum virum, occideras: multosque præterea, qui e prœlio effugerant, quos Cæsar, ut nonnullos, fortasse servasset, crudelissime persecutus trucidaras. Quibus tantis, talibus gestis, quid fuit causæ, cur in Africam Cæsarem non sequerere, cum præsertim belli pars tanta restaret? Itaque (4) quem locum apud ipsum Cæsarem post ejus ex Africa reditum obtinuisti? quo numero fuisti? Cujus tu im-

(1) *Partium*) Cæsaris.

(2) *Propter libidines*) Quæ te in urbe retinebant. *Man.*

(3) *L. Domitium*) Aenobarbum, qui ante bellum civile jussus fuerat Cæsari, Gallias contra Senatus auctoritatem obtinenti, succedere. Is, ut scribit Cæsar III. de bello civili: *Ex castris in montem refugiens, cum vires eum præ lassitudine defecissent, ab equitibus est interfectus*. Idem.

(4) *Itaque*) Cum igitur propter timiditatem & libidines Africano bello defuisses, sic apud Cæsarem in contemptum venisti, sic refrixit tua apud illum gratia, ut postquam ex Africa victor rediit, nec ullum locum, dignitatisque aut gratiæ gradum obtineres, nec ullo numero esses, id est, ne numerareris quidem inter ejus amicos. *Abram.*

A N A L Y S I S.

(a) *Sed omitto*) 2. Antonium objurgat, quod ab bellum Africanum cum Cæsare profectus non fuerit, hoc argumento *a Causis*:

Ille est dignus reprehensione, qui propter timiditatem suas partes deserit;

Sed Antonius propter timiditatem Cæsaris, hoc est suas partes deseruit;

Ergo hoc etiam nomine dignus est reprehensione.

(b) *Cui bello*) *Assumptio*.

(c) *Gustaras*) Ejusdem approbatio a remotione alterius *Causæ*; non enim Civibus parcere voluit, ut patet ex rebus antea gestis; ergo timuit belli pericula.

imperatoris quæſtor fueras, dictatoris magiſter equitum, belli princeps, crudelitatis auctor, prædæ ſocius, teſtamento (1), ut ipſe dicebas, filius, appellatus es de pecunia (2), quam pro domo, pro hortis, pro ſectione debebas.

Primo reſpondiſti plane ferociter: &, ne omnia videar contra te, propemodum æqua & juſta dicebas. A me C. Cæſar pecuniam? cur potius, quam ego ab illo? an ille ſine me vicit? at ne potuit quidem. Ego ad illum belli civilis cauſam attuli: ego leges pernicioſas rogavi: ego arma contra conſules, imperatoreſque populi Romani, contra ſenatum, populumque Romanum, contra deos patrios, araſque & focos, contra patriam tuli. Num ſibi ſoli vicit? Quorum facinus eſt commune, cur non ſit eorum præda communis? Jus poſtulabas: ſed quid ad rem? plus ille poterat.

Itaque (*a*), excuſſis tuis vocibus, & ad te & ad prædes tuos milites miſit, cum repente a te præclara illa tabula (3) prolata, qui riſus hominum? tantam eſſe tabulam, tam varias, tam multas poſſeſſiones, ex quibus præter partem Miſeni nihil erat, quod is, qui auctionaretur, poſſet ſuum dicere. Auctionis vero miſera-

(1) *Teſtamento*) Dicebas te teſtamento Cæſaris ab eo adoptatum fuiſſe, ut tu in ejus univerſa bona ſuccederes. *Idem*. Vide Dion. lib. 44.

(2) *Appellatus es de pecunia*) Intimatum eſt tibi, ut eam pecuniam ſolveres, quam debebas pro emptione ab haſta publica, & ſectione bonorum Cn. Pompeji. Appellatur debitor de pecunia, cum non ſolum admonetur ut ſolvat, ſed jam gravioribus verbis ab eo pecuniæ flagitantur & exiguntur. *Idem*.

(3) *Tabula*) Qua proſcripſit Antonius res ſuas; ut auctione facta, ſolveret Cæſari, quod debebat. *Manutius*.

ANALYSIS.

(a) *Itaque*) Narrat offenſionem Cæſaris ea de re; appellatum proinde Antonium fuiſſe de pecunia, quam pro bonis Pompeji debebat, quod amplificat *ab Adjunctis* perſonæ, & *a Congruo* per *Proſopopœjam*; auctionem ab Antonio propoſitam cum irriſione, quam prohibuerint L. Rubrii heredes; ac tandem iram Antonii in Cæſarem.

ſerabilis aſpectus: veſtis Pompeji non multa, eaque maculoſa: ejuſque quædam argentea vaſa colliſata ſordida, mancipia: ut doleremus quidquam eſſe ex illis reliquiis, quod videre poſſemus.

Hanc tamen auctionem heredes L. Rubrii (1) decreto Cæſaris (2) prohibuerunt. Hærebat nebulo: quo ſe verteret non habebat. Quin his ipſis temporibus domi Cæſaris percuſſor ab iſto miſſus, deprehenſus dicebatur eſſe cum ſica: de quo Cæſar in ſenatu, aperte in te invehens, queſtus eſt. Proficiſcitur (*a*) in Hiſpaniam Cæſar, paucis tibi ad ſolvendum, propter inopiam tuam, prorogatis diebus. Ne tum quem ſequeris. Tam bonus gladiator rudem (3) tam cito accepiſti?

XXX. Hunc igitur quiſquam, qui in ſuis partibus, id eſt, in ſuis fortunis tam timidus fuerit, pertimeſcat? Profectus eſt (*b*) tandem aliquando in Hiſpaniam: ſed tuto (4), ut ait, pervenire

(1) *Heredes L. Rubrii*) Repetentes ab Antonio bona Rubrii, quæ per fraudem tanquam heres occupaverat. *Idem*.

(2) *Decreto Cæſaris*) Apud quem de auctione illa queſti erant, cùm dicerent, velle nonnulla Antonium vendere pro ſuis, quæ ſua non eſſent, ſed ad ipſos tanquam L. Rubrii veros heredes attinerent. *Idem*.

(3) *Rudem*) Indicem libertatis virgam impolitam: qua donati gladiatores, pugnare amplius non cogebantur. Ea vero donabantur, qui ſæpe jam præclare pugnaſſent. Mordet igitur Antonium, qui, tanquam bonus gladiator accepta rude, ſibi jam non eſſe pugnandum pro Cæſare conſtitueret. *Idem*.

(4) *Tuto*) Quod a latronibus, aut a Pompejanis ſibi in itinere timeret. *Idem*. Profectus in Hiſpaniam poſt Cæſarem, conſtitit Narbone. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *Proficiſcitur*) 4. Objicit rurſus timiditatem, & *per Comparationem minorum*, hoc eſt Dolabellæ, ſic arguit:

Te magis decebat ad Hiſpanienſe bellum proficiſci, quam Dolabellam;
Sed pugnæ Hiſpanienſi, ſicut & antea cæteris, affuit Dolabella;
Ergo tu abeſſe nullo modo debebas.

(b) *Profectus eſt*) Refellit excuſationem Antonii *a Pari*, Dolabellæ exemplo, & concludit propter timiditatem inconſtantem fuiſſe.

nire non potuit. Quonam modo igitur Dolabella pervenit? Aut non suscipienda fuit ista causa, Antoni: aut cum suscepisses, defendenda usque ad extremum. Ter depugnavit (*a*) Cæsar cum civibus, in Thessalia, Africa, Hispania. Omnibus affuit his pugnis Dolabella: in Hispaniensi etiam vulnus accepit. Si de meo judicio quæris, nollem: sed tamen consilium a primo reprehendendum, laudanda constantia. Tu vero (*b*) quid es *? Cn. Pompeji liberi primum patriam repetebant (1). Esto, fuerit hæc partium causa communis. Repetebant præterea deos patrios, aras, focos, larem suum familiarem, in quæ tu invaseras. Hæc cum repeterent armis ii, quorum erant legibus: etsi in rebus iniquissimis quid potest esse æqui? tamen erat æquissimum, contra Cn. Pompej liberos Cn. Pompeji pugnare sectorem.

An, tu Narbone ** mensas hospitum convomeres, Dolabella pro te in Hispania dimicaret? Qui vero (*c*) Narbone reditus? & tamen quærebat (2), cur ego ex ipso cursu tam subito revertissem. Exposui

* Al. *quis es?* al. *quid censes?*
** Vict. Man. *in mensas .... cum vomeres.*
(1) *Patriam repetebant*) Si nihil aliud petiissent, quam ut in patriam redirent, & recuperarent rempublicam, non fuisset potior ratio, cur tu contra illos pugnares, quam cæteri, qui duce Cæsare Pompeji partes ejecerant: sed repetebant patrimonium, & ipsam domum paternam, quam tu possidebas. *Abram.*
(2) *Et tamen quærebat*) Antonius, qui tam fœde redierat, reditum meum e Græcia, quo post necem Cæsaris proficisci decreveram, jamque iter susceperam, mihi objecit. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *Ter depugnavit*) Deinde sequitur *Assumptio* argumenti.
(b) *Tu vero*) Ultimo *Propositionis* approbatio; nam Antonius Pompeji bona occupaverat, eaque defendere contra Pompeji liberos debebat.
(c) *Qui vero*) 5. Antonii Narbone reditum exponit, cui primum impudentiam exprobrat, qui ausus fuerat Ciceronis reditum modestum, & Cive dignum reprehendere, cum ipse Narbone tam fœde Romam revertisset.

posui nuper (1), Patres Conscripti, causam reditus mei. Volui, si possem, etiam ante Kalendas Januar. prodesse reipublicæ. Nam, quod quærebas, quomodo rediissem: primum luce, non tenebris: deinde cum calceis & toga, nullis nec Gallicis (2), nec lacerna (3). At etiam adspicis me, & quidem, ut videris, iratus. Næ tu jam mecum in gratiam redeas, si scias, quam me pudeat nequitiæ tuæ, cujus te ipsum non pudet. Ex omnibus (a) omnium flagitiis nullum turpius vidi, nullum audivi. Qui magister equitum fuisse tibi viderere, in proximum annum consulatum peteres, vel potius rogares, per municipia coloniasque Galliæ, a qua nos (b) tum, cum consulatus petebatur, non rogabatur (4), petere consulatum solebamus, cum Gallicis & lacerna cucurristi.

XXXI. At videte (c) levitatem hominis *. Cum

* Al. Omittunt *hominis*.

(1) *Nuper*) Quarto Nonas Septembres, ut constat e Philippica V. cap. 7. Exposuit reditum professionis & reversionis suæ Philippica prima. *Idem*.

(2) *Gallicis*) Castrense pedum calceamentum. *Manut.* Atqui miles erat Antonius, & ex Gallia militari habitu redibat Romam. Non hoc igitur notatur in Antonio, quod in itinere sit usus gallicis & lacerna, sed quod iis usus sit, cum Urbem ingrederetur, & postea quod iis usus sit, cum prensaret candidatus in municipiis & coloniis. *Grævius*.

(3) *Lacerna*) Humiliorum, quibus toga deesset vestis. Cicero ad Attic. lib. IV. Suetonius in Augusto. *Manut.*

(4) *Non rogabatur*) Tu consulatum a Cæsare precibus rogabas: nos incolumi Rep. petebamus a Galliæ quoque coloniis & municipiis: habebant enim jus suffragii. *Ferratius*.

ANALYSIS.

(a) *Ex omnibus*) Cujus reditus fœditatem sic amplificat *ab Adjunctis*:

Turpe est Candidatum Consularem, qui fuerat Magister Equitum, iter per Galliam facere cum gallicis, & lacerna;
Antonius, cum talis esset, ita per Galliam iter fecit;
Ergo rem turpissimam admisit.

(b) *A qua nos*) *Propositio* approbata *a Dissimili*.

(c) *At videte*) Narrat, quo modo Romam pervenerit, & nequitiam hominis *a Causis* exaggerat, propter quas Urbem, atque Italiam perturbaverat.

Cum hora diei decima fere (1) ad Saxa rubra venisset, delituit in quadam cauponula, atque ibi se occultans, perpotavit ad vesperam *: inde cisio celeriter ad urbem advectus, domum venit capite involuto. Janitor, Quis tu? A Marco tabellarius. Confestim ad eam (2), cujus causa venerat, deducitur, eique epistolam tradit. Quam cum illa legeret flens, (erat enim amatorie scripta: caput autem literarum sibi cum illa mima posthac nihil futurum; omnem se amorem abjecisse illinc, atque in hanc transfudisse) cum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit: caput aperuit; in collum invasit. O hominem nequam! quid enim aliud dicam? magis proprie nihil possum dicere. Ergo, ut te catamitum, nec opinato cum ostendisses, præter spem mulier adspiceret, idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbasti? Et domi quidem causam amoris habuit; foris etiam turpiorem, ne L. Plancus prædes tuos (3) venderet. Productus autem in concionem a tribuno plebis, cum respondisses, te rei tuæ causa venisse, populum etiam dicacem (4) in te reddidisti.

XXXII. Sed nimis (*a*) multa de nugis. Ad majo-

* Vulg. *vesperum*.

(1) *Hora diei decima fere*) Duabus horis ante noctem. Veteres enim diem in partes duodecim dividebant: & non a media nocte, sed a solis ortu horas numerabant. Saxa autem Rubra videntur fuisse viculus uno vel altero distans ab Urbe milliari. *Abram.*

(2) *Ad eam*) Ad Fulviam, quam Antonius post priorum maritorum necem duxerat uxorem. *Idem*.

(3) *Prædes tuos*) Bona fidejussorum tuorum, sive prædum, qui tuo nomine bona sua obligarant. *Idem*.

(4) *Dicacem*) Populus ex tua oratione dicteriorum occasionem arripuit, ex amphilogia ambiguoque sensu verborum REI TUÆ CAUSA, quæ tam ad rem familiarem & prædes, quam ad libidines & amorem referri possunt. *Idem*.

A N A L Y S I S.

(a) *Sed nimis*) Jam accedit ad Antonii Consulatum, eumque examinat usque ad Cæsaris mortem; præmittit autem quomodo

majora veniamus. Cæsari ex Hispania redeunti obviam longissime processisti: celeriter isti, redisti, ut cognosceret te, si minus fortem, attamen strenuum. Factus es ei rursus nescio quomodo familiaris. Habebat hoc omnino Cæsar: quem plane perditum ære alieno, egentemque, si eundem nequam hominem audacemque cognoverat, hunc in familiaritatem libentissime recipiebat. His igitur rebus præclare commendatus, jussus es renuntiari consul, & quidem cum ipso. Nihil queror de Dolabella, qui tum est impulsus (1), inductus, elusus. Qua in re, quanta fuerit utriusque vestrum perfidia in Dolabellam, quis ignorat? Ille induxit, ut peteret: promissum & receptum intervertit (2), ad seque transtulit: tu ejus perfidiæ (3) voluntatem tuam adscripsisti. Veniunt (*a*) Kalendæ Januariæ: cogimur in senatum: invectus est copiosius multo in istum & paratius Dolabella, quam nunc ego. Hic autem iratus quæ dixit, dii boni?

Primum cum Cæsar ostendisset, se, prius quam proficisceretur, Dolabellam consulem esse jussurum: quem negant regem, qui & faceret semper ejusmo-

(1) *Impulsus*) Cæsar impulerat; & induxerat Dolabellam, ut consulatum peteret: deinde eluserat, & sibi honorem illum usurpaverat. *Ferrat.*

(2) *Intervertit*) Intervertere est rem alteri promissam ad se transferre, & ita malis artibus impedire, ne ad eum perveniat, cui fuerat destinata. *Abram.*

(3) *Tu ejus perfidiæ*) Tu Cæsari contra fidem datam Dolabellam prodenti assensus es. *Idem.*

A N A L Y S I S.

modo reconciliatus fuerit Cæsari, & quanta in petitione Consulatus perfidia fuerit utriusque in Dolabellam.

(a) *Veniunt*) Refert, quæ fuerit altercatio Dolabellæ cum Antonio Kal. Jan. & Antonium accusat inscitiæ, & impudentiæ; inscitiæ quidem a potestate Augurum, & Consulum:

Stulte quis minatur, se facturum ut augurem, quod facilius facere potest, ut Consul;
Sed Antonius facilius vitiare poterat Comitia Dolabellæ, ut Consul, quam ut Augur;
Ergo stulte minatur, se id facturum ut augurem.

modi aliquid, & diceret : sed cum Cæsar ita dixisset, tum hic bonus augur eo se sacerdotio præditum esse dixit, ut comitia auspiciis vel impedire, vel vitiare posset, idque se facturum esse asseveravit. In quo primum incredibilem stupiditatem hominis cognoscite. Quid enim (*a*)? istud, quod te sacerdotii jure facere posse dixisti, si augur non esses, & consul esses, minus facere potuisses? Vide ne etiam facilius. Nos enim nuntiationem solum habemus: consules & reliqui magistratus etiam spectionem (1). Esto, hoc (*b*) imperite: (nec enim

(1) *Nos enim nuntiationem solum habemus: consules & reliqui magistratus etiam spectionem*) Ex Numæ regis instituto jus nuntiandi augures obtinebant, ut si quid vitii advertissent, comitia prohibere, ne fierent, & jam facta turbare nuntiando possent; idemque legibus XII. Tabularum cautum est: *Quæque augur injusta, nefasta, vitiosa, dirave dixerit, irrita, infectaque sunto.* Cuilibet igitur magistratui auspicanti, antequam cum populo ageret, aderat augur, eique in auspicio esse dicebatur; quo auctore, secundumne, an adversum esset augurium, intelligebat magistratus ille, qui comitia populi edixerat. Auguribus autem aliquid nuntiantibus parebatur, etiamsi nihil vidissent, & falsa nuntiarent. Magistratibus data erat per leges facultas servandi de cælo, & obnuntiandi, cautumque ne liceret agere cum populo, quo die de cælo servatum esset. Quamobrem poterant impedire ne haberentur comitia, aut ageretur cum populo, & facere dies nefastos, obnuntiando se illis diebus de cælo esse servaturos. Itaque augures poterant impedire ne haberentur comitia, & jam habita vitiare; quia & ante, & post habita comitia contigebat, ut viderent aliquid, aut audirent. Non tamen ante ipsum diem comitiorum scire poterant, quid aut visuri essent, aut audituri. Solam ergo habebant *nuntiationem*. *Magistratus* habebant *spectionem*, hoc est jus servandi de cælo, & impediendi ne populus ad comitia vocaretur. Quod apud Festum datur *auguribus spectio duntaxat*, sic intelligendum videtur: Si augur sit magistratui in auspicio, spectat, non autem nuntiat; in comitiis populi nuntiat, non spectat. Jam & Cicero & Antonius augures erant: hinc est quod ille dicit, *Nos nuntiationem solum*, &c. *Ferratius*.

ANALYSIS.

(a) *Quid enim?*) *Assumptio*, cujus approbatio statim sequitur desumpta ex majori potestate Consulum, quam Augurum.

(b) *Esto, hoc*) Dicti impudentiam sic ostendit a consuetudine, & legibus:

Impudenter quis minatur, se facturum id, quod facere non licet;
Sed Antonius minatus est, se facturum, quod ei facere non licebat;
Ergo magna est illius impudentia.

enim est ab homine nunquam sobrio postulanda prudentia) sed videte impudentiam. Multis ante (*a*) mensibus in senatu dixit, se Dolabellæ comitia aut prohibiturum auspiciis, aut id facturum (1) esse, quod fecit. Quisquamne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de cælo servare constituit? quod neque licet comitiis per leges: &, si quis servavit, non habitis comitiis, sed prius quam habeantur, debet nuntiare. Verum (*b*) implicata inscitia impudentia est, si nec * scit quod augurem, nec facit quod pudentem decet. Atque ex illo (*c*) die recordamini ejus usque ad idus Martias (2) consulatum. Quis unquam apparitor tam humilis, tam abjectus? nihil ipse poterat: omnia rogabat: caput in adversam lecticam inserens, beneficia, quæ venderet, a collega petebat.

XXXIII. Ecce Dolabellæ (*d*) comitiorum dies

* Al. omittunt *si*.

(1) *Aut id facturum*) Vitiaturum, posteaquam facta essent. Infra, *Confecto negotio, bonus augur*, Alio die, *inquit*. Manut.

(2) *Usque ad Idus Martias*) Quibus Cæsar occisus est.

ANALYSIS.

(a) *Multis ante*) *Assumptio* approbata; dixerat enim Antonius, se vel prohibiturum illa comitia, vel vitiaturum, ut fecit; prohibere non poterat, nisi de Cælo servasset, quod jure Sacerdotii facere non licebat; vitiare, nisi post peracta comitia obnuntiasset, quod item erat contra leges.

(b) *Verum*) *Complexio* utriusque argumenti.

(c) *Atque ex illo*) Nunc reliqua persequitur: exprobrat quam ab auctoritate Cæsaris dependeret *per Comparationem* Apparitoris.

(d) *Ecce Dolabellæ*) Exponit, qua ratione habita fuerint ea Comitia, ut obnuntiaverit Antonius, cujus arrogantiam hoc *Dilemmate* perstringit:

Iis verbis, Alio die, *aut vitiantur Comitia*, *aut non vitiantur*;
Si vitiantur, *male nunc tractas Dolabellam*, *ut Consulem*;
Si non vitiantur, *stulte iis verbis usus es*, *ut vitiares*.

Secundam partem solummodo pertractat, primam tantum innuit, ne Dolabellæ acta rescindere videatur.

dies (1), sortitio prærogativæ: quiescit: renuntiatur: tacet. Prima classis vocatur: renuntiatur: deinde, ut assolet, suffragatum secunda classis vocatur *: quæ omnia citius sunt facta, quam dixi. Confecto negotio bonus augur (Lælium diceres) ALIO DIE, inquit. O impudentiam singularem! quid videras? quid senseras? quid audieras? nec enim te de cælo servasse dixisti, neque hodie dicis. Id igitur obvenit vitium, quod tu jam Kalendis Januariis futurum esse provideras, & tanto ante prædixeras. Ergo, hercule, magna, ut spero, tua potius, quam reipublicæ, calamitate ementitus es auspicia: obstrinxisti religione populum Romanum. Augur auguri, consul (2) consuli obnuntiavisti. Nolo plura, ne acta Dolabellæ videar

* Alii *Deinde, ita ut assolet, suffragia: tum secunda classis*:

(1) *Ecce Dolabellæ comitiorum dies*) Cæsar promiserat se prius quam ad bellum Parthicum proficisceretur, effecturum, ut suo ipsius loco Consul fieret Dolabella. Cum itaque comitiorum dies appetisset, populum ad ea comitia convocavit, & ex omnibus centuriis, in quas populus universus describebatur, sortitus est unam centuriam, ut ea omnium prima rogaretur suffragium, cujus nomen e sitella primum sortitione eductum exiisset. Quievit Antonius, nec se interposuit, quo minus fieret illa sortitio. Rogatis, exceptis, diribitisque centuriæ prærogativæ suffragiis, Dollabella renuntiatur adeptus prærogativæ suffragium. Tacuit interim Antonius, & ne verbo quidem significavit hujusmodi comitia esse vitiosa. Post prærogativam, prima classis vocatur intra septa, ut ferat suffragium, &, ut fieri solet, rogantur suffragia. Hujus quoque classis voluntate renuntiatur consul Dolabella: quod major pars illarum nonaginta & octo centuriarum, quæ prima classe continentur, ei fuerit suffragata. Sed cum refragarentur aliquot centuriæ, nec solius primæ classis suffragiis legitimus punctorum numerus expleri potuisset, secunda classis vocata est ad ferendum suffragium. Ad cujus rei intelligentiam notandum est, populum omnem in quinque classes, & capite censos fuisse distributum, singulas classes quibusdam centuriis fuisse descriptas, ut centum nonaginta tres essent centuriæ, & prima classis plures, quam cæteræ omnes, sola contineret centurias. (Erant enim in prima classe 98. & in secunda 22. in tertia 22. in quarta 20. in quinta 30. Reliqui omnes, qui non classibus, sed capite censebantur, in unicam erant redacti centuriam.) Quare si prima classis conspirasset, omniumque centuriarum suarum calculo Dolabellam Consulem fecisset, necesse non fuisset ad secundam classem procedere. Vide Dionysium Halicarn. lib. IV.. *Idem*.

(2) *Augur auguri, Consul*) Cæsari, qui augur & consul.

videar convellere (1): quæ necesse est (2) aliquando ad nostrum collegium deferantur.

Sed arrogantiam hominis insolentiamque cognoscite. Quamdiu tu voles, vitiosus consul Dolabella: rursus cum voles, salvis auspiciis creatus. Si nihil est (3), cum augur iis verbis nuntiat, quibus tu nuntiasti, confitere te, cum ALIO DIE, dixeris, sobrium non fuisse. Sin est aliqua vis in istis verbis, ea quæ sit, augur a collega requiro. Sed, ne forte (*a*) ex multis rebus gestis M. Antonii rem unam pulcherrimam transiliat oratio, ad Lupercalia (4) veniamus.

XXXIV. Non dissimulat, Patres Conscripti: apparet esse commotum: sudat, pallet: quidlibet, modo ne nauseet, faciat, quod in porticu Minutia fecit. Quæ potest esse turpitudinis tantæ defensio? Cupio audire, ut videam, ubi rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat. Sedebat in Rostris (5) collega tuus, amictus toga purpurea, in-

(1) *Ne acta Dolabellæ videar convellere*) Si enim obnuntiatio tua vim habuit, Dolabella Consul fuit vitio creatus; si vitio creatus, non fuit vere Consul; si non Consul, nihil jure egit & legitima potestate. *Abramus*.

(2) *Quæ necesse est*) Cum respublica istud, quo nunc opprimitur, tuæ dominationis jugum excusserit, emerseritque fluctibus servitutis, necesse est, ut Dolabellæ Consulis acta ad Augurum consilium deferantur, ut nos qui sumus Augures, eane rata esse debeant, an infirma, judicemus. Tunc enim considerabimus quid de tua obnuntiatione statuendum sit, ut si valeat, Dolabella judicetur Consul vitiosus; si non valeat, tu ob ementita auspicia damneris. *Idem*.

(3) *Si nihil est*) Probare studet, aut nunquam vitiosum, aut vitiosum semper esse consulem Dolabellam: cum Antonius, dum ei fuit inimicus, vitiosum esse, reconciliatus, non esse vitiosum dixerit. *Manut.*

(4) *Ad Lupercalia*) Ad rem gestam Lupercalibus, id est decimo quinto Kalendas Martii, quo die juvenes Lyceum Pana venerantes nudi per luxum atque lasciviam currebant. Ovidius II. Fastorum: *Tertia post Idus*, &c. *Abram.*

(5) *Sedebat in Rostris*) Priusquam Antonii factum narrat, in-

ANALYSIS.

(a) *Sed, ne forte*) Nefarium facinus, quod Lupercalibus Antonius admiserat, mire amplificat *ab Adjunctis*.

in ſella aurea, coronatus (1): adſcendis; accedis ad ſellam; (ita eras (*a*) Lupercus, ut te conſulem eſſe meminiſſe deberes) diadema oſtendis: gemitus toto foro. Unde diadema? (*b*) non enim abjectum ſuſtuleras, ſed attuleras domo meditatum & cogitatum ſcelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi: ille cum plauſu rejiciebat. Tu ergo (*c*) unus, ſcelerate, inventus es, qui cum auctor regni eſſes, eum, quem collegam regni (2) habebas, dominum habere velles: & idem tentares, quid populus Romanus ferre & pati poſſet.

At etiam (*d*) miſericordiam captabas: ſupplex te ad pedes abjiciebas: quid petens? ut ſervires? Tibi uni peteres: qui ita a puero vixeras, ut omnia paterere, ut facile ſervires: a nobis populoque Romano mandatum id certe non habebas. O præclaram (*e*) illam eloquentiam tuam, cum es nudus concionatus! Quid hoc turpius? quid fœdius? quid ſuppliciis omnibus dignius? num expectas, dum

inſolentiam & faſtum Cæſaris deſcribit, ut eo ſcelus Antonii magis exaggeret, quod regem adeo ſuperbum voluerat Romanis imponere. *Idem*.

(1) *Coronatus*) Duplex corona Cæſari conceſſa a Senatu. Decretum enim ut corona laurea perpetuo uti poſſet, & ut ludis coronam gemmis auroque præſignem geſtaret. Hanc poſteriorem Lupercalibus videtur habuiſſe: is enim fuit habitus triumphantium. *Abram*. Non fuit gemmis ornata, ſed diſtincta radiis corona aurea, ut Floro dicitur libro IV. cap. 2. *Græv*.

(2) *Collegam regni*) Dictio *regni* abeſt ab antiquo libro, quam & ſenſus reſpuit. Loquitur enim de collegio conſulatus, non regni. *Faernus*. Cum Faerno & Muretus & Lambinus faciunt: quare nolim hic Typographos noſtros ab exemplari Gruteriano deceptos fuiſſe. *Olivet*.

ANALYSIS.

(a) *Ita eras*) 1. Quia Conſul diadema alteri obtulerat.

(b) *Unde diadema?*) 2. Quia diadema non forte oblatum, ſed domo attulerat.

(c) *Tu ergo*) 3. Quia regem ſibi faciebat, quem habere poterat in Magiſtratu Collegam.

(d) *At etiam*) 4. Quia ſuppliciter petebat, ut ſibi ſervire liceret.

(e) *O præclaram*) 5. Quia illa nudus concionator dixerat. Hæc potiora ſunt, reliqua legenti patebunt.

dum te stimulis fodiam? hæc te, si ullam partem habes sensus, lacerat, hæc cruentat oratio. Vereor (*a*), ne imminuam virorum summorum gloriam: dicam tamen dolore commotus. Quid indignius, quam vivere eum, qui imposuerit diadema, cum omnes fateantur jure interfectum esse, qui abjecerit?

At etiam (*b*) adscribi jussit in fastis, ad Lupercalia (1), C. CÆSARI *dictatori perpetuo*, *M. Antonium*, *consulem*, *populi jussu regnum detulisse*, *Cæsarem uti noluisse*. Jam jam minime miror, te otium perturbare: non modo urbem odisse, sed etiam lucem: cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem vivere (2). Ubi enim tu in pace consistes? qui locus tibi in legibus & judiciis esse potest, quæ tu, quantum in te fuit, dominatu regio sustulisti? Ideone L. Tarquinius exactus, Sp. Cassius, Melius, M. Manlius, necati, ut multis post sæculis, a M. Antonio, quod fas non est, rex Romæ constitueretur? Sed ad auspicia (*c*) redeamus.

 XXXV.

(1) *In fastis ad Lupercalia*) Fasti libri sunt, quibus anni totius descriptio continetur, & in quos acta Consulum referebantur. Designat autem, cum dicit *ad Lupercalia*, tempus, quo hoc Diadema ab Antonio Cæsari oblatum est. Sic in Ep. Cic. ad Brutum: *Decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur*.

(2) *De die, sed etiam in diem vivere*) *De die* vivunt, qui palam voluptatibus indulgent, convivia tempestiva celebrantes. *In diem vivere* dicuntur, qui diei tantum præsentis rationem habent, nec de crastina cogitant: quod latrones & impudentissimi quique faciunt.

ANALYSIS.

(a) *Vereor*) Concludit argumento *a Comparatione minorum*:
Multo magis meretur mortem, qui obtulit alteri diadema, quam qui abjecit oblatum;
Sed qui abjecit, eum putant omnes dignum morte fuisse;
Ergo multo magis interficiendus erat Antonius, qui obtulit.

(b) *At etiam*) Alio nomine nunc Antonium objurgat, & ut regni auctorem *contrariis Exemplis* exagitat.

(c) *Sed ad auspicia*) Commemorat idus Mart., quo die interfectus est Cæsar, cum venisset in Senatum de auspiciis acturus, ut inde transitum faciat ad reliqua.

XXXV. De quibus rebus (1) idibus Martiis fuit in senatu Cæsar acturus, quæro tum tu quid egisses? Audiebam quidem te paratum venisse, quod me de ementitis auspiciis, quibus tamen parere necesse erat, putares esse dicturum. Sustulit illum diem fortuna populi Romani. Num etiam (2) tuum de auspiciis judicium interitus Cæsaris sustulit? Sed incidi (*a*) in id tempus, quod iis rebus in quas ingressa erat oratio, prævertendum est (3). Quæ tua fuga? (*b*) quæ formido illo die*? quæ propter conscientiam scelerum desperatio vitæ? cum ex illa fuga, beneficio eorum, qui te, si sanus

* Al. *præclaro illo die.*

(1) *De quibus rebus*) Cæsar, ut scribit Appianus, quarto post Idus Martias, profecturus erat ad bellum Parthicum: & antequam urbe excederet, Consulem suo loco substituere decreverat. Ideoque relaturus erat ad Senatum de auspiciis ab Antonio nuntiatis: utrum videlicet obnuntiatio Antonii vim obtineret, & Consul vitiosus esset Dolabella. Quærit igitur Orator ab Antonio quid egisset. Cæsarine, cui regnum deferre voluerat, repugnare ausus fuisset, an probaturus Consulem Dolabellam, quasi salvis auspiciis creatum. Hic est opinor sensus, quanquam alia etiam de re agendum fuerat Idibus Martiis in Senatu. Nam, ut scribit Tranquillus cap. 79. *Proximo Senatu percrebuit fama L. Cottam Quindecimvirum sententiam dicturum, ut quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a Rege non posse vinci, Cæsar Rex appellaretur.* Quæ suspicio Cæsari necem maturavit, ut Appianus, Dio, Plutarchus literis prodiderunt. *Quæro tum tu quid egisses?* Eum sine dubio Regem esse creandum censuisses, cui jam imposueras diadema. Sed prior explanatio magis ad rem. *Abram.*

(2) *Num etiam*) Dolabella statim post necem Cæsaris, non expectato Senatus decreto de auspiciis, Consulatum invasit, & paulo post Antonius reconciliatus Dolabellæ. Obiter igitur objicit inconstantiam, quia quem vivo Cæsare vitiosum esse Consulem dixerat, eum post Cæsaris necem, tanquam salvis auspiciis creatum, in consortium Consulatus admisit. *Idem.*

(3) *Prævertendum est*) Sensus: incidi in id tempus de quo prius mihi loquendum est, quam de iis rebus de quibus cœperam loqui. *Faern.*

ANALYSIS.

(a) *Sed incidi*) Sexto commemorat, quæ consecuta sunt Cæsaris mortem, donec in Urbe fuit Antonius; ingeniose admodum, ne videretur acta Dolabellæ rescindere, si plura de auspiciis verba fecisset.

(b) *Quæ tua fuga?*) Antonii metum refert post interitum Cæsaris, suumque de illius metu verissimum judicium addit.

nus esses, salvum esse voluerunt, clam te domum recepisti.

O mea frustra semper verissima auguria rerum futurarum! Dicebam illis in Capitolio liberatoribus (1) nostris, cum me ad te ire vellent, ut ad defendendam rempublicam te adhortarer: quoad metueres, omnia te promissurum: simul ac timere desiisses, similem te futurum tui. Itaque cum cæteri consulares irent, redirent, in sententia mansi, neque te illo die, neque postero vidi, neque ullam societatem optimis civibus cum importunissimo hoste fœdere ullo confirmari posse credidi. Post diem tertium (a) veni in ædem Telluris, & quidem invitus, cum omnes aditus armati obsiderent. Qui tibi ille dies, M. Antoni, fuit? Quanquam mihi subito inimicus extitisti, tamen me tui miseret, quod tibi invideris.

XXXVI. Qui tu vir, dii immortales! & quantus fuisses, si illius diei mentem servare potuisses! Pacem haberemus, quæ erat facta per obsidem puerum nobilem, M. Antonii filium, M. Bambalionis nepotem (2). Quanquam te bonum timor

(1) *Illis in Capitolio liberatoribus*) Bruto, cæterisque qui a Reipublicæ cervicibus jugum servile dejecerant, quique cæde peracta, in Capitolium, tanquam Deos comprecaturi, concesserant, ibique diem illum noctemque exegerunt. Ad quos accesserunt tum alii, tum ipse Cicero, ut cum illis agerent de republica. *Faern.*

(2) *Per obsidem puerum nobilem, M. Antonii filium, M. Bambalionis nepotem*) Peracto S. C. de oblivione injuriarum in æde Telluris, invitati sunt Cæsaris percussores, ut e Capitolio descenderent. Illi cum etiam tum sibi a Lepido & Antonio metuerent, non ausi vitam suam illis committere, obsides ab eis petierunt. Dedit Antonius filium suum, quem ex Fadii Bambalionis libertini hominis filia susceperat. *Abram.* Auctor est Faernus non legi in Vaticano *M. Antonii filium*, ideoque illas voces delevi, eumque secuti sunt Lambinus & Manutius, retinuit tamen

ANALYSIS.

(a) *Post diem tertium*) Deinde quam egregie in æde Telluris de Rep. senserit, quam in funere Cæsaris seditiose concionatus fuerit; optima decreta quædam, sed tandem mutata omnia.

mor faciebat, non diuturnus (1) magister officii: improbum fecit ea, quæ, dum timor abest, a te non discedit, audacia. Etsi tum, cum optimum te putabant, me quidem dissentiente (2), funeri tyranni, si illud funus fuit, sceleratissime præfuisti. Tua illa pulchra laudatio (3), tua miseratio, tua cohortatio.

Tu, tu, inquam, illas faces incendisti, & eas, quibus semustulatus ille est, & eas, quibus incensa L. Bellieni domus deflagravit. Tu illos impetus perditorum hominum, &, ex maxima parte, servorum, quos nos vi manuque repulimus, in nostras domos immisisti. Idem tamen, quasi fuligine abstersa, reliquis diebus in Capitolio præclara senatusconsulta fecisti, ne qua post idus Martias im-

men eas Muretus. Glossam esse, quæ adscripta fuerit margini, qua magister exposuit, quis esset nobilis puer M. Bambalionis nepos, nemini potest obscurum esse, qui attentius ista legit. Nobilem puerum dixit εἰρωνικῶς, cum eum vocat *Bambalionis nepotem*. Nam Antonii erant sane nobiles; itaque hic parum facit ad Ciceronis mentem, si addatur *Antonii filius*. Nullus autem tum erat qui salsum illud dictum, *nobilis puer M. Bambalionis nepos*, non intelligeret, esse *M. Antonii filium*: quod si addatur, hebescit acumen, quo vult ferire Antonium. *Græv.*

(1) *Non diuturnus*) Alii legunt, *non diuturni magister officii*. Idem sensus est. Quia qui sola pœnæ formidine bene faciunt, sublato metu ad priora studia revolvuntur. *Abram.*

(2) *Me quidem dissentiente*) Duplex sensus esse potest: vel enim dissentiebat ab aliis Cicero, quod aliis Antonium optimum putantibus, ipse ne bonum quidem putaret, sed eum crederet sublato metu, primo quoque tempore ad suos mores & improbitatem esse rediturum: vel quod aliis Antonium funeri Cæsaris præficientibus, ipse præficiendum non putaret. *Idem.*

(3) *Tua illa pulchra laudatio*) Ironice pulchram appellat laudationem Antonii, quæ revera perniciosa fuit reipublicæ. Ea funebri oratione tria præstitit Antonius. 1. Laudavit Cæsarem, & cum Alexandro Macedone comparavit, ut scribit Appianus. 2. Interitum Cæsaris miserabiliter deflevit. 3. Multitudinem contra percussores Cæsaris excitavit. Plebs ita subjectis iracundiæ facibus exarsit, ut Cæsaris corpus in forum detulerit, deinde structo a septis, subseliis & tribunalibus rogo combusserit, tandem raptis e rogo torribus, ad percussorum reliquorumque Senatorum ædes accurrerit, ut eas incenderet. Quo in tumultu, L. Bellieni domus deflagravit. Laudationem Cæsaris funebrem ab Antonio dictam refert Dio XLIV. & Appianus lib. II. exeunte de bellis civilibus. *Idem.*

immunitatis tabula, neve cujusquam beneficii figeretur. Meministi ipse de exulibus: scis, de immunitate quid dixeris. Optimum vero, quod dictaturæ nomen in perpetuum de republica sustulisti. Quo quidem facto tantum te cepisse odium regni videbatur, ut ejus omnem, propter proximum dictatorem (1), tolleres metum *.

Constituta respublica videbatur aliis, mihi vero nullo modo, qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam. Num me igitur fefellit? aut num diutius sui potuit esse dissimilis? Inspectantibus vobis, toto Capitolio tabulæ figebantur: neque solum singulis veniebant immunitates, sed etiam populis universis. Civitas non jam singillatim, sed provinciis totis dabatur. Itaque si hæc manent, quæ stante republica manere non possunt, provincias universas, Patres Conscripti, perdidistis, neque vectigalia solum, sed etiam imperium populi Romani, hujus domesticis nundinis deminutum est.

XXXVII. Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis (2), quæ sunt ad Opis, patebat **? funestæ illius quidem pecuniæ, sed tamen, quæ nos si iis, quorum (3) erat, non redderentur, a tributis posset vindicare. Tu autem quadringenties H-S. quod idibus Martiis debuisti, quonam modo ante Kalendas Aprilis debere desiisti? Quid (*a*) de commentariis infinitis,

 quid

* Al. *Ut ejus omne nomen propter proximi Dictatoris omen tolleres*. ** Lamb. & Man. omittunt *patebat*.

(1) *Propter proximum Dictatorem*) Videbatur enim Antonius odio Cæsaris, qui proxime Dictator fuerat, omnem regni metum sustulisse, sanciens ne quis in posterum Dictator diceretur. *Idem*.

(2) *Tabulis*) Cæsaris. Vide Philipp. I.

(3) *Quorum*) Eorum, qui pro Pompejo contra Cæsarem pugnarant. *Manutius*.

ANALYSIS.

(a) *Quid ego*) Commentarios Cæsaris nunc carpit ab Antonio

quid de innumerabilibus chirographis loquar? Sunt ea quidem innumerabilia, quæ a diversis emebantur, non inscientе te: sed unum egregium de rege Dejotaro, populo Romano amicissimo, decretum in Capitolio fixum. Quo proposito nemo erat, qui in ipso dolore risum posset continere. Quis enim cuiquam inimicior, quam Dejotaro Cæsar? æque atque huic ordini, ut equestri, ut Massiliensibus (1), ut omnibus, quibus rempublicam populi Romani caram esse sentiebat. Igitur, a quo vivo nec præsens, nec absens rex Dejotarus quidquam æqui boni impetravit, apud mortuum factus est gratiosus. Compellarat (2) hospitem præsens, computarat (3), pecuniam imperarat, in ejus tetrarchia unum ex Græcis comitibus suis collocarat, Armeniam abstulerat a senatu datam. Hæc vivus eripuit, reddidit mortuus.

At quibus (a) verbis? modo æquum sibi videri, modo non iniquum. Mira verborum complexio. At ille nunquam (semper enim absenti affui Dejotaro) quicquam sibi, quod nos pro illo postularemus, æquum dixit videri. Syngrapha H-S. cen-

(1) *Massiliensibus*) De Cæsaris in eos odio, vide lib. de Offic. II. 8.

(2) *Compellarat*) Appellarat de pecunia Cæsar Dejotarum, cum in ejus domum hospitio exceptus est. *Abram.*

(3) *Computarat*) Supputarat, subductisque rationibus omnibus summam fecerat ejus pecuniæ, quæ ex tota Dejotari Tetrarchia corradi potuit, ut eam omnem imperaret. *Idem.*

ANALYSIS.

tonio prolatos, quos infinitos vocat, quia semper novum aliquod decretum afferebatur; illud porro de rege Dejotaro ita falsum esse ostendit, *a Repugnantibus*:

In eum beneficia Cæsar non contulit, cui semper fuit inimicus:
Sed Regi Dejotaro semper fuit Cæsar inimicus;
Ergo decretum illud in gratiam Regis Dejotari non fuit factum a Cæsare.

(a) *At quibus*) Aliam conjecturam desumit ex verbis ipsius decreti, in quo Cæsar dicebat, sibi videri æquum, aut non iniquum, Armeniam, & Tetrarchiam Dejotaro restitui, cum vivus semper dixisset, nihil sibi videri æquum dari Dejotaro.

centies per legatos, viros bonos, sed timidos & imperitos, sine nostra, sine reliquorum hospitum regis sententia, facta in gynæceo (1): quo in loco plurimæ res veniere, & veneunt. Qua ex syngrapha (*a*) quid sis acturus, meditere censeo. Rex enim ipse sua sponte, nullis commentariis Cæsaris, simulatque audivit ejus interitum, suo Marte res suas recuperavit. Sciebat homo sapiens, jus semper hoc fuisse, ut, quæ tyranni eripuissent, ea tyrannis interfectis, ii, quibus erepta essent, recuperarent. Nemo igitur jureconsultus, ne iste quidem (2), qui tibi uni est jureconsultus, per quem hæc agis, ex ista syngrapha deberi dicit pro iis rebus, quæ erant ante syngrapham recuperatæ. Non enim a te emit: sed prius quam tu suum sibi venderes, ipse possedit. Ille vir (*b*) fuit (3): nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defendimus.

XXXVIII. Quid ego de (*c*) commentariis (4) infi-

(1) *In gynæceo*) Id est, cum Fulvia. Nam gynæceum locus erat in ædibus, ubi mulieres habitabant. *Manut.*

(2) *Ne iste quidem*) Suspicatur Manutius insinuari Sextum Clodium scribam, quem Antonius ab exilio revocarat, ut hac ipsa oratione superius cap. 4. diximus: qui fortasse Antonium & Fulviam scribendis illis legibus & immunitatum tabulis adjuvabat, ut olim P. Clodio præsto fuerat legibus scribendis: ut dicitur pro Domo. *Abram.*

(3) *Ille vir fuit*) Dejotarus fortiter & generose, ut virum decebat, se gessit: nos vero pusillanimes sumus, qui cum oderimus Cæsarem auctorem, ejusdem acta & leges defendimus, timentes eorum offensionem, quibus Cæsar vivus aliqua beneficia promiserat. *Idem.*

(4) *Quid de commentariis*) Senatus pacis & concordiæ cau-

ANALYSIS.

(a) *Syngrapha*) Narrat quanta pecunia illud Decretum emptum fuerit, & syngrapham nihil valere ostendit, cum omnia sua recuperaverit Dejotarus, antequam ea fieret; & quidem jure, ut probat.

(b) *Ille vir*) Dejotari *Comparatione* Senatus oscitantiam coarguit.

(c) *Quid ego de*) Iterum redit ad Commentarios, & ad immensam pecuniam, quam ex iis Antonius collegerat.

infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? quorum etiam imitatores sunt (1), qui ea, tanquam gladiatorum libellos, palam venditent. Itaque tanti acervi nummorum apud istum construuntur, ut jam appendantur, non numerentur pecuniæ. At quam (*a*) cæca avaritia est! nuper fixa tabula est, qua civitates locupletissimæ Cretensium vectigalibus liberantur: statuiturque, ne post M. Brutum proconsulem sit Creta provincia. Tu mentis es compos? tu non constringendus? an Cæsaris decreto Creta post M. Bruti decessum potuit liberari, cum Creta nihil ad Brutum, Cæsare vivo, pertineret? At hujus venditione decreti (ne nihil actum putetis) provinciam Cretam perdidistis. Omnino nemo ullius rei fuit emptor, cui defuerit hic venditor.

Et de exulibus (*b*) legem, quam fixisti, Cæsar

causa Cæsaris acta servanda esse decreverat, id est, statuerat ut nihil de actis Cæsaris mutaretur, sed singulis magistratus, beneficia, provinciæ darentur, quos Cæsar vivus singulis contulisset. Necato Cæsare, Calpurnia conjux, quatuor talentorum millia, & mariti libellos sive commentarios diurnos ab ipso memoriæ causa conscriptos ad Antonium detulit. Is arrepta occasione beneficia, magistratus, provincias, immunitates vendidit, adulteratis Cæsaris commentariis ad libidinem, quasi quæ faceret, e Cæsaris memoriali peterentur. Ad hæc nunc Orator delabitur. *Idem.*

(1) *Quorum etiam imitatores sunt*) Tanta subjiciendorum adulterandorumque licentia per te inducta est, ut non tu solum, sed alii quoque exscribant, vel potius imitentur, quæ deinde publice venditent, ut vendi solent ii libelli, quibus futura proximorum gladiatorum pugna, & singulorum parium compositio describitur. *Idem.* Ant. Aug. *Licitatores.*

ANALYSIS.

(a) *At quam*) Decretum alterum de immunitate concessa quibusdam Civitatibus Cretensium, & de ipsa Provincia ita probat esse falsum, *a Repugnantibus*:

Cavetur eo decreto, ne Creta sit provincia post Brutum Proconsulem;

Sed Brutus non habebat Cretam provinciam, vivo Cæsare;

Ergo Cæsar illud decretum non fecit.

(b) *Et de exulibus*) Legem de Exulibus coarguit, præcipue quod & Patruum C. Antonium non restituerat; cui multas etiam factas injurias commemorat, 1. per jocum impulsum, ut pe-

sar tulit? Nullius insector calamitatem: tantum queror., primum eorum reditus inquinatos, quorum causam dissimilem Cæsar judicaverit: deinde nescio cur reliquis idem non tribuas. Neque enim plus quam tres, aut quatuor reliqui sunt. Qui simili in calamitate sint, cur tua misericordia simili non fruuntur? cur eos habes in loco patrui (1)? de quo ferre, cum de reliquis ferres, noluisti: quem etiam ad censuram petendam impulisti, eamque petitionem comparasti, quæ & risus hominum, & querelas (2) moveret.

Cur autem ea comitia (3) non habuisti? An quia tribunus plebis sinistrum fulmen nuntiabat? Cum tua quid interest, nulla auspicia sunt; cum tuorum, tum sis religiosus. Quid? eundem in septemviratu (4) nonne destituisti? Intervenit (5) enim. Quid metuisti? credo, ne salvo capite (6) negare non posses. Omnibus eum contumeliis onerasti,

(1) *Patrui*) De quo, supra, cap. 23. in annot.

(2) *Risus hominum, & querelas*) Ridebant eum, qui fuisset infamia notatus, censuram petere, cujus est de moribus civium judicare. Querebantur tantam esse M. Antonii impietatem, ut patruum suum omnibus ridendum exponeret. *Abram.*

(3) *Cur autem ea comitia*) Antonius, ut videtur, censoria comitia indixerat, sed illucescente die vel non accessit omnino; vel cum accessisset, repente comitia dimisit, quod Tribunus plebis nescio quis fulmen sinistrum nuntiabat. *Idem.*

(4) *In septemviratu*) Cum dividendo militibus agro Campano, & Leontino septemviros, omisso patruo, præfecisti. Phil. II. & VIII. *Manut.*

(5) *Intervenit*) Pecuniam petivit. Vide Turneb. Advers. IV. II.

(6) *Ne salvo capite*) Videtur reddere rationem cur patruum suum destituerit Antonius. Quia si eum Septemvirum creare voluisset, prius de restituendo patruo legem ferre debuisset: neque enim qui integri capitis & existimationis non erat ob damnationem, is poterat fieri Septemvir, aut ad ullum vel magistratum, vel sacerdotium promoveri. At metuebat Antonius, ne salvo patrui capite, id est, patruo in integrum restituto, debitam ei pecuniam negare non posset. *Abram. Commetuisti ne salvos capite negare non posses.* Ferr.

ANALYSIS.

peteret Censuram, 2. destitutum in Septemviratu; 3. divortium cum illius filia; 4. eamdem in Senatu probri insimulatam; quod mire amplificat *ab Adjunctis* personarum.

rasti, quem patris loco, si ulla pietas in te esset, colere debebas. Filiam ejus, sororem (1) tuam, ejecisti, alia conditione (2) quæsita, & ante perspecta. Non est satis. Probri insimulasti pudicissimam fœminam. Quid est, quod addi possit? Contentus eo non fuisti. Frequentissimo senatu Kalendis Januar. sedente patruo (3), hanc tibi esse cum Dolabella causam odii dicere ausus es, quod ab eo sorori & uxori tuæ stuprum oblatum esse comperisses. Quis interpretari potest, impudentiorne, qui in senatu, an improbior, qui in Dolabellam, an impurior, qui patruo audiente, an crudelior, qui in illam miseram tam spurce, tam impie dixeris?

XXXIX. Sed ad (*a*) chirographa redeamus. Quæ tua fuit cognitio (4)? Acta enim Cæsaris pacis causa confirmata sunt a senatu: *quæ quidem* Cæsar egisset, non ea, quæ Cæsarem egisse dixisset Antonius. Unde ista erumpunt? quo auctore proferuntur? Si sunt falsa, cur probantur? si vera, cur veneunt? At sic placuerat, ut ex Kalendiis Juniis de Cæsaris actis cum consilio cognosceretis. Quod fuit consilium? quem unquam advocasti? quas Kalendas Junias expectasti? an eas, ad quas te, peragratis veteranorum coloniis, stipatum armis retulisti? O præclaram (*b*) illam per-

(1) *Sororem*) Patruelem.

(2) *Alia conditione*) Ante repudium uxoris, circumspecta alia uxore, quam duceret, nimirum Fulvia. *Græv.*

(3) *Sedente patruo*) C. Antonius forte Romæ aderat, quamvis non esset lege restitutus: legibus inter arma civilia silentibus. *Ferratius.*

(4) *Quæ tua fuit cognitio*) Cur tu nova Cæsaris acta profers? Ad te non pertinet ista cognitio. Cum consilio senatorum cognosci oportebat. Id enim placuerat. *Manutius.*

A N A L Y S I S.

(a) *Sed ad*) Chirographa hic etiam insectatur, & inde ad ultimum *Contentionis* membrum transitum facit.

(b) *O præclaram*) Septimo Antonii profectionem in Campaniam, ejusque reditum exponit, præmissa ironica *Exclamatione*, & imprecatione in eundem.

percursationem tuam mense Aprili, atque Majo, tum, cum etiam Capuam (1) coloniam deducere conatus es! Quemadmodum * illinc abieris, vel potius pene non abieris, scimus. Cui tu urbi minitaris. Utinam conere, ut aliquando illud *pene* tollatur!

At quam (*a*) nobilitata est ** tua illa peregrinatio! quid prandiorum apparatus, quid furiosam vinolentiam tuam proferam? Tua ista detrimenta sunt, illa nostra. Agrum Campanum, qui cum de vectigalibus eximebatur, ut militibus daretur, tamen infligi magnum reipublicæ vulnus putabamus: hunc tu compransoribus tuis, & collusoribus dividebas. Mimos dico & mimas, Patres Conscripti, in agro Campano collocatos. Quid jam querar de agro Leontino? quandoquidem *** hæ quondam arationes, Campana & Leontina, in populi Romani patrimonio grandi fœnore & fructuosæ ferebantur. Medico tria millia jugerum, quasi (2) te sanasset: rhetori duo, quasi disertum facere potuisset. Sed ad iter, Italiamque redeamus.

XL. Deduxisti (*b*) coloniam Casilinum, quo Cæsar

* Vict. Man. *illam adieris... pene non adieris*.
** Al. *At quam nobilis tua*. *** Al. *quoniam quidem*.
(1) *Capuam*) Antonius, ut veteranorum animos sibi magis obligaret, Capuanorum agros illis assignare voluerat, & novam coloniam eo transcribere: eoque profectus erat, ut agros divideret: sed illi coloni veteres obstiterunt, necemque pene intulerunt. Eam ob causam Capuanis minitabatur. *Abram.*
(2) *Medico... quasi*) Auctoritate codicis Vaticani Muretus

ANALYSIS.

(a) *At quam*) Narrat 1. vitæ intemperantiam, & divisionem agrorum Campani, & Leontini cum magno Reip. detrimento, idque amplificat *ab Adjunctis* personarum, quibus est facta divisio, & quoad Campanum, etiam *Comparatione* Cæsaris.
(b) *Deduxisti*) 2. Casilinum coloniam deductam improbat, a jure Coloniæ deducendæ:
Quo semel deducta est Colonia, non potest alia deduci, prima incolumi;
Sed Casilinum deducta est Colonia a Cæsare, eaque est incolumis;
Ergo tu Casilinum deducere Coloniam non poteras.
Maxime cum ablatus sit ager Capuæ, ut Casilino daretur.

ſar ante deduxerat. Conſuluiſti me per literas de Capua tu quidem, ſed idem de Caſilino reſpondiſſem, poſſeſne, ubi colonia eſſet, eo coloniam novam jure deducere. Negavi, in eam coloniam, quæ eſſet auſpicato deducta, dum eſſet incolumis, coloniam novam jure deduci: colonos novos adſcribi poſſe reſcripſi. Tu autem inſolentia elatus, omni auſpiciorum jure turbato, Caſilinum coloniam deduxiſti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres, & aratrum (1) circumduceres: cujus quidem vomere portam Capuæ pene perſtrinxiſti, ut florentis coloniæ territorium minueretur.

Ab hac (a) religionum * perturbatione advolas in M. Varronis, ſanctiſſimi atque integerrimi viri, fundum Caſſinatem. Quo jure? quo ore? Eodem, inquies, quo in heredum L. Rubrii, quo in heredum L. Turſelii prædia, quo in reliquas innume-

* Ferrar. *regionum*.

tus edidit: *Medico tria millia jugerum: quid, ſi te ſanum feciſſet? Rhetori duo: quid ſi te diſertum facere potuiſſet?* Quod equidem miror ab erudito Grævio fuiſſe prætermiſſum, cum ejus codicis auctoritatem, & Mureti editionem ab illo expreſſam ipſe agnoverit, & de Grutero, quod eam neglexerit, merito ſit conqueſtus. *Non enim facile crediderit quiſquam*, inquit Muretus, *quam multa* in Philippicis *mutila, quam multa temere addita, quam multa corrupta ac depravata legerentur in omnibus aliis libris, quæ hujus ope expleta, refecta, ſanata, & integritati ſuæ reſtituta ſunt. Librum autem ipſum credo equidem ante hos ſeptingentos annos exaratum eſſe. Quod & ipſa literarum conformatio oſtendit pleriſque locis gemina ei quæ in Pandectis Florentinis, & in Terentio Petri Bembi viſitur: & ſcribendi ratio, quam ὀρθογραφίαν vocant, eadem plane quæ in iis, quos modo nominavi, libris, & præterea in antiquiſſimo illo epiſtolarum Ciceronis, cujus exemplum abhinc triennium divulgavit P. Victorius*. Pariſiis prodiit Mureti editio, anno 1562. Titulus: *M. T. Ciceronis Philippicæ, a M. Ant. Mureto ad optimum & vetuſtiſſimum exemplar tam multis locis emendatæ, ut nunc primum editæ videri queant*. Olivetus.

(1) *Aratrum*) Vide, quæ Turnebus de coloniis deducendis affert. Adverſ. IV. 11.

A N A L Y S I S.

(a) *Ab hac*) 3. M. Varronis villam vi, & armis occupatam, non enim emptam ab haſta, neque a Cæſare abſente Alexandriæ, ut patet ipſius Cæſaris teſtimonio.

numerabiles possessiones. Et si ab hasta (1), valeat hasta, valeant tabulæ, modo Cæsaris (2), non tuæ: quibus debuisti, non quibus tu te liberavisti. Varronis quidem Cassinatem fundum quis venisse dicit? quis hastam istius venditionis vidit? quis vocem præconis audivit? Misisse te dicis Alexandriam (3), qui emeret a Cæsare. Ipsum enim expectare magnum fuit. Quis vero audivit unquam (nullius autem salus curæ pluribus fuit) de fortunis Varronis rem ullam esse detractam? Quod si * etiam scripsit ad te Cæsar, ut redderes, quid satis potest dici de tanta impudentia? Remove gladios parumper illos, quos videmus: jam intelliges, aliam causam esse hastæ Cæsaris, aliam confidentiæ & temeritatis tuæ. Non enim te dominus modo illis sedibus, sed quivis amicus, vicinus, hospes, procurator arcebit.

XLI. At quam multos (a) dies in ea villa tur-

* Al. *quid, si*.

(1) *Et, si ab hasta*) Anticipatione Rhetorica eludit responsionem Antonii. Respondebis fortasse fundum Varronis, quod secutus esset partes Pompejanas, subjectum fuisse hastæ, & voci præconis, a Cæsare, qui suorum inimicorum bona proscripsit, te autem emisse, & adeo jure possidere. Quem fundum, si tu ab hasta Cæsaris emisti, concedo te jure possidere, & valere hastam debere confiteor. *Abram*.

(2) *Modo Cæsaris*) Jocatur in tabularum nomine, & ab auctionariis ad eas transit, in quibus pecunia ad ædem Opis deposita a Cæsare patebat: quæ si valerent, Antonius ejus a se dissipatæ pecuniæ rationem reddere cogeretur. *Manut*.

(3) *Misisse te dicis Alexandriam*) Alia responsio M. Antonii, quam tribus rationibus confutat. 1. Ironice, qua figura summam Antonii cupiditatem exaggerat. Quasi dicat, Adeone cæcus avaritia & cupiditate rapiebaris, adeone bonis civium inhiabas, ut magnum tibi & difficile videretur expectare, dum Cæsar ad urbem accederet, & inimicorum suorum bona subjiceret publicæ auctioni? *Abram*.

ANALYSIS.

(a) *At quam multos*) 4. Intemperantiam Antonii, & luxuriam, quod illustrat *a Dissimili*:

Turpe est in eo loco luxuriose vivere, qui fuerit Sapientiæ sedes;
Sed Villa Varronis erat Sapientiæ sedes, tu in ea luxuriose vixisti;
Ergo admisisti rem maxime turpem.

Amplificatur utraque pars *Assumptionis* per *Hypotyposin*.

turpissime est perbacchatus! Ab hora tertia bibebatur (1), ludebatur, vomebatur. O tecta ipsa misera, *quam dispari domino!* quanquam quomodo iste dominus? sed tamen quam a dispari tenebantur! Studiorum enim suorum M. Varro voluit esse illud, non libidinum diversorium. Quæ in illa villa ante dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mandabantur? jura populi Romani, monumenta majorum, omnis sapientiæ ratio, omnisque doctrina. At vero, te inquilino (non enim domino) personabant omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino: madebant parietes: ingenui pueri cum meritoriis, scorta inter matresfamilias versabantur. Cassino (*a*) salutatum veniebant, Aquino, Interamna: admissus est nemo. Jure id quidem. In homine enim turpissimo obsolefiebant * dignitatis insignia.

Cum inde Romam proficiscens ad Aquinum accederet, obviam ei processit (ut est frequens municipium) magna sane multitudo. At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus. Stulte Aquinates: sed tamen in via habitabant. Quid Anagnini? qui cum essent devii, descenderant **, ut istum, tanquam si esset consul, salutarent. Incredibile dictu; tamen inter omnes constabat, neminem esse resalutatum: præsertim cum duos secum Anagninos haberet, Mustelam, & Laconem, quorum alter gladiorum est princeps, alter poculorum. Quid ego illas istius minas contumeliasque commemorem, quibus invectus est in Sidicinos, vexavit Puteolanos, quod C. Cassium, quod

* Al. *obsolebant*. ** Al. *obviam ei descenderunt, ut istum, tanquam si esset, consulem salutarent*.

(1) *Ab hora tertia bibebatur*) Cum hora nona initium esset cœnæ. *Man.*

ANALYSIS.

(a) *Cassino*) 5. Arrogantiam in Municipales homines, qui salutatum obviam venerant, crudelitatem in cæteros, qui adoptaverant Brutum, & Cassium.

quod Brutos patronos adoptassent? magno quidem judicio, studio, benevolentia, caritate; non ut te, ut Basilum, vi & armis, & alios vestri similes, quos clientes nemo habere velit, non modo esse illorum cliens.

XLII. Interea (1) dum (*a*) tu abes, qui dies ille collegæ tui fuit, cum illud, quod tu venerari solebas, bustum in foro evertit? qua re tibi nuntiata, ut constabat inter eos, qui una fuerunt, concidisti. Quid evenerit postea, nescio. Metum credo valuisse, & arma (2). Collegam quidem de cælo detraxisti, effecistique non tu quidem etiam nunc, ut sit similis tui, sed certe, ut

(1) *Interea*) Post C. Cæsaris necem nescio quis in C. Marii nomen invasit, & rudem plebeculam concitavit in Senatum: plebsque, ut scribit Suetonius in Julio cap. 85. *solidam columnam prope xx pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitque* PARENTI PATRIÆ. *Apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Cæsarem jurejurando distrahere perseveravit.* Antonius uncum impegit illi pseudo-Mario, eumque in vinculis jugulavit. Quo facto vocatus in odium multitudinis concitatæ, in hoc rerum rumore discessit ex urbe, veteranorum colonias nuper a Cæsare deductas obiturus, sive ut eorum animos sibi conciliaret, sive ut caput suum præsenti periculo multitudinisque furori subduceret. Sed absente Antonio, & colonias lustrante, *Cum*, ut dicitur Phil. I. *serperet in urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius, iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant, & quotidie magis magisque perditi homines cum sui similibus servis, tectis ac templis urbis minarentur, talis animadversio fuit Dolabellæ cum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros ac nefarios liberos*, ut servos nonnullos in crucem egerit, liberos de saxo Tarpejo dejecerit, *talisque eversio illius execratæ columnæ*, ut locum illum sternendum locarit, ne quod extaret columnæ vestigium, de quo epist. 17. & 18. lib. XIV. ad Atticum. *Abr.*

(2) *Metum credo valuisse, & arma*) Frigida excusatio. Dolabellam videri vult non pecunia corruptum, sed metu, & armis a republica bene gerenda deterritum, postquam Antonius ex illa sua peregrinatione stipatus armatis ad Urbem accessit. Non metus valuit, sed avaritia, ut aperte lib. XIV. ad Attic. epist. 22. *Idem.*

ANALYSIS.

(2) *Interea dum*) 6. Dolabellæ constantiam, & voluntatem deinde metu mutatam.

dissimilis esset sui. Qui vero (*a*) inde reditus Romam? quæ perturbatio totius urbis? Memineramus Cinnam nimis potentem, Syllam postea dominantem, modo regnantem Cæsarem videramus. Erant fortasse gladii, sed absconditi, nec ita multi. Ista vero quæ, & quanta barbaria est? agmine quadrato cum gladiis sequuntur milites: * scutorum lecticas portari videmus. Atque his quidem jam inveteratis, Patres Conscripti, consuetudine obduruimus. Kalendis Juniis (*b*) cum in senatum, ut erat constitutum, venire vellemus, metu perterriti repente diffugimus.

At iste, qui senatu non egeret, neque desideravit quemquam, & potius discessu nostro lætatus est, statimque illa mirabilia facinora effecit. Qui chirographa Cæsaris defendisset lucri sui causa, is leges (*c*) Cæsaris, easque præclaras, ut rempublicam concutere posset, evertit. Numerum annorum provinciis prorogavit (1): idemque, cum actorum Cæsaris defensor esse deberet, & in publicis, & in privatis rebus acta Cæsaris rescidit. In publicis, ** nihil est lege gravius: in privatis, firmissimum est testamentum. Leges alias sine promulgatione sustulit: alias, *** ut tolleret, promulgavit. Testamentum irritum fecit, quod etiam infimis

* Mur. *scutati milites*. ** Al. *In publicis actis*. *** Vict. Grut. *ut tolleret promulgatas, promulgavit*.

(1) *Numerum annorum provinciis prorogavit*) Prætoriis annum, Consularibus biennium Cæsar dederat, ut Phil. I. Antonius lege tribunitia, ut in Phil. V. ostenditur, Prætoriis biennium, Consularibus sexennium dedit. *Manut.*

A N A L Y S I S.

(a) *Qui vero*) Reditum Antonii Romam cum multitudine armatorum amplificat *a Comparatione minorum*, Cinnæ, Syllæ, & Cæsaris.

(b) *Kalendis Juniis*) Cæsarem mortuum non amari ab Antonio, sic probat *ab Effectis*:

Ille non amat Cæsarem mortuum, qui ejus acta rescindit, & honorem negligit;
Sed Antonius Cæsaris acta rescindit, & honorem negligit;
Ergo non amat Antonius Cæsarem mortuum.

(c) *Is leges*) *Assumptionis* prima pars de Cæsaris actis.

fimis civibus semper obtentum est. Signa, tabulas, quas populo Cæsar una cum hortis legavit, eas hic partim in hortos Pompeji (1) deportavit, partim in villam Scipionis (2).

XLIII. Et tu in (a) Cæsaris memoria diligens? tu illum amas mortuum? Quem is (b) majorem honorem consecutus erat (3), quam ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium (4), flaminem? Est ergo flamen (5), ut Jovi, ut Marti, ut Quirino, sic divo Julio M. Antonius? Quid igitur cessas? cur non inaugurare? sume diem: vide, qui te inauguret: collegæ sumus, nemo negabit. O detestabilem hominem, sive quod tyranni sacerdos es, sive quod mortui! Quæro deinceps (6),

 num,

(1) *In hortos Pompeji*) Suburbanos, quos tunc Antonius tenebat ab hasta emptos. *Idem*.

(2) *In villam Scipionis*) In Tiburte, ipsam quoque ab hasta emptam, in qua septemdecim dies, quæ in Ciceronem in senatu diceret, commentatus est. Philipp. V. *Idem*.

(3) *Quem is majorem honorem consecutus erat*) A senatu. Suetonius: *Ampliora humano fastigio sibi decerni passus est, Ferculum circensi pompa, templa, aras, simulacra juxta deos, pulvinar, flaminem, Lupercos*. Idem.

(4) *Fastigium*) Tectum fastigiatum, quod solis templis imponebatur, cum aliarum ædium tecta essent plana. Græcis etiam ἀέτωμα dicitur. Itaque cum Cæsaris domui fastigium decerneretur, divini ei honores decernebantur, significabaturque Cæsarem præsens Numen esse habendum, & ejus domum esse templum. *Grævius*.

(5) *Est ergo flamen*) Summa cum indignatione Antonium invadit qui Cæsari tam abjecte fuerat adulatus, ut etiam sacerdotium ejus honori dicatum ambiverit. Videtur autem Antonius id sacerdotium Cæsare vivo petiisse, atque etiam impetrasse; sed post necem Cæsaris, quæ priusquam Antonius flamen inauguraretur, obtigerat, inaugurari noluisse. *Idem*.

(6) *Quæro deinceps*) Legem tulerat Antonius, ut ad illos dies quatuor, quibus ludi Romani celebrabantur in Circo, quintus dies in honorem Cæsaris adderetur, ejusque pulvinar & simulacrum cum cæteris Deorum simulacris in pompa ferretur. Sed post Cæsaris necem Consul Antonius passus non est post quatuor dies

ANALYSIS.

(a) *Et tu in*) *Complexio*.

(b) *Quem is*) Secunda pars *Assumptionis* de honore Cæsaris neglecto.

num, hodiernus dies (1) qui sit, ignores. Nescis heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse? te ipsum autem ad populum tulisse, ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur? Cur non sumus prætextati (2)? cur honorem Cæsari * tua lege datum deseri patimur? an supplicationes addendo diem contaminari passus es, pulvinaria noluisti? Aut undique religionem tolle, aut usquequaque conserva. Quæres, placeatne mihi pulvinar esse, fastigium, flaminem? Mihi vero nihil istorum placet. Sed tu, qui acta Cæsaris defendis, quid potes dicere, cur alia defendas, alia non cures? nisi forte vis fateri, te omnia quæstu tuo, non illius dignitate metiri.

P E R O R A T I O.

Quid ad hæc (*a*) tandem? expecto enim eloquentiam tuam. Disertissimum cognovi avum tuum: at te etiam apertiorem (3) in dicendo. Ille nunquam nudus est concionatus: tuum hominis simplicis

dies ludorum Romanorum quicquam in honorem Cæsaris addi, ejusque simulacrum tanquam numinis alicujus in pompa deferri. Ne tamen omnem mortui memoriam obliterasse videretur, Cæsaris nomine supplicationem instituit: quod Cicero reprehendit, docetque religionem non tantum pulvinaribus & ludis, sed etiam indicta supplicatione violari. *Abram.*

(*) Vulg. *Cæsaris.*

(1) *Hodiernus dies*) Oratio hæc ita scripta est, quasi habita fuerit duodecimo Kalendas Octobris, postridie quam in ipsum absentem invectus fuerat Antonius: qui dies in Kalendario, quod Manutii descripserunt, quintus ludorum Romanorum in Circo signatus est. *Idem.*

(2) *Cur non sumus prætextati*) Nondum tributus erat ille dies Cæsari; tributum postea veteres dierum fasti demonstrant. *Man.*

(3) *Apertiorem*) Jocus ex ambiguo, quo carpit corporis nuditatem, cum perspicuitatem orationis laudare videatur. *Abram.*

A N A L Y S I S.

(a) *Quid ad hæc*) Plura in *Peroratione* præstat Cicero; in primis autem Antonium invitat, ut sibi respondeat, & *per Comparationem* Avi facinus illud exprobrat, quod fecerat Lupercalibus, cum nudus ante Cæsarem concionatus est.

plicis pectus vidimus (1). Respondebisne ad hæc? aut omnino hiscere audebis? Ecquid reperies ex tam longa oratione mea, cui te respondere posse confidas? Sed præterita (*a*) omittamus.

XLIV. Hunc unum diem, hunc unum, inquam, hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende, si potes. Cur armatorum corona senatus septus est? cur me tui satellites cum gladiis audiunt? cur valvæ Concordiæ non patent? cur homines omnium gentium, maxime barbaros, Ityreos, cum sagittis deducis in forum? Præsidii sui causa se facere dicit. Nonne igitur millies perire est melius, quam in sua civitate sine armatorum præsidio non posse vivere? Sed nullum est istuc, mihi crede, præsidium. Caritate & benevolentia civium septum oportet esse, non armis.

Eripiet (*b*), extorquebit tibi ista populus Romanus, utinam salvis nobis! sed quoquo modo nobiscum egeris, dum istis consiliis uteris, non potes, mihi crede, esse diuturnus. Etenim ista tua minime avara conjux, quam ego sine contumelia describo, nimium debet diu populo Romano tertiam pensionem (2). Habet populus Romanus, ad quos gubernacula reipublicæ deferat: qui ubicunque terrarum sunt, ibi est omne reipublicæ præsidium, vel potius ipsa respublica, quæ se adhuc tantummodo ulta est, nondum recuperavit. Habet quidem certe respublica adolescentes nobilissimos, pa-

(1) *Pectus vidimus*) Lupercus enim concionatus est. Supra. *Manut.*

(2) *Tertiam pensionem*) Mortem tuam: cum duas jam persolverit, interfectis ejus viris, P. Clodio, & C. Curione. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *Sed præterita*) Deinde objicit armatorum corona septum Senatum; quamvis enim hæc Cicero non dixerit, ita tamen scripsit, quasi eodem die responderit.

(b) *Eripiet*) Tertio mortem minatur; habet enim uxorem Fulviam malum omen; quæ illi immineat vel ab iisdem, qui Cæsarem interfecerunt, vel ab aliis, qui eorum gloriam æmulentur; hinc Cæsaris interfectores laudat *Comparatione minorum*.

paratos defensores. Quam volent, illi cedant, otio consulentes, tamen a republica revocabuntur. Et nomen pacis dulce est, & ipsa res salutaris: sed inter pacem & servitutem plurimum interest. Pax est tranquilla libertas, servitus malorum omnium postremum, non modo bello, sed morte etiam repellendum.

Quod si se ipsos illi nostri liberatores e conspectu nostro abstulerunt, at exemplum facti reliquerunt. Illi, quod nemo fecerat, fecerunt: Tarquinium Brutus bello est persecutus, qui tum rex fuit, cum esse Romæ regem liceret. Sp. Cassius, Sp. Melius, M. Manlius propter suspicionem regni appetendi sunt necati. Hi primi cum gladiis, non in regnum appetentem, sed in regnantem impetum fecerunt. Quod cum ipsum factum per se præclarum est, atque divinum, tum expositum ad imitandum; præsertim cum illi eam gloriam consecuti sint, quæ vix cælo capi posse videatur. Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror contemnendam.

XLV. Recordare (*a*) igitur illum, M. Antoni, diem, quo dictaturam sustulisti: pone ante oculos lætitiam senatus, populique Romani: confer cum nundinatione * tua, tuorumque: tum intelliges, quantum inter laudem & lucrum intersit. Sed nimirum, ut quidam, morbo aliquo & sensus stupore, suavitatem cibi non sentiunt, sic libidinosi, avari, facinorosi, veræ laudis gustatum (1) non ha-

* Al. *nummatione*.

(1) *Gustatum*) Vulgo, *gustum*. Sed *gustatum* ex Vaticano ediderunt Faernus, Muretus, Manutius, Lambinus, quod hic fuit a Grævio annotatum. Nec vero *gustum* alicubi dixit Cicero, nisi fidem habeas editionibus non optimis. Certe *gustatum* dixit lib. de Oratore III. 25. De Natura Deor. II. 56. 63. De Senect. 15. *Olivetus*.

A N A L Y S I S.

(a) *Recordare*) Quarto Antonium hortatur a gloria, quam bene agendo consecutus fuerat; sed veræ laudis incapacem ostendit *similitudine* ægrotantium.

habent. Sed, si te (*a*) laus allicere ad recte faciendum non potest, ne metus quidem a fœdissimis factis potest avocare? Judicia non metuis. Si propter innocentiam, laudo: si propter vim, non intelligis, ei, qui isto modo judicia non timeat, quid timendum sit?

Quod si non metuis viros fortes, egregiosque cives, quod a corpore tuo prohibentur armis, tui te, mihi crede, diutius non ferent. Quæ est autem vita, dies & noctes timere a suis? nisi vero aut majoribus habes beneficiis obligàtos, quam ille quosdam habuit ex iis, a quibus est interfectus: aut tu es ulla re cum eo comparandus. Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, literæ, cura, cogitatio, diligentia: res bello gesserat, quamvis reipublicæ calamitosas, attamen magnas: multos annos regnare meditatus, magno labore, multis * periculis, quod cogitarat, effecerat: muneribus, monumentis, congiariis, epulis, multitudinem imperitam lenierat: suos præmiis, adversarios clementiæ specie devinxerat. Quid multa? attulerat jam liberæ civitati, partim metu, partim patientia, consuetudinem serviendi.

XLVI. Cum illo ego te dominandi cupiditate conferre possum, cæteris vero rebus nullo modo comparandus es. Sed ex plurimis malis, quæ ab illo reipublicæ sunt inusta, hoc tamen boni est, quod didicit jam populus Romanus quantum cuique crederet, quibus se committeret, a quibus caveret. Hæc non cogitas? nec intelligis satis esse viris

 for-

* Al. *magnis*.

ANALYSIS.

(a) *Sed, si te*) Quinto eum deterret a regni cupiditate exemplo Cæsaris *per Comparationem majorum*, hac ratione:

Si Romæ Cæsar tuto regnare non potuit, neque Antonius poterit;

Sed interfectus est Cæsar, quia voluit regnare;

Ergo multo magis interficietur Antonius, si regnare voluerit.

Propositionem amplificat ostendens, multa fuisse in Cæsare, quæ non habet Antonius.

fortibus didicisse, quam sit re pulchrum, * beneficio gratum, fama gloriosum, tyrannum occidere? An, cum illum homines non tulerint, te ferent? Certatim posthac, mihi crede, ad hoc opus curretur, nec occasionis tarditas expectabitur.

Respice, quæso, aliquando rempublicam, M. Antoni: quibus ortus sis, non quibuscum vivas, considera: mecum, ut voles, cum republica redi in gratiam. Sed de te (*a*) tu ipse videris: ego de me ipso profitebor. Defendi rempublicam adolescens, non deseram senex: contempsi Catilinæ gladios, non pertimescam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repræsentari morte mea libertas civitatis potest: ut aliquando dolor populi Romani pariat, quod jamdiu parturit. Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni? Mihi vero, Patres Conscripti, jam etiam optanda mors est, perfuncto rebus iis, quas adeptus sum, quasque gessi. Duo modo hæc opto: unum, ut moriens populum Romanum liberum relinquam, hoc mihi majus a diis immortalibus dari nihil potest: alterum, ut ita cuique eveniat, ut de republica quisque mereatur.

* Al. omittunt *re*.

ANALYSIS.

(a) *Sed de te*) Ultimo suam Reip. constantiam attestatur, seque bene moratum Oratorem exhibet, ad conciliandam *benevolentiam*.

IN
M. ANTONIUM
PHILIPPICA III.
ARGUMENTUM.

Post Cæsaris necem decrevit senatus consulares provincias, Antonio Macedoniam, Dolabellæ Syriam. Sed Antonius, occasionem quærens reipublicæ perturbandæ, Galliam citeriorem sibi mandari cupiebat. Quod cum a senatu non impetraret, qui eam provinciam D. Bruto, jam antea ab ipso Cæsare datam, post ejus interitum confirmaverat, tulit ad populum, & obtinuit, ut citeriorem Galliam regeret: unde se cum exercitu ad urbem, Cæsaris exemplo, facile venturum sperabat. Nam Macedonia, terra marique disjuncta, novis consiliis parum opportuna videbatur. Hac mente Brundusium ivit ad VII. *Id. Oct. profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere, & in cervicibus bonorum collocare. Redeuntem a Brundusio Antonium legio Martia reliquit. Ille, tribus legionibus Tiburi collocatis, urbem est ingressus: vocato in Capitolium senatu, cum de abalienata legione Quarta, & Octaviani copiis adjuncta, nuntius ei esset allatus, propere senatum dimisit, & ad occupandam Galliam citeriorem, quam D. Brutus obtinebat, cum duabus legionibus magna celeritate contendit. Interea cum novi tribuni pl. qui* IV. *Id. Dec. magi-*

stra-

stratum inibant, XIII. *Kal. Jan. senatum convocassent, deque præsidio consulum designatorum retulissent, ut senatum tuto Kalendis Januariis habere possent*, Cicero, *laudata tribunorum mente, totam rempublicam complexus, hæc censuit: Res eas, quas Cæsar adolescens privato consilio gesserat, aut gereret, publica confirmandas auctoritate; legiones, quæ, relicto Antonio, ad rempublicam defendendam se contulerant, laudandas, eisque spem præmiorum decreto senatus ostendendam; D. Brutum, qui se irruenti in Galliam Antonio objecerat, ipsamque Galliam, quæ resisteret, debita laude ornandam; provincias ab iisdem, qui eas obtinerent, obtinendas esse ex lege Julia, quoad ex S.C. cuique eorum successum esset; iisque de rebus ad senatum a novis consulibus primo quoque tempore esse referendum. Assensit senatus, & in ejus sententiam senatusconsultum factum est.* MANUTIUS.

Habita est hæc oratio XIII. *Kal. Jan. profecto in Galliam Antonio, ut cognoscitur ex Philipp. VI. & epist.* Lupus, *lib.* II. *Famil. & ep.* Liberalibus, *lib.* XII.

PHILIPPICÆ III. SYNOPSIS.

HÆc Oratio versatur in genere *Deliberativo*, an bellum gerendum sit cum Antonio; cujus tres sunt partes, *Exordium*, *Contentio*, & *Peroratio*.

Exordium ducitur a rei magnitudine: *Serius omnino*; hortatur ad bellum celeriter suscipiendum ab incommodis dilationis: *Quæ est igitur*; & ab utilitate contrarii: *Quod si aut*; deinde sequitur *Propositio* universalis: *Quo enim usque*.

Contentionis duæ sunt partes, in prima laudat Antonii inimicos, in secunda eundem Antonium objurgat.

Itaque 1. factum Cæsaris exponit: *C. Cæsar adole-*

adolescens & laudat *ab Effectis*, quod Patriæ periclitanti opem tulerit: *Quis enim est*. 2. Legionis Martiæ consilium in deserendo Antonio extollit: *Nec vero de legione*. 3. Idem de legione Quarta: *Hujus legionis*. 4. Brutum laudat *a Comparatione minorum*, hoc est L. Bruti: *Hoc vero recens*; Comparatur autem Antonius cum Tarquinio: *Illi regibus parere*; defendit deinde Brutum *ab Adjunctis*, quod post Lupercalia non sit Consul Antonius: *Nec vero M. Antonium*. Assignat rationem, cur ipse totam Remp. complectatur: *Quamobrem tribuni*; subdit *Complexionem* universalem: *Quamobrem omnia*; quam Dilemmate illustrat: *Nam, si ille Consul*.

1. In altera parte diluit maledicta in Cæsarem congesta, de impudicitia retorquendo in Antonium: *Primum in Cæsarem*; de ignobilitate, a dignitate Municipii Aricini: *Aricina mater*; & *ab Adjunctis* personæ: *Sed si Aricinam*.

2. Attingit, quæ in Q. Ciceronem Nepotem, & in se ipsum objecta fuerant ab Antonio in edicto: *Idem etiam*.

3. Alterius edicti verba examinat: *Sed ipse quid fecit?* Antonium accusat intemperantiæ: *Sed cum tam atroci*; timiditatis: *Ad eos tamen*; inscitiæ: *At in rebus*; stoliditatis: *Quid autem attinuerit*; & summæ improbitatis: *At ne sine causa*; eamque probat *a Præjudiciis*: *Ille autem homo*. Postremo crudelem eundem exhibet: *O C. Cæsar!*

1. In *Peroratione* motus excitat; *Verecundiam a Comparatione minorum*, non esse ferendum Antonium, cum Cæsarem non tulerint: *Multa, quæ*; *Metum ab Adjunctis*, cum tot scelera admiserit ante victoriam: *Quid hic faciat*; *Confidentiam* pariter *ab Adjunctis*, a belli copiis: *Non, tempore oblato*.

2. Hortatur Patres, ut mori potius velint, quam pati

pati sub Antonio servitutem : *Hanc igitur occasionem*.

3. Suam sententiam proponit, in quam deinde S. C. factum est: *Quas ob res*.

EXORDIUM.

I. SErius (*a*) omnino, Patres Conscripti, quam tempus reipublicæ postulabat, aliquando tamen convocati sumus : quod flagitabam equidem quotidie, quippe cum bellum nefarium contra aras & focos, contra vitam, fortunasque nostras, ab homine profligato ac perdito non comparari, sed geri jam viderem. Expectantur Kalendæ Januarii, quas non expectat Antonius, qui in provinciam D. Bruti, summi & singularis viri, cum exercitu impetum facere conatur : ex qua se instructum & paratum ad urbem venturum esse minitatur.

Quæ est igitur (*b*) expectatio? aut quæ vel minimi dilatio temporis? Quanquam enim adsunt Kalendæ Januarii, tamen breve tempus longum est imparatis. Dies enim affert, & hora potius, nisi provisum est, magnas sæpe clades. Certus autem dies non ut sacrificii, sic consilii expectari solet. Quod si aut Kalendæ Januarii fuissent eo die, quo primum ex urbe fugit Antonius, aut hæ non essent expectatæ, bellum jam nullum haberemus. Auctoritate enim senatus, consensuque populi Romani facile hominis amentis fregissemus audaciam. Quod confido equidem consules designatos simulac ma-

ANALYSIS.

(a) *Serius*) Patres sibi facit *attentos* a rei magnitudine, probatque eadem celeritate bellum esse propulsandum, qua geritur ab Antonio.

(b) *Quæ est igitur*) Duabus rationibus id confirmat, tum quia dilatio magna parere incommoda poterat, tum quia statim opprimi potuisset Antonius, nisi res fuisset dilata.

magistratum inierint, esse facturos (1). Sunt enim optimo animo, summo consilio, singulari concordia. Mea autem festinatio non victoriæ solum avida est, sed etiam celeritatis. Quo enim usque (*a*) tantum bellum, tam crudele, tam nefarium privatis consiliis (2) propulsabitur? cur non quamprimum publica accedit auctoritas?

CONTENTIO.

II. C. Cæsar (*b*) adolescens, pene potius puer (3), incredibili ac divina quadam mente atque virtute, tum, cum maxime furor arderet Antonii, cumque ejus a Brundusio crudelis & pestifer reditus timeretur, nec postulantibus, nec cogitantibus, ne optantibus quidem nobis, quia fieri posse non videbatur, firmissimum exercitum ex invicto genere veteranorum militum comparavit, patrimoniumque suum effudit. Quanquam non sum usus eo verbo, quo debui*: non enim effudit, sed in salute reipublicæ collocavit. Cui quanquam (*c*) gratia referri

* Al. *quo decuit*.

(1) *Facturos*) Relaturos esse ad Senatum, ut hostis judicetur Antonius, & illi bellum indicatur. *Ferratius*.

(2) *Privatis consiliis*) Cæsaris Octaviani, atque etiam D. Bruti. *Manutius*. Vide Fam. XII. 7.

(3) *Pene potius puer*) Annos natus XIX, ut scripsit Vellejus, ad remp. defendendam, Antoniique conatus reprimendos Octavianus accessit. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Quo enim usque*) Hæc videtur esse *Propositio* universalis Orationis, quæ quidem hoc argumento continetur:

Privatis consiliis publica accedere debet auctoritas in eum, qui contumeliosus est, & crudelis;

Sed quidam privatis consiliis cum Antonio bellum gerunt, contumeliosum hostem, & crudelem;

Ergo & publica auctoritas debet accedere.

Assumptionis utraque pars in *Contentione* pertractatur, ipsa autem *Peroratio* est amplificatio *Complexionis*.

(b) *C. Cæsar*) *Assumptionis* primam partem pertractat, & commemorat eos, qui privato consilio bellum in Antonium susceperant; hic de Cæsare.

(c) *Cui quanquam*) Magnas illi habendas esse gratias, quod exercitum privatum privato consilio in Antonium comparaverit, ita probat *ab Effectis*: *Illi*

ferri tanta non poteſt, quanta debetur, habenda tamen tanta eſt, quantam maximam animi noſtri capere poſſunt. Quis enim eſt (*a*) tam ignarus rerum, tam nihil de republica cogitans, qui hoc non intelligat: ſi M. Antonius a Brunduſio cum iis copiis, quas ſe habiturum putabat *, Romam, ut minabatur, venire potuiſſet, nullum genus eum crudelitatis præteriturum fuiſſe? quippe qui (*b*) in hoſpitis tectis Brunduſii fortiſſimos viros, cives optimos, jugulari juſſerit, quorum ante pedes ejus morientium ſanguine os uxoris reſperſum eſſe conſtabat. Hac ille crudelitate imbutus, cum multo bonis omnibus veniret iratior, quam illis fuerat, quos trucidarat, cui tandem noſtrum, aut cui omnino bono pepercíſſet?

Qua peſte (*c*) privato conſilio rempublicam (nec enim fieri potuit aliter) Cæſar liberavit. Qui niſi in hac republica natus eſſet, rempublicam ſcelere Antonii nullam haberemus. Sic enim perſpicio, ſic judico, niſi unus adoleſcens illius furentis impetus, crudeliſſimoſque conatus cohibuiſſet, rempublicam funditus interituram fuiſſe. Cui quidem (*d*) hodierno die, Patres Conſcripti, (nunc enim primum ita convenimus, ut illius ** beneficio poſſemus, quæ ſentiremus, libere dicere) tribuenda eſt auctoritas, ut rempublicam non modo a ſe ſuſceptam, ſed etiam a nobis commendatam poſſit defendere.

III.

* Al. *putaverat*. ** Al. *de illius*.

ANALYSIS.

Illi maxima habenda eſt gratia, qui Patriæ periclitanti opem tulit;
Sed Patriam Antonius perdidiſſet, niſi Cæſar opem tuliſſet;
Ergo Cæſari maxima habenda eſt gratia.

(a) *Quis enim eſt*) *Aſſumptio*.

(b) *Quippe qui*) Ejuſdem approbatio *a Comparatione minorum*; nam ſi trucidaverat Brunduſii milites ex legione Martia, multo magis Romæ bonos omnes trucidaſſet, quibus erat iratior, quam militibus.

(c) *Qua peſte*) *Aſſumptionem* repetit.

(d) *Cui quidem*) *Complexio* Syllogiſmi univerſalis, quæ infra etiam ſæpe repetitur.

III. Nec vero (*a*) de legione Martia (quoniam longo intervallo loqui nobis de republica licet) sileri potest. Quis enim unus fortior, quis amicior unquam reipublicæ fuit, quam legio Martia universa? quæ cum hostem populi Romani M. Antonium judicasset, comes esse ejus amentiæ noluit: reliquit consulem; quod profecto non fecisset, si eum consulem judicasset, quem nihil aliud agere, nihil moliri, nisi cædem civium atque interitum civitatis, videret. Atque ea legio consedit Albæ. Quam potuit urbem eligere, aut opportuniorem ad res gerendas, aut fideliorem, aut fortiorum virorum, aut amiciorum populo Romano civium?

Hujusce legionis (*b*) virtutem imitata quarta legio, duce L. Egnatulejo quæstore, cive optimo & fortissimo, C. Cæsaris auctoritatem atque exercitum persecuta est *. Faciendum est (*c*) igitur nobis, Patres Conscripti, ut ea, quæ sua sponte clarissimus adolescens atque omnium præstantissimus gessit, & gerit, hæc auctoritate nostra comprobentur: veteranorumque, fortissimorum virorum, tum legionis Martiæ, quartæque mirabilis consensus ad rempublicam recuperandam, laude & testimonio nostro confirmetur: eorumque commoda, honores, præmia, cum consules designati magistratum inierint, curæ nobis fore, hodierno die spondeamus.

IV. Atque ea (*d*) quidem, quæ dixi de Cæsare,

* Al. *prosecuta*.

ANALYSIS.

(a) *Nec vero*) Secundo narrat defectionem legionis Martiæ ab Antonio, quam laudat *ab Adjunctis*, tum quod omnes ad singulare pro Patria facinus consenserint, tum quod Albæ opportunissimo loco consederint.

(b) *Hujusce legionis*) Tertio factum etiam attingit Quartæ legionis.

(c) *Faciendum est*) Ecce nunc iterum repetita *Complexio*.

(d) *Atque ea*) Quarto a Cæsare, ejusque exercitu transitum facit ad D. Brutum, qui scripserat, se retenturum provinciam Galliam in Senatus, populique Romani potestate contra Antonium.

ſare, deque ejus exercitu, jamdiu nota ſunt nobis. Virtute enim admirabili Cæſaris, conſtantiaque militum veteranorum, legionumque earum optimo judicio, quæ auctoritatem noſtram, libertatem populi Romani, virtutem C. Cæſaris ſecutæ ſunt, a cervicibus noſtris eſt depulſus Antonius. Sed, ut dixi, hæc ſuperiora: hoc vero recens edictum D. Bruti, quod paulo ante propoſitum eſt, certe ſilentio non poteſt præteriri. Pollicetur enim, ſe provinciam Galliam retenturum in ſenatus populique Romani poteſtate. O civem (*a*) natum reipublicæ, memorem ſui nominis, imitatoremque majorum! Neque enim, Tarquinio expulſo, majoribus noſtris tam fuit optata libertas, quam eſt, repulſo Antonio *, retinenda nobis.

Illi regibus parere jam a condita urbe didicerant: nos poſt reges exactos ſervitutis oblivio ceperat. Atque ille Tarquinius **, quem majores noſtri non tulerunt, non crudelis, non impius, ſed ſuperbus habitus eſt, & dictus. Quod nos vitium in privatis ſæpe tulimus, id majores noſtri ne in rege quidem ferre potuerunt. L. Brutus regem ſuperbum non tulit: Decimus ſceleratum atque impium regnare patietur? Quid Tarquinius tale, qualia innumerabilia & fecit, & facit Antonius? Senatum etiam reges habebant: nec tamen, ut Antonio ſenatum habenti (1), in conſilio regis ver-

* Ferrar. *depulſo jam*. ** Al. omit. *Tarquinius*.

(1) *Antonio ſenatum habenti*) Nonnullis videbitur, atque haud ſcio an multis, eſſe erratum in hac voce *habenti*, & ſcriben-

ANALYSIS.

(a) *O civem*) Cujus conſilium & laudat, & tuetur; laudat *a Comparatione minorum*, tali ratione:

Magnam laudem adeptus eſt L. Brutus, expulſo Tarquinio;
Sed Antonius ipſo Tarquinio longe eſt pejor;
Ergo majori laude dignus Decimus Brutus, qui reſtitit Antonio.

Aſſumptionem amplificat comparando Antonium cum Tarquinio; nam hujus facinora minuit, illius exaggerat.

versabantur barbari armati. Servabant auspicia reges, quæ hic consul augurque neglexit: neque solum legibus contra auspicia ferendis, sed etiam collega una ferente, eo, quem ipse ementitis auspiciis vitiosum (1) fecerat.

Quis autem rex unquam fuit tam insignite impudens, ut haberet omnia commoda, beneficia, jura regni venalia? Quam hic immunitatem, quam civitatem, quod præmium, non vel singulis hominibus, vel civitatibus, vel universis provinciis vendidit? Nihil humile de Tarquinio, nihil sordidum accepimus. At vero hujus domi inter quasilla (2) pendebatur aurum, numerabatur pecunia: una in domo omnes, quorum intererat, totum imperium populi Romani nundinabantur. Supplicia vero in cives Romanos nulla Tarquinii accepimus. At hic & Suessæ jugulavit eos, quos in custodiam dederat, & Brundusii trecentos fortissimos viros, civesque optimos trucidavit.

Postremo Tarquinius pro populo Romano bellum gerebat tum cum est expulsus: Antonius con-

bendum fuisse, ut Lambinus corrigebat, *habente*, cum sit casus, quem Grammatici vocant absolutum; atque hoc velit orator, in consilio regis non stetisse barbaros armatos, ut in curia stabant, *habente* senatum Antonio. Fateor ita potuisse Ciceronem scribere, sic tamen ut negem, pravum esse quod editum est. Hic enim *Antonio* non est sexti casus, sed tertii. Opportune animadvertit Fr. Sanctius, *Minerv.* II. 4, nullam esse orationem, cui constructæ atque perfectæ, dativus supervenire non possit, designans personam, ad quam id spectet, quod oratione exprimitur. Sic, *Non omnibus dormio*, *Mihi peccat*, & similia. *Olivet.*

(1) *Ementitis auspiciis vitiosum*) Vide Philipp. II. cap. 33.

(2) *Quasilla*) Cum ostendere vellet, Antonium usque eo sordidum esse, ut omnium rerum publicarum domesticum mercatum institueret, eique Fulviam uxorem præficeret, ut ejus sordes non modo re, sed etiam verbo exprimeret, *inter quasilla* dixit: quo quid sordidius? *Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificii*: *Talassionem enim* quasillum *vocabant: qui alio modo appellatur calathus, vas utique lanificiis aptum*. Hæc Sex. Pompejus: at Priscianus lib. III, *Pauca inveniuntur diminutiva, quæ non servent genera primitivorum: ut hæc rana, hic ranunculus: hic qualus, hoc quasillum*. Quod si cui magis arriserit, *inter quasillos appendebatur*, non pugnabo: præsertim cum & apud Catonem semper hoc vocabulum virile sit. *Ferrarius*.

tra populum Romanum exercitum adducebat tum, cum a legionibus relictus, nomen Cæsaris exercitumque pertimuit, neglectisque sacrificiis (1) solemnibus, ante lucem vota ea, quæ nunquam solveret (2), nuncupavit: & hoc tempore in provinciam populi Romani conatur invadere. Majus igitur (*a*) a Decimo Bruto beneficium populus Romanus & habet, & expectat, quam majores nostri acceperunt a L. Bruto, principe hujus maxime conservandi generis, & nominis.

V. Cum autem omnis servitus est misera, tum vero intolerabile est servire impuro, impudico, effœminato, nunquam, ne in metu quidem, sobrio. Hunc igitur (*b*) qui Gallia prohibet, privato præsertim consilio, judicat, verissimeque judicat, non esse consulem. Faciendum est igitur nobis, Patres Conscripti, ut D. Bruti privatum consilium auctoritate publica comprobemus. Nec vero (*c*) M. Antonium consulem post Lupercalia putare debuistis. Quo enim ille die, populo Romano inspectante, nudus, unctus, ebrius est concionatus, & id egit, ut collegæ diadema imponeret, eo die se non modo consulatu, sed etiam libertate abdicavit.

(1) *Sacrificiis*) Consules in provincias profecturi, & sacrificia prius faciebant, & vota nuncupabant; quæ, cum rediissent, bene gesta republica solvebant. *Manut.*

(2) *Quæ nunquam solveret*) Non enim ei quæ cogitat, prospere succedent. *Idem.*

A N A L Y S I S.

(a) *Majus igitur*) *Complexio* hujus Syllogismi, per pulcherrimam sententiam illustrata *ab Adjunctis* servitutis.

(b) *Hunc igitur*) Bruti consilium exponit in repellendo Antonio, ut inde colligat *Complexionem* universalem, quæ hic tertio habetur.

(c) *Nec vero*) Postquam Brutum laudavit, defendit etiam *ab Adjunctis personæ*, occurrens tacitæ *Prolepsi*; non potuisse Consulem prohiberi provincia, quam lege lata a Populo obtinuisset; sic igitur:

Ille non debuit tractari ut Consul, qui servitutem libertati præposuit;
Sed Antonius Consul servitutem præposuit libertati;
Ergo nemo eum tractare debet ut Consulem.

Notum est facinus Lupercalium.

vit. Esset enim ipsi certe statim serviendum, si Cæsar ab eo regni insigne accipere voluisset. Hunc igitur ego consulem, hunc civem Romanum, hunc liberum, hunc denique hominem putem, qui fœdo illo & flagitioso die, & quid pati, Cæsare vivo, posset, & quid, eo mortuo, consequi cuperet, ostendit?

Nec vero de (*a*) virtute, constantia, & gravitate provinciæ Galliæ taceri potest. Est enim ille flos Italiæ, illud firmamentum imperii populi Romani, illud ornamentum dignitatis. Tantus autem est consensus municipiorum, coloniarumque provinciæ Galliæ, ut omnes ad auctoritatem hujus ordinis, majestatemque populi Romani defendendam conspirasse videantur. Quamobrem, Tribuni plebis, quanquam vos nihil aliud, nisi de præsidio, ut senatum tuto consules Kalendis Januariis habere possent, retulistis, tamen mihi videmini magno consilio, atque optima mente potestatem nobis de tota republica fecisse dicendi. Cum enim tuto senatum haberi sine præsidio non posse judicavistis, illud * tum statuistis etiam, intra muros Antonii scelus audaciamque versari.

VI. Quamobrem (*b*) omnia (*c*), mea sen-

ANALYSIS.

* Al. omittunt *illud*.

(a) *Nec vero de*) Ultimo Galliæ provinciæ studium & refert, & probat.

(b) *Quamobrem*) Rationem affert, cur universam Remp. sua sententia complexus sit, licet de præsidio Consulum tantum Tribuni retulerint; interpretatur autem Tribunorum voluntatem, hoc modo:

Illi dant potestatem dicendi de tota Rep., qui putant in maximis periculis Remp. versari;

Sed Tribuni pl. putant Remp. in magno periculo versari propter Antonium;

Ergo dant potestatem dicendi de tota Rep.

Assumptio patet, quia cum referrent de præsidio Consulum, ostendebant, se de ipsa Urbe, nedum de imperio timere.

(c) *Quamobrem omnia*) Quo præmisso, *Complexionem* universalem quarto subdit; ea vero tali *Dilemmate* confirmatur:

Aut Cæsar, Brutus, & reliqui hostes Reip. sunt, aut Antonius;

Non illi;

Ergo Antonius.

Prima pars approbata præcedit, altera deinde sequitur.

tentia, complectar, vobis, ut intelligo, non invitis, ut & præstantissimis ducibus a nobis detur auctoritas, & fortissimis militibus spes ostendatur præmiorum; & judicetur non verbo, sed re, non modo non consul, sed etiam hostis Antonius. Nam, si ille consul, fustuarium meruerunt legiones, quæ consulem reliquerunt; sceleratus Cæsar, Brutus nefarius, qui contra consulem privato consilio exercitus comparaverunt. Sin autem militibus exquirendi sunt honores novi, propter eorum divinum atque immortale meritum; ducibus autem ne referri quidem potest gratia: quis est, qui eum hostem non existimet, quem qui armis persequuntur, conservatores reipublicæ judicantur?

At quam (*a*) contumeliosus in edictis? quam barbarus? quam rudis? Primum (*b*) in Cæsarem ut maledicta congessit, deprompta ex recordatione impudicitiæ, & stuprorum suorum? * Quis enim hoc adolescente castior? quis modestior? quod in juventute habemus illustrius exemplum veteris sanctitatis? quis autem illo maledico ** impurior? Ignobilitatem (*c*) objicit C. Cæsaris filio, cujus etiam natura pater (1), si vita suppeditasset, consul fa-

* Al. *in Cæsarem maledicta .... suorum*. Sine interrogationis nota. ** Al. *qui maledicit*.

(1) *Cujus etiam natura pater*) Adoptatus fuerat ab avo materno C. Cæsare. Pater autem illius Cn. Octavius, decedens ex Macedonia, quam post præturam administraverat, ad petendum Consulatum, mortuus fuerat. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *At quam*) Hæc est secunda pars *Assumptionis*, ut notavi in *Exordio*, qua & contumeliosum, & crudelem hostem exhibet Antonium; cujus maledicta in C. Cæsarem fuerant vel de impudicitia, vel de ignobilitate.

(b) *Primum*) Quod objecerat Cæsari de impudicitia, in ipsum Antonium retorquet, probatque ab unius integritate, & alterius incontinentia.

(c) *Ignobilitatem*) Alterum crimen de ignobilitate propter Matrem Attiam Aricinam, multis rationibus diluit, 1. sic *a Comparatione minorum*:

Qui ducunt genus ex Municipiis, non sunt contemnendi;
Sed inter reliqua Municipia primum locum tenet Aricia;
Ergo qui Aricini sunt genere, non sunt contemnendi.

factus esset. Aricina (1) mater. Trallianam (2), aut Ephesiam putes dicere. Videte (*a*), quam despiciamur omnes, qui sumus e municipiis, id est, omnes plane. Quotus enim quisque non est? quod autem (*b*) municipium non contemnit is, qui Aricinum tantopere despicit, vetustate antiquissimum, jure fœderatum, propinquitate pene finitimum, splendore municipum honestissimum?

Hinc Voconiæ (3), hinc Scatiniæ leges: hinc multæ sellæ curules, & patrum memoria, & nostra: hinc equites Romani, lautissimi, & plurimi. * Sed si (*c*) Aricinam uxorem non probas, cur probas Tusculanam (4)? Quanquam hujus sanctissimæ fœminæ atque optimæ pater M. Attius Balbus, in primis honestus, prætorius fuit: tuæ conjugis, bonæ fœminæ, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter hæsi-

* Mur. *lautissimi*, *plurimi*, *& honestissimi*.

(1) *Aricina*) M. Attius Balbus Attiæ pater ex Julia erat Aricinus genere, licet non Ariciæ natus. Aricia porro distabat ab Urbe ad decimum lapidem. *M. Ant. Ferr.*

(2) *Trallianam*) Trallis, urbs Lydiæ: Ephesus in Jonia. *Idem*.

(3) *Voconiæ*) Voconius & Scatinius Tribuni plebis, legibus quas tulerunt celebres, erant Aricini. *Idem*.

(4) *Tusculanam*) Quam tu duxisti, M. Fadii, libertini hominis, filiam. Vide Philipp. 2. *Manutius*.

ANALYSIS.

(a) *Videte*) *Propositio*.

(b) *Quod autem*) *Assumptio* approbata tum ab Ariciæ antiquitate, honestate, & situ, tum a Municipum nobilitate.

(c) *Sed si*) 2. *Ab Adjunctis* personæ, hoc modo:

Ille non debet alteri objicere ignobilitatem, cui de ignobilitate multa objici possunt;

Sed multa objici possunt Antonio de ignobilitate;

Ergo eamdem ipse objicere non debet C. Cæsari.

Antonius enim duxerat uxorem Fadiam Tusculanam, filiam libertini hominis contemptissimi; deinde Fulviam, cujus avus maternus Sempronius Tuditanus mentis impos fuerat; illius Pater duxerat filiam proditoris; ac tandem omnem fere nobilitatem ex Matre Julia trahebat.

tantiam linguæ, ſtuporemque cordis (1), cognomen ex contumelia traxerit. At avus nobilis, Tuditanus (2) nempe ille, ille qui cum palla & coturnis nummos populo de Roſtris ſpargere ſolebat. Vellem hanc contemptionem pecuniæ ſuis reliquiſſet: * haberetis nobilitatem generis glorioſam. Qui autem * evenit, ut tibi Aricina natus (3) ignobilis videatur, cum tu eodem materno ge-

(1) *Qui propter hæſitantiam linguæ, ſtuporemque cordis*) Bambalio dictus ἀπὸ τȣ̃ βαμβαίνειν, quod eſt, τοῖς χείλεσι τρέμειν & βάμβαλον Phryges pudendam corporis partem vocant. Quæ legimus apud Heſychium. *Idem*. Nimirum Bambalio eſt Balbus, homo hæſitantis linguæ, ψελλιτής. *Græv.*

(2) *Tuditanus*) De quo Valerius Max. VII. 8.

* Lamb. Grut. *Habetis*.

* Man. Lamb. *convenit*.

(3) *Aricina natus*) Vulgo *Julia natus*. Ita plane ſcriptum eſt in optimo libro, cujus auctoritas apud me quidem longe pluſimum valet. Neque tamen rationem ullam diſpicere poſſum, qua hanc ſcripturam tuear. Octavianus enim, de cujus nobilitate hic agitur, non Juliam, ſed Attiam, ut notum eſt, matrem habuit. Itaque aut *Juliæ nepos*, aut, ut Ferrario viſum eſt, *Julia natus*, aut, quod mihi aliquando in mentem venerat, *Julia prognatus* legendum videretur. Verumenimvero totam rem accuratius conſideranti ita optime & facillime purgari videtur locus hic poſſe, ſi pro *natus* legamus *nata*. Quo autem argumento movear, ut ita credam, ex his quæ ſubjiciam intelligetur. Octaviano ignobilitatem objecerat Antonius. Eam Cicero modis omnibus removere conatur: atque oſtendere, Octavianum neque paterna, neque materna ſtirpe ignobilem eſſe. Ad paternam quod attinet: patres Octavianus habuit duos, natura C. Octavium, adoptione Cæſarem. Ab hoc quidem poſteriore ignobilis haberi non poterat. Quid enim Cæſare nobilius? Itaque hoc primo argumento Cicero utitur: idque, quia ſatis per ſe notum erat, uno verbo concludit, cum ait: *Ignobilitatem objicit C. Cæſaris filio*. Sed & priorem illum nobilem fuiſſe confirmat ex eo, quod, ſi vita ſuppeditaſſet, conſul erat futurus. Quod & Suetonius teſtatur his verbis: *Decedens Macedonia, prius quam conſiteri ſe candidatum conſulatus poſſet, morte obiit repentina*. Inde tranſit Cicero ad matrem Octaviani, eamque nullo modo ignobilem fuiſſe confirmat. Exagitaverat eam Antonius, primum ut Aricinam. Hoc repellit Cicero, primum ita, ut municipium illud honeſtiſſimum eſſe, ſemperque fuiſſe doceat, neque ulla re inferius Tuſculo, unde ipſe Antonius uxorem habuerit Fadiam. Ad poſtremum etiam addit, L. Philippum, & C. Marcellum, clariſſimos viros, illum Aricinam uxorem, hunc Aricina natam habere. Ac ne quis putaret Attiam in municipio ſuo ignobilem fuiſſe, docet, eam quoque utraque ſtirpe nobilem eſſe. Natam enim pa-

genere soleas gloriari? Quæ porro amentia est, eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate, cujus pater Numitoriam Fregellanam, proditoris filiam, habuerit uxorem; ipse ex libertini filia susceperit liberos? Sed hoc (*a*) clarissimi viri viderint, L. Philippus, qui habet Aricinam uxorem, C. Marcellus, qui Aricinæ filiam: quos certe scio dignitatis optimarum fœminarum non pœnitere.

VII. Idem etiam (*b*) Q. Ciceronem, fratris mei filium, compellat edicto (1): nec sentit amens, commendationem esse compellationem suam. Quid enim accidere huic adolescenti potuit optatius, quam cognosci ab hominibus, Cæsaris con-

patre quidem, non Bambalione quopiam, aut divisore, sed M. Attio Balbo, homine prætorio, matre vero Julia, C. Julii Cæsaris sorore, id est, ex eadem gente, ex qua matrem suam esse gloriaretur Antonius. Addit & alia, sed quæ necesse non sit persequi: hoc enim tantum docere volui, cum de Attia hic agatur, *nata*, non *natus*, legendum videri. *Muret.* Non video causam, cur rejiciamus, quod in pluribus libris legimus, *ut is tibi Aricina natus ignobilis videatur*. M. Antonius dixerat *Aricina mater*, ut clare Servius ad V. Æneid. istum versum;

Alter Atys, genus unde Atti duxere Latini:

observat: *Propter Attiam dicit matrem Augusti, de qua Antonius dicit, Aricina mater*, quod hausit ex hoc istius orationis capite Servius. Cicero dicit, Licet sit mater Octaviani Aricina (quamvis vere non fuerit Aricina, sed paternum tantum Attiæ genus sit Aricinum) cur tamen tibi is, qui ex hac Aricina, ut tu ais, natus est, ignobilis videatur, cum tuum maternum genus sit ejusdem originis, quæ est hujus Aricinæ, nimirum Julium? Sequentia lectionem istam afferunt: *L. Philippus qui habet uxorem Aricinam*, quæ est mater Octaviani, *& C. Marcellus, qui Aricinæ filiam*, quæ est Octaviani soror. Ut non videam cur ita hic hæsitarent viri docti. *Grævius*. Hic a cæteris omnibus, duce uno Grævio, discessi. *Olivet.*

(1) *Compellat edicto*) Carpit eum, & vituperat. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Sed hoc*) 3. *Ab exemplis similibus*; nam L. Philippu- Attiam matrem C. Cæsaris, C. Marcellus Octaviam ejusdem sororem uxores habebant, nec tamen quisquam illius objicere audeat ignobilitatem.

(b) *Idem etiam*) Maledicta in Q. Ciceronem refellit, quod ille videretur bene de Rep. sentire, quem probrose compellasset Antonius.

filiorum esse socium, Antonii furoris inimicum? At etiam (a) gladiator ausus est scribere, hunc de patris & patrui parricidio cogitasse. O admirabilem impudentiam, audaciam, temeritatem! in eum adolescentem hæc scribere audere, quem ego & frater meus, propter ejus suavissimos atque optimos mores, præstantissimumque ingenium, certatim amamus, omnibusque horis, oculis, auribus, complexu tenemus? Nam me (b) iisdem edictis nescit, lædat, an laudet. Cum idem supplicium minatur optimis civibus, quod ego de sceleratissimis & pessimis sumpserim, * laudare videtur, quasi imitari velit. Cum autem illam pulcherrimi facti memoriam refricat, tum a sui similibus invidiam aliquam in me commoveri putat.

Sed ipse (c) quid fecit? Cum tot edicta proposuisset, edixit, ut adesset senatus frequens a. d. VIII. Kalendas Decembres; eo die ipse non affuit. At quomodo edixit? hæc sunt, opinor, verba in extremo: *Si quis non affuerit, hunc omnes existimare poterunt, & interitus mei, & perditissimorum consiliorum auctorem fuisse*. Quæ sunt perdita consilia? an ea, quæ pertinent ad libertatem populi Romani recuperandam? quorum consiliorum Cæsari me auctorem, & hortatorem, & esse, & fuisse fateor. Quanquam ille non eguit consilio cujusquam: sed tamen currentem, ut dici-

* Al. omittunt *& pessimis*.

ANALYSIS.

(a) *At etiam*) Alterum convicium negat *a testimonio* suo, & fratris.

(b) *Nam me*) Se quoque læsum ab Antonio ostendit, & cum irrisione, atque increpatione ejusdem breviter respondet.

(c) *Sed ipse*) Carpit deinde verba quædam alterius edicti, quo Senatum Antonius vocaverat, & quod neglexerit obire diem edicti, ita reprehendit *a Causis*:

Impudens est, qui statuto die non habet Senatum, ut vino indulgeat;
Sed Antonius non habuit Senatum statuto die, ut vino, & epulis indulgeret;
Ergo summa fuit Antonii impudentia.

citur, incitavi. Nam interitus quidem tui quis bonus non esset auctor, cum in eo salus & vita optimi cujusque, & libertas populi Romani dignitasque consisteret?

VIII. Sed cum tam atroci edicto nos concitavisset, cur ipse non affuit? num putatis aliqua re tristi ac severa? Vino atque epulis retentus est: si epulæ potius, quam popinæ, nominandæ sunt. Diem edicti obire neglexit: in ante diem quartum Kal. Decembris distulit. Adesse in Capitolio jussit: quod in templum (*a*) ipse nescio qua, per Gallorum cuniculum (1) adscendit. Convenerunt corrogati, & quidem ampli quidam homines, sed immemores dignitatis suæ. Is enim erat dies, ea fama, is, qui senatum vocarat, ut turpe senatori esset, nihil timere. Ad eos tamen ipsos, qui convenerant, ne verbum quidem ausus est facere de Cæsare, cum de eo constituisset ad senatum referre. Scriptam attulerat consularis quidam sententiam. Quid est aliud (*b*), de eo referre non audere, qui contra se consulem exercitum duceret, nisi seipsum hostem judicare? Necesse enim (*c*) erat alterutrum esse hostem: nec poterat aliter de adversariis ducibus judicari. Si igitur C. Cæsar, ho-

(1) *Per Gallorum cuniculum*) Occulte quasi per Gallorum cuniculum, cum in Capitolium noctu per cuniculum ascendentes proditi sunt ab anseribus. *Idem*. Gallorum, ut videtur, *cuniculum*, appellat meatum, per quem Galli in Capitolium introierant, cum sunt a Manlio deturbati. Rem narrat Livius lib. v. cap. 47. *Anonym.*

ANALYSIS.

(a) *Quod in templum*) Habitum tandem Senatum narrat in Capitolio, quodque non ausus fuerit Antonius referre de Cæsare, tali eum *Dilemmate* coarguit:

Aut C. Cæsar hostis est Reip., aut Antonius;
Sed Antonius non est ausus vocare improbum Cæsarem, nedum hostem;
Ergo se ipse & improbum, & hostem judicat.

(b) *Quid est aliud*) *Assumptio* cum *Complexione*, quæ infra etiam repetitur.

(c) *Necesse enim*) *Propositionis* approbatio.

hostis; cur consul nihil refert ad senatum? sin ille a senatu notandus non fuit, quid potest dicere, quin, cum de illo tacuerit, se hostem esse confessus sit? Quem in edictis Spartacum appellat, hunc in senatu ne improbum quidem dicere audet.

IX. At in rebus (*a*) tristissimis quantos excitat risus? Sententiolas edicti cujusdam memoriæ mandavi, quas videtur ille peracutas putare: ego autem, qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inveni. *Nulla contumelia est, quam facit dignus* (1). Primum quid est, *dignus*? nam etiam malo digni multi, sicut ipse. An quam facit is, qui cum dignitate est? quæ autem potest esse major? Quid est porro, *facere contumeliam*? quis sic loquitur? Deinde (*b*): *Nec timor, quem denuntiat inimicus*. Quid ergo? ab amico timor denuntiari solet? Horum similia deinceps. Nonne satius est mutum esse, quam, quod nemo intelligat, dicere? En, cur magister ejus, ex oratore arator factus *, possideat in agro publico populi Romani campi Leontini duo millia jugerum immunia, ut hominem stultum magis etiam infatuet mer-

* Al. *factus sit*.

(1) *Nulla contumelia est, quam facit dignus*) M. Antonii Triumviri sententia, quam reprehendit Cicero, quid significet, curve illam Cicero reprehenderit, alterum jam seculum agitur, ex quo in quæstione fuit. Vexillum errandi, inquit J. F. Gronovius, omnibus sustulit Quintilianus, lib. 9. Institut. cap. 3. Deinde postquam recensuit Hadriani Cardinalis, Erasmi, Jul. Scaligeri, Camerarii, Turnebi, Rami, Mureti, Barrienti, Strebæi, Gifanii, Scip. Gentilis, Scotti, Scioppii, Salmasii de isto loco sententias, suam subjicit. Quæ omnia, si eo animo es, lege apud ipsum, *Observat* lib. III. cap. 8.

ANALYSIS.

(a) *At in rebus*) Nunc rudem, & barbarum in edictis reprehendit Antonium: in prima quidem sententia arguit dubiam significationem vocis *Dignus*; deinde contendit, maximam contumeliam esse ab eo, qui est cum dignitate, contra Arist. I. 2. c. 2. t. 10. postremo negat esse latinum, *facere contumeliam*.

(b) *Deinde*) Alteram sententiam de timore pariter reprehendit, ut insulsam, cum inimici semper denuntient timorem, nunquam amici.

mercede publica. Sed hæc leviora (a) fortasse.

Illud quæro, cur tam subito mansuetus in senatu fuerit, cum in edictis tam fuisset ferus. Quid autem attinuerit, L. Cassio (1), tribuno plebis fortissimo & constantissimo civi, mortem denuntiare, si in senatum venisset? D. Carfulenum, bene de republica sentientem, e senatu vi & minis mortis expellere? Tib. Canutium, a quo erat honestissimis contentionibus * & sæpe, & jure vexatus, non templo solum, verum etiam aditu prohibere Capitolii? Cui senatusconsulto ne intercederent, verebatur? De supplicatione (b), credo, M. Lepidi, clarissimi viri. Atque id erat periculum, de cujus honore extraordinario (2) quotidie aliquid cogitabamus, ne ejus usitatus honos impediretur. Ac, ne sine (c) causa videretur edixisse, ut senatus adesset, cum de republica relaturus fuisset, allato nuntio de legione quarta, mente concidit; & fugere festinans, S. C. de supplicatione (3) per discessionem (4) fecit, cum id factum esset antea nunquam.

X. Quæ

* Al. *concionibus*.

(1) *L. Cassio*) Fratri ejus Cassii, qui Cæsarem occiderat, epist. 2. lib. XII. Famil. & epist. 2. lib. XIV. ad Attic. *Man.*

(2) *De cujus honore extraordinario*) Vere dicit: nam postea Lepidum ornatum esse summis honoribus a senatu indicat epistola ad eum, lib. X. Fam. *Idem*.

(3) *De supplicatione*) Lepidi.

(4) *Per discessionem*) Serius enim res confecta esset, si, ut mos erat., singuli Senatores sententiam dixissent. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Sed hæc leviora*) His obiter dictis, accusat stoliditatis Antonium, quod non retulerit de C. Cæsare, & quia Senatu prohibuerat bene sentientes de Rep. Tribunos, cum nihil de Cæsare esset relaturus.

(b) *De Supplicatione*) *Prolepsis*, cui sic occurrit:
Ejus honorem non erant impedituri Tribuni, quem honore dignum omnes putant;
Sed omnes putant M. Lepidum dignum honore;
Ergo illius honorem non erant impedituri Tribuni.

(c) *Ac, ne sine*) Pergit narrare, & insectari, quæ fecerit Antonius in Senatu; additque laudem Tribunorum, qui proinde Reip. curam susceperant.

X. Quæ vero profectio postea? quod iter paludati? quæ vitatio oculorum, lucis, urbis, fori? quam misera fuga? quam fœda? quam turpis? Præclara tamen senatusconsulta illo ipso die, vespertina (1): provinciarum religiosa sortitio: divina vero opportunitas (2), ut, quæ cuique apta esset, ea cuique obveniret. Præclare igitur facitis, Tribuni plebis, qui de præsidio consulum (3), senatusque referatis, meritoque vestro maximas vobis gratias omnes & agere, & habere debemus. Qui enim carere metu & periculo * possumus in tanta hominum cupiditate & audacia? Ille autem (*a*) homo afflictus, & perditus, quæ de se expectat judicia graviora, quam amicorum suorum? Familiarissimus ejus, mihi homo conjunctus, L. Lentulus, & P. Naso, omni carens cupiditate, nullam se habere provinciam, nullam Antonii sortitionem fuisse judicaverunt. Quod idem fecit L. Philippus, vir patre, avo, majoribus suis dignissimus. In eadem sententia fuit homo summa integritate atque innocentia M. Turranius. Idem fecit Sp. Oppius. Ipsi etiam, qui, amicitiam M. Antonii veriti, plus ei tribuerunt, quam fortasse vellent, M. Piso, meus necessarius, & vir & civis egregius, parique innocentia M. Vehilius, se-

* Al. *Qui enim periculo carere.*

(1) *Vespertina*) S. C. ante ortum, aut post occasum solis facta, rata non fuisse docet M. Varro apud Gellium. *Ferrat.*

(2) *Divina vero opportunitas*) Jocatur: id est: minime divina, sed vitio & arte facta, ut, quæ cuique apta esset, ea cuique obveniret. *Manut.*

(3) *Consulum*) Designatorum.

ANALYSIS.

(a) *Ille autem*) Sortitionem illam provinciarum, quam supra attigit, hic ut vitiosam coarguit *ab Adjunctis*:

Ea sortitio vitiosa est, quæ repudiatur ab Amicis Antonii, & qua obveniunt quibusdam hæ provinciæ, quas optabant;
Sed Antonii sortitio ab illius amicis repudiata est, quibusdam vero eas provincias dedit, quas optabant;
Ergo est vitiosissima.

senatus auctoritati se obtemperaturos esse dixerunt.

Quid ego de L. Cinna loquar? cujus spectata multis magnisque rebus singularis integritas minus admirabilem fecit hujus honestissimi facti gloriam: qui omnino provinciam neglexit: quam item magno animo & constanti C. Cestius * repudiavit. Qui sunt igitur reliqui, quos sors divina (1) delectet? L. Antonius, & M. Antonius. O felicem utrumque! nihil enim maluerunt **. C. Antonius Macedoniam. Hunc quoque felicem! hanc enim semper habebat in ore provinciam. C. Calvisius Africam. Nihil felicius. Modo enim ex Africa decesserat, & quasi divinans se rediturum, duos legatos Uticæ reliquerat. Deinde M. (*a*) Iccius Siciliam, Q. Cassius Hispaniam. Non habeo, quid suspicer. Duarum credo provinciarum sortes minus divinas fuisse.

XI. O C. Cæsar (*b*), (adolescentem appello) quam tu salutem reipublicæ attulisti? quam improvisam? quam repentinam? Qui enim hæc fugiens fecerit, quid faceret insequens? Etenim in concione dixerat, se custodem fore urbis: usque ad Kalendas Majas ad urbem exercitum habiturum. O præclarum custodem ovium (ut ajunt) lupum! Custosne urbis, an direptor & vexator esset Antonius? Et quidem se introiturum in urbem dixit, exiturumque cum vellet. Quid illud? nonne audiente populo, se-

* Faer. *C. Cessedius*. ** Grut. *metuerunt*.

(1) *Sors divina*) Et hic jocatur in sortem vitio factam *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Deinde M.*) Duos excipit, Iccium, & Cassium.

(b) *O C. Cæsar*) Per *apostrophen* ad C. Cæsarem transit ad Antonii crudelitatem, quam sic exaggerat *a minori ad majus*:

Crudelior futurus est Antonius in victoria, quam in fuga;
Sed tyrannice multa fecit, cum fugeret;
Ergo crudelissimus erit, si vicerit.

Quod confirmatur per ea, quæ palam in concione dixerat Antonius.

sedens pro æde Castoris, dixit, nisi qui vicisset, victurum neminem?

Hodierno die (*a*) primum, Patres Conscripti, longo intervallo in possessionem libertatis pedem ponimus: cujus quidem ego, quoad potui, non modo defensor, sed etiam conservator fui. Cum autem id facere non possem, quievi: nec abjecte, nec sine aliqua dignitate, casum illum temporum & dolorem tuli. Hanc vero teterrimam belluam quis ferre posset, aut quomodo? Quid est in Antonio, præter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? Ex his totus * conglutinatus est: nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum.

PERORATIO.

Quapropter, (*b*) quoniam res in id discrimen adducta est, utrum ille pœnas reipublicæ luat, an nos serviamus: aliquando, per deos immortales! Patres Conscripti, patrium animum virtutemque capiamus, ut aut libertatem propriam Romani & generis & nominis recuperemus, aut mortem servituti anteponamus. Multa, quæ (*c*) in libera civitate ferenda non essent, tulimus, & perpessi su-

* Col. *Ex his tot vitiis.*

ANALYSIS.

(a) *Hodierno die*) Excusat suum silentium usque ad eum diem, seque ait quievisse, non ut parceret Cæsari, sed quod opem Reip. ferre non posset.

(b) *Quapropter*) Motus excitat, hortaturque Patres, ut in Antonium fortiter decernant, & mortem præferant servituti.

(c) *Multa, quæ*) Movet in primis *Verecundiam*, argumento *a Comparatione minorum*, quod supra etiam attingitur:

Minus acerba erat servitus sub Cæsare, quam futura sit sub Antonio;

Sed jugum servitutis sub Cæsare necessitate tulimus, & demum dejecimus;

Ergo multo minus pati servitutem debemus sub Antonio.

Propositio nititur *Comparatione* Cæsaris, & Antonii, quæ habetur Phil. 2. *Assumptio* hic præcedit, sequitur *Complexio*. Arist. l. 2. c. 6. t. 67.

sumus: alii spe recuperandæ libertatis, alii vivendi nimia cupiditate. Sed, si illa tulimus, quæ nos necessitas ferre coegit, quæ vis quædam pene fatalis, quæ tamen ipsa non tulimus (1), etiamne hujus impuri latronis feremus teterrimum crudelissimumque dominatum?

XII. Quid hic faciet (*a*) si potuerit, iratus, qui cum succensere nemini posset (2), omnibus bonis fuerit inimicus? quid hic victor non audebit, qui nullam adeptus victoriam, tanta scelera post Cæsaris interitum fecerit; refertam ejus domum exhauserit; hortos compilarit; ad se ex his omnia ornamenta transtulerit; cædis & incendiorum causam quæsierit ex funere (3); duobus aut tribus senatusconsultis, bene & e republica factis, reliquas res ad lucrum prædamque revocaverit; vendiderit immunitates; civitates liberaverit; provincias universas ex imperii populi Romani jure sustulerit; exules reduxerit; falsas leges C. Cæsaris nomine, & falsa decreta in æs incidenda, & in Capitolio figenda curaverit, earumque rerum omnium domesticum mercatum instituerit; populo Romano leges imposuerit; armis & præsidiis populum & magistratus foro excluserit;

(1) *Quæ tamen ipsa non tulimus*) Jugum servitutis, occiso tyranno, dejecimus. *Man.*

(2) *Posset*) Jure. *Idem.*

(3) *Ex funere*) Cum Cæsarem funebri laudans oratione, populum cum facibus impulit ad domos Cassii, & Bruti. *Idem.* Vide Philipp. 2.

ANALYSIS.

(a) *Quid hic faciet*) Deinde *Timorem* inducit *Comparatione* ducta *ab Adjunctis*, quæ sic se habet:

Qui crudelis est neque læsus, neque victor, multo erit crudelior iratus, & victor;

Sed Antonius neque læsus, neque victor, crudelis fuit, & tyrannus;

Ergo multo magis, si nunc vicerit, cum est iratus.

Amplificat *Assumptionem* enumerando quicquid avare, & crudeliter Antonius fecerat post Cæsaris mortem. Arist. l. 2. c. 5. t. 42. & 46.

rit; senatum stiparit armatis; armatos in cella Concordiæ, cum senatum haberet, incluserit; ad legiones Brundusium cucurrerit; ex his optime sentientes centuriones jugulaverit; cum exercitu Romam sit ad interitum nostrum, & ad disperditionem * urbis venire conatus? Atque is ab hoc impetu abstractus consilio & copiis Cæsaris, consensu veteranorum, virtute legionum, ne fortuna quidem fractus minuit audaciam: nec ruere demens, nec furere desinit. In Galliam mutilatum ducit exercitum: cum una legione (a) & ea vacillante, L. fratrem (1) expectat: quo neminem reperire potest sui similiorem. Ille autem ex mirmillone (2) dux, ex gladiatore imperator, quas fecit ** strages, ubicunque posuit vestigia? Cædit greges armentorum, reliquique pecoris, quodcunque nactus est: epulantur milites: ipse autem se, ut fratrem imitetur, obruit vino: vastantur agri: diripiuntur villæ: matresfamilias, virgines, pueri ingenui abripiuntur, militibus traduntur. Hæc eadem, quacunque exercitum duxit, fecit M. Antonius.

XIII. His vos teterrimis fratribus portas aperietis, hos unquam in urbem recipietis? non tempore (b) oblato, ducibus paratis, animis militum

* Mss. *dispersionem*. ** Lamb. *facit*.

(1) *Lucium fratrem*) Natu minimum ex tribus. Fuerat autem Tribunus pl. eodem anno, quo & Consul Marcus, & prætor Cajus. *Idem*.

(2) *Ex mirmillone*) Ex gladiatore. Gladiatorum nomina fuere, Retiarii, Mirmillones, Thraces, Secutores. Pugnaverat Lucius in Asia Mirmillo cum Thrace. Hæc enim duo genera componi solere, ostendit ille versus Ausonii: *Quis Mirmilloni componitur æquimanus? Thrax*. Vide Phil. 5. 6 7. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Cum una legione*) L. Antonii fratris avarum, & crudelem animum etiam exaggerat *ab Effectis*, statimque interrogando subdit *Complexionem*.

(b) *Non tempore*) Tertio *Confidentiam* excitat pariter *ab Adjunctis*:

Bene Senatus sperare debet, si, cum habeat paratos Duces, mili-

tum incitatis, populo Romano conſpirante, Italia tota ad libertatem recuperandam excitata, deorum immortalium beneficio utemini? Nullum erit tempus, hoc amiſſo: a tergo, a fronte, a lateribus tenebitur. Si in Galliam venerit, non ille armis * (*a*) ſolum, ſed etiam noſtris decretis urgendus eſt. Magna vis eſt, magnum ** nomen unum & idem ſentientis ſenatus. Videtis refertum forum, populumque Romanum ad ſpem recuperandæ libertatis erectum? qui longo intervallo cum frequentes hic videt nos, tum ſperat etiam liberos conveniſſe.

Hunc ego (*b*) diem expectans, M. Antonii ſcelerata arma vitavi, tum, cum ille in me abſentem invehens, non intelligebat, ad quod tempus *** me & meas vires reſervarem. Si enim illi tum cædis initium a me quærenti reſpondere voluiſſem, nunc reipublicæ conſulere non poſſem. Hanc vero nactus facultatem, nullum tempus, Patres Conſcripti, dimittam, neque diurnum, neque nocturnum, quin de libertate populi Romani, de dignitate veſtra quod cogitandum ſit, cogitem, quod agendum, atque faciendum, id non modo non recuſem, ſed appetam etiam, atque depoſcam. Hoc feci ſemper, dum licuit: intermiſi, quoad non licuit. Jam non ſolum licet, ſed etiam ne-

* Al. *tenebitur, ſi in Galliam venerit: nec illis armis.*
** Vict. Lamb. *numen.* *** Ferrar: *quod ad tempus.*

ANALYSIS.

milites, Populum R., & Italiam, ipſe quoque fortiter in Antonium decernat;
Sed ea omnia jam habet Senatus;
Ergo bene ſperare debet, ſi & ipſe in Antonium fortiter decernat.
Non tempore) *Aſſumptio* cum *Complexione.*
(a) *Non ille armis*) *Propoſitionis* ſecunda pars approbata a Senatus auctoritate.
(b) *Hunc ego*) Cum de Ducibus militum ſatis conſtaret; ne Senatui quidem Ducem defuturum oſtendit, Seque conſtantem fore pollicetur. Ariſt. ibidem, tex. 59. Utrumque autem πάθος Orator movet, quia ex Patribus alii nihil timebant, hinc *metus* excitandus; alii deſperabant, hinc *Confidentia.*

necesse est: nisi servire malimus, quam, ne serviamus, armis animisque decernere. Dii immortales nobis hæc præsidia dederunt; urbi Cæsarem, Brutum Galliæ. Si enim ille urbem opprimere potuisset statim, si Galliam tenere paulo post, optimo cuique pereundum, reliquis esset serviendum.

XIV. Hanc igitur (*a*) occasionem oblatam tenete, per deos immortales! Patres Conscripti, & amplissimi orbis terræ consilii principes vos esse aliquando recordamini. Signum date (*b*) populo Romano, consilium vestrum non deesse reipublicæ, quoniam ille virtutem suam non defuturam esse profitetur. Nihil est, quod moneam vos. Nemo est (*c*) tam stultus, qui non intelligat, si indormierimus huic tempori *, non modo crudelem superbamque dominationem nobis, sed ignominiosam etiam, & flagitiosam ferendam esse. Nostis insolentiam Antonii, nostis amicos, nostis totam domum. Libidinosis, petulantibus, impuris, impudicis, aleatoribus, ebriis servire, ea est summa miseria, summo dedecore conjuncta. Quod si jam (*d*) (quod dii omen avertant) fatum extremum reipublicæ venit; quod gladiatores nobiles faciunt, ut honeste decumbant, faciamus nos, principes orbis terrarum gentiumque omnium, ut cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia serviamus. Nihil est detestabilius dedecore, nihil fœdius servitute. Ad decus & libertatem nati

* Al. *si dormierimus hoc tempore*.

ANALYSIS.

(a) *Hanc igitur*) Sequitur adhortatio, & quidem 1. *a Dignitate*.

(b) *Signum date*) 2. *A constantia*, *&* *fide*, & Populi *simili exemplo*.

(c) *Nemo est*) 3. *A dedecore*, quod ignominosa futura sit servitus sub Antonio.

(d) *Quod si jam*) 4. *A Comparatione minorum*, præferendam esse mortem servituti, cum etiam Servi, & Gladiatores honeste potius mori, quam cedere velint.

ti ſumus: aut hæc teneamus, aut cum dignitate moriamur.

Nimium diu (*a*) teximus, quid ſentiremus: nunc jam apertum eſt: omnes jam patefecerunt, in utramque partem quid ſentiant, quid velint. Sunt impii cives, pro caritate reipubl. nimium multi, pro multitudine bene ſentientium, admodum pauci, quorum opprimendorum dii immortales incredibilem reipublicæ poteſtatem & fortunam dederunt. Ad ea enim præſidia, quæ habemus, jam accedunt conſules ſumma prudentia, virtute, concordia, multos menſes de populi Romani libertate commentati, atque meditati. His auctoribus & ducibus, diis juvantibus, nobis vigilantibus & multum in poſterum providentibus, populo Romano conſentiente, erimus profecto liberi brevi tempore. Jucundiorem autem faciet libertatem ſervitutis recordatio.

XV. Quas ob res (*b*), quod tribuni plebis verba fecerunt, ut ſenatus Kalendis Januariis tuto haberi, ſententiæque de ſumma republica * libere dici poſſint: de ea re ita cenſeo, Ut C. Panſa, „ A. Hirtius, conſules deſignati, dent operam, „ ut ſenatus Kalendis Januariis tuto haberi poſ„ ſit: quodque edictum D. Bruti, imperatoris, „ conſulis deſignati, optime de republica meriti, „ propoſitum ſit, ſenatum exiſtimare, D. Bru„ tum, imperatorem, conſulem deſignatum, opti„ me de republica mereri, cum ſenatus auctorita„ tem, populique Romani libertatem imperium„ que defendat. Quodque Galliam provinciam ci„ teriorem, optimorum & fortiſſimorum virorum,

 „ ami-

* Al. *reip.*

ANALYSIS.

(a) *Nimium diu*) 5. *Ab adjunctis*, quod multo paratior Senatus erat, quam Antonius; quod valet ad *Confidentiam*.

(b) *Quas ob res*) Ultimo ſuam ſententiam proponit, quæ tria comprehendit, edictum D. Bruti, omnes Provincias contra ſortitionem Antonii, & præmia Cæſaris, ac legionum.

„ amicissimorum populo Romano civium, exerci-
„ tumque in senatus potestate retineat, id eum,
„ exercitumque ejus, municipia, colonias provin-
„ ciæ Galliæ, recte atque ordine, exque republi-
„ ca fecisse, & facere. Senatum ad summam rem-
„ publicam pertinere arbitrari, a D. Bruto & ab
„ L. Planco, imperatoribus, consulibus designatis,
„ itemque a cæteris, qui provincias obtinent, ob-
„ tineri ex lege Julia, quoad ex senatusconsulto
„ cuique eorum successum sit: eosque dare ope-
„ ram, ut eæ provinciæ, exercitusque in senatus
„ populique Romani potestate, præsidioque reipu-
„ blicæ sint. Cumque opera, virtute, consilio C.
„ Cæsaris, summoque consensu militum veterano-
„ rum, qui ejus auctoritatem secuti, reipublicæ
„ præsidio sunt, & fuerunt, & a gravissimis pe-
„ riculis populus Romanus defensus sit, & hoc
„ tempore defendatur: cumque legio Martia Al-
„ bæ constiterit, in municipio fidelissimo & for-
„ tissimo, seseque ad senatus auctoritatem, popu-
„ lique Romani libertatem contulerit: quod pari
„ consilio, eademque virtute legio quarta usa, L.
„ Egnatulejo duce, cive egregio, senatus auctori-
„ tatem, populique Romani libertatem defendat,
„ ac defenderit: senatui magnæ curæ esse, ac fo-
„ re, ut pro tantis eorum in rempublicam meri-
„ tis honores eis habeantur, gratiæque referan-
„ tur. Senatui placere, uti C. Pansa, A. Hir-
„ tius, consules designati, cum magistratum inis-
„ sent, si eis videretur, primo quoque tempore de
„ his rebus ad hunc ordinem referrent, ita uti e
„ republica, fideque sua videretur.

IN

IN
M. ANTONIUM.
AD QUIRITES.
PHILIPPICA IV.
ARGUMENTUM.

EXponit in concione, quæ acta sint in Senatu: Cæsarem & D. Brutum effert laudibus: populum ad libertatem cohortatur. MANUT.

Obscurum in hac oratione nihil est, nihil, quod possit lectorem retardare, modo Latine sciat, neque ignoret qua de re agatur.

PHILIPPICÆ IV. SYNOPSIS.

GEnus hujus Orationis *Deliberativum* est, an fuerit Antonius judicatus hostis a Senatu re, si non verbo.

In tres dividitur partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

In *Exordio* sibi conciliat *benevolentiam*: *Frequentia vestrum*; & affert *propositionem* universalem: *Hodierno enim die*.

In *Contentione* probat Antonium judicatum fuisse hostem a Senatu, quia illius inimici laudati fuerant *per Dilemma*: *Neque enim, Quirites*.

1. De Cæsare: *C. Cæsar*; cujus beneficium amplificat *ab Effectis*: *Qui cum servitute*.

2. De legionibus Martia, & Quarta: *Quid legio Martia?*

3. De Bruto: *Quid? D. Bruti*.

4. De Gallia provincia: *Deinceps laudatur*; concludit *per Distributionem* a nemine Consulem Antonium judicari: *Negat hoc D. Brutus*; & populum facit *Confidentem*: *Quod ita futurum esse*.

In *Peroratione* præmittitur excusatio quædam: *Faciam igitur*. Deinde hortatur populum ad bellum *ab Adjunctis*, quippe necessarium: *Non est, non est*. A majorum virtute *per Comparationem minorum*: *Hanc retinete, quæso*. Et *a dissimili Exemplo* Catilinæ: *Nam, quod se similem*; suamque constantiam attestatur pro Rep. *Equidem, quantum cura*.

EXORDIUM.

I. FRequentia (*a*) vestrum incredibilis, Quirites, concioque tanta, quantam meminisse non videor, & alacritatem mihi summam defendendæ reipublicæ affert, & spem recuperandæ *. Quanquam animus quidem mihi nunquam defuit, tempora defuerunt: quæ simulac primum aliquid lucis ostendere visa sunt, princeps vestræ libertatis defendendæ fui. Quod si ante facere conatus essem, nunc facere non possem. Hodierno enim (*b*) die, Quirites, ne mediocrem rem actam arbitremini, fundamenta jacta sunt reliquarum actionum. Nam est hostis a senatu nondum verbo appellatus, sed re jam judicatus Antonius.

CONTENTIO.

Nunc vero (*c*) multo sum erectior, quod vos quo-

* Al. *recuperandæ libertatis*.

ANALYSIS.

(a) *Frequentia*) Ut *benevolentiam* sibi conciliet, tum se de Rep. sollicitum ostendit, tum suum excusat usque ad ea tempora silentium.

(b) *Hodierno enim*) *Propositio* hujus Orationis.

(c) *Nunc vero*) Hæc prima est populi acclamatio; Cicero autem

quoque illum hostem esse tanto consensu, tantoque clamore approbavistis. Neque enim (*a*), Quirites, fieri potest, ut non aut ii sint impii, qui contra consulem exercitus comparaverunt, aut ille hostis, contra quem jure arma sumpta sunt. Hanc igitur (*b*) dubitationem, quanquam nulla erat, tamen ne qua posset esse, senatus hodierno die sustulit. C. Cæsar, qui rempublicam, libertatemque vestram suo studio, consilio, patrimonio denique tutatus est, & tutatur, maximis senatus laudibus ornatus est.

Laudo, laudo vos, Quirites, cum gratissimis animis prosequimini nomen clarissimi adolescentis, vel pueri potius. Sunt enim (*c*) facta ejus immortalitatis, nomen ætatis *. Multa memini, multa audivi, multa legi: nihil ex omnium seculorum memoria tale cognovi. Qui, cum (*d*) servitute premeremur, & in dies malum cresceret, præsidii nihil haberemus, capitalem & pestiferum Brundusio M. Antonii reditum timeremus, hoc insperatum omnibus consilium, incognitum certe, ceperit **, ut exercitum invictum ex paternis militibus conduceret ***, Antoniique furorem, crudelissimis con-

* Al. *non ætatis*. ** Mul. *reperit*.
*** Al. *conficeret*.

ANALYSIS.

autem pergit probare, quod proposuerat, hoc *Dilemmate*:

Aut Antonius hostis est, aut qui ceperunt arma in Antonium;
Sed Cæsarem, ejusque legiones & Brutum Senatus laudavit, & merito laudavit, quod in Antonium arma ceperint;
Ergo Senatus re, si non verbo judicavit hostem Antonium.

(a) *Neque enim*) *Propositionis* approbatio *ab Adjunctis* personæ.

(b) *Hanc igitur*) *Assumptio* de Cæsare, & sequitur secunda Populi de eodem Cæsare acclamatio.

(c) *Sunt enim*) Merito laudari Cæsarem, sic *ab Effectis* confirmat:

Ille dignus est omni laude, qui ne Resp. omnino periret, providit;
Sed Cæsar comparato exercitu providit, ne Resp. omnino periret;
Ergo Cæsar dignus est omni laude.

(d) *Qui, cum*) *Assumptio*.

consiliis incitatum, a pernicie reipublicæ averteret.

II. Quis est enim (*a*), qui hoc non intelligat, nisi Cæsar exercitum paravisset, non sine exitio nostro futurum Antonii reditum fuisse? Ita enim se recipiebat ardens odio vestri, cruentus sanguine civium Romanorum, quos Suessæ, quos Brundusii occiderat, ut nihil, nisi de reipublicæ pernicie cogitaret. Quod autem erat præsidium salutis libertatisque vestræ, si C. Cæsaris, fortissimorum sui patris militum, exercitus non fuisset? Cujus de laudibus (*b*) & honoribus, qui ei pro divinis & immortalibus meritis divini immortalesque debentur, mihi senatus assensus paulo ante decrevit, ut primo quoque tempore referretur. Quo decreto quis non perspicit Antonium hostem esse judicatum? Quem enim appellare possumus eum, contra quem qui exercitus ducunt, iis senatus arbitratur singulares exquirendos honores?

Quid legio (*c*) Martia? quæ mihi videtur divinitus ab eo deo traxisse nomen, a quo populum Romanum generatum accepimus. Non ipsa suis decretis prius, quam senatus, hostem judicavit Antonium? Nam, ille si non hostis, qui * consulem reliquerunt, hostes necesse est judicemus. Præclara & luculenta reclamatione ** vestra factum pulcherrimum Martialium comprobastis, qui se ad senatus auctoritatem, ad libertatem vestram, ad universam rempublicam contulerunt: hostem illum, & latronem, & parricidam patriæ reliquerunt: nec solum id

* Al. *hos, qui.* ** Vulg. *Præclare & loco, reclamatione.*

ANALYSIS.

(a) *Quis est enim*) Ejusdem approbatio ab Antonii crudelitate.

(b) *Cujus de laudibus*) Repetit *Assumptionem* primi Syllogismi, cui statim suam etiam addit *Complexionem*.

(c) *Quid legio*) Factum legionum probat eodem, quo supra *Dilemmate*, ac tertia populi acclamatione confirmatur; Martiam præcipue laudat *ab Adjunctis*, quod Albæ loco opportunissimo constiterit.

id animose & fortiter, sed considerate etiam, sapienterque fecerunt. Albæ constiterunt, in urbe opportuna, munita, propinqua, fortissimorum virorum, fidelissimorum civium, atque optimorum. Hujus Martiæ legionis legio quarta imitata virtutem, duce L. Egnatulejo, quem senatus merito paulo ante laudavit, C. Cæsaris exercitum persecuta est.

III. Quæ expectas (*a*), M. Antoni, judicia graviora? Cæsar fertur in cælum, qui contra te exercitum comparavit. Laudantur exquisitissimis verbis legiones, quæ te reliquerunt, quæ a te arcessitæ sunt: quæ essent, si te consulem quam hostem maluisses, tuæ. Quarum legionum fortissimum, verissimumque judicium confirmat senatus, comprobat universus populus Romanus: nisi forte vos, Quirites, consulem, non hostem, judicatis Antonium. Sic arbitrabar, Quirites, vos judicare, ut ostenditis. Quid? (*b*) municipia, colonias, præfecturas, num aliter judicare censetis? Omnes mortales una mente consentiunt: omnia arma eorum, qui hæc salva velint, contra illam pestem esse capienda. Quid? D. Bruti judicium, Quirites, quod ex hodierno ejus edicto perspicere potuistis, num cui tandem contemnendum videtur? Recte & vere negatis, * Quirites. Est enim quasi deorum immortalium beneficio & munere datum reipublicæ Brutorum genus & nomen ad libertatem populi Romani vel constituendam, vel recipiendam. Quid igitur D. Brutus de M. Antonio judicavit? exclusit ** provincia: exercitu obstitit: Galliam totam hortatur ad bel-

* Al. *negastis*. ** Al. *excludit .... obsistit*.

ANALYSIS.

(a) *Quæ expectas*) *Complexio* universalis iterata, quæ vehementi ad Antonium *Apostrophe* illustratur, & quarta reclamatione populi.

(b) *Quid*) Bruti consilium probat, populo etiam quinta acclamatione probante; *Complexionem* deinde tertio repetitam sexta populi acclamatio confirmat.

bellum, ipſam ſua ſponte ſuoque judicio excitatam. Si conſul Antonius, Brutus hoſtis. Si conſervator reipublicæ Brutus, hoſtis Antonius. Num igitur, utrum horum ſit, dubitare poſſumus?

IV. Atqui, ut vos una mente, unaque voce dubitare vos negatis: ſic modo decrevit ſenatus, D. Brutum optime de republica mereri, cum ſenatus auctoritatem, populique Romani libertatem, imperiumque defenderit. A quo defenderit? nempe ab hoſte. Quæ eſt enim alia laudanda defenſio? Deinceps (*a*) laudatur provincia Gallia, meritoque ornatur verbis ampliſſimis a ſenatu, quod reſiſtat Antonio. Quem ſi conſulem illa provincia putaret, neque eum reciperet; magno ſcelere ſe adſtringeret. Omnes enim in conſulis jure & imperio debent eſſe provinciæ. Negat hoc (*b*) D. Brutus imperator, conſul deſignatus, natus reipublicæ civis: negat Gallia, negat cuncta Italia, negat ſenatus, negatis vos. Quis igitur illum conſulem niſi latrones putant? quanquam ne ii quidem ipſi, quod loquuntur, id ſentiunt: nec a judicio omnium mortalium, quamvis impii, nefariique ſint, ſicut ſunt, diſſentire poſſunt. Sed ſpes rapiendi atque prædandi obcæcat animos eorum, quos non bonorum donatio, * non agrorum aſſignatio, non illa infinita haſta ſatiavit: qui ſibi urbem, qui bona & fortunas civium ad prædam propoſuerunt: qui, dum ſit quod rapiant, quod auferant, nihil ſibi defuturum arbitrantur: quibus M. Antonius (o dii immortales, avertite & deteſtamini, quæſo, hoc omen!) urbem

* Brut. *damnatio*.

ANALYSIS.

(a) *Deinceps*) Ultimo agit de provincia Gallia eadem plane ratione.

(b) *Negat hoc*) Cum neceſſario judicandus ſit hoſtis Antonius, niſi fuerit Conſul, Conſulem eſſe negat ab omnium mortalium teſtimonio; nam latrones ipſi, qui ſunt cum Antonio, eum Conſulem vocant ſpe prædæ, non veritate adducti.

bem se divisurum esse promisit. Ita vero (*a*), Quirites, ut * precamini, eveniat, hujusque amentiæ pœna in ipsum, familiamque ejus recidat, quod ita futurum esse confido. Jam enim non solum homines, sed etiam deos immortales ad rempublicam conservandam arbitror consensisse. Sive enim prodigiis, atque portentis dii immortales nobis futura prædicunt; ita sunt aperte denuntiata, ut & illi pœna, & libertas nobis appropinquet: sive tantus consensus omnium, sine impulsu deorum esse non potuit; quid est, quod de voluntate cælestium dubitare possimus?

PERORATIO.

V. Reliquum est (*b*), Quirites, ut vos in ista sententia, quam præ vobis fertis, perseveretis. Faciam igitur, ut imperatores instructa acie solent: quanquam paratissimos milites ad præliandum videant, ut eos tamen adhortentur; sic ego vos ardentes & erectos ad libertatem recuperandam cohortabor. Non est (*c*), non est vobis, Quirites, cum eo hoste certamen, quocum aliqua pacis conditio esse possit. Neque enim (*d*) ille servitutem vestram, ut antea, sed jam iratus sanguinem concupiscit. Nullus ei ludus videtur esse jucundior, quam cruor, quam cædes, quam ante oculos trucidatio civium. Non est vobis, Quirites, res

* Al. *Ita vero ei, ut &c.*

ANALYSIS.

(a) *Ita vero*) Septima acclamatio, & *Confidentem* populum facit Cicero, juxta Arist. lib. 2. cap. 5. tex. 60.

(b) *Reliquum est*) Præmittit excusationem *a Simili*, cur utatur cohortatione ad populum per se satis inflammatum; deinde sic *ab Adjunctis*:

Cum eo bellum necessario gerendum est, qui perdere omnes cupit;
Sed Antonius non servitutem, sed sanguinem omnium concupiscit;
Ergo cum eo bellum necessario gerendum est.

(c) *Non est*) *Complexio.*

(d) *Neque enim*) *Assumptio.*

res cum ſcelerato homine, atque nefario, ſed cum immani, tetraque bellua: quæ quoniam (*a*) in foveam incidit, obruatur. Si enim illinc emerſerit, nullius ſupplicii crudelitas erit recuſanda. Sed tenetur, premitur, urgetur nunc iis copiis, quas habemus: mox iis, quas paucis diebus novi conſules comparabunt. Incumbite in cauſam, Quirites, ut facitis. Nunquam veſter conſenſus major in ulla cauſa fuit: nunquam tam vehementer cum ſenatu conſociati fuiſtis. Nec mirum: agitur enim non qua conditione victuri, ſed victurine ſimus, an cum ſupplicio, ignominiaque perituri.

Quanquam mortem quidem omnibus natura propoſuit; crudelitatem mortis & dedecus virtus propulſare ſolet; quæ propria eſt Romani generis & ſeminis. Hanc retinete (*b*), quæſo, Quirites, quam vobis tanquam hereditatem majores veſtri reliquerunt. Quanquam omnia alia incerta ſunt, caduca, mobilia, virtus eſt una altiſſimis defixa radicibus: quæ nunquam ulla vi labefactari poteſt, nunquam demoveri loco. Hac majores veſtri (*c*) primum univerſam Italiam devicerunt: deinde Carthaginem exciderunt, Numantiam everterunt, potentiſſimos reges, bellicoſiſſimas gentes in ditionem hujus imperii redegerunt.

VI. Ac majoribus quidem veſtris, Quirites, cum eo hoſte res erat, qui haberet rempublicam, curiam, ærarium, conſenſum & concordiam civium, ratio-

ANALYSIS.

(a) *Quæ quoniam*) Urget *Complexionem* a facilitate victoriæ, & mortis crudelitate, quam minabatur Antonius.

(b) *Hanc retinete*) Secundo arguit a Majorum virtute, *per Comparationem minorum*, hoc Syllogiſmo:

Majorum virtutem imitari vos etiam debetis;
Sed illi tot victorias reportarunt ab hoſtibus legitimis, vobis cum latrone, & gladiatore res eſt;
Ergo vos multo acrius in eum pugnare debetis.
Hanc retinete) *Propoſitio*.
(c) *Hac majores veſtri*) *Aſſumptionis* prima pars.

rationem aliquam, si res ita tulisset, pacis & fœderis: hic vester (*a*) hostis vestram rempublicam oppugnat, ipse habet nullam: senatum, id est orbis terræ consilium, delere gestit, ipse consilium publicum nullum habet: ærarium vestrum exhausit, suum non habet. Nam concordiam civium qui habere potest, nullam cum habeat civitatem? Pacis vero quæ potest esse cum eo ratio, in quo est incredibilis crudelitas, fides nulla?

Est igitur (*b*), Quirites, populo Romano, victori omnium gentium, omne certamen cum excursore, * cum latrone, cum Spartaco. Nam, quod se (*c*) similem esse Catilinæ gloriari solet; scelere par (*d*) est illi, industria inferior. Ille cum exercitum nullum habuisset, repente conflavit: hic eum exercitum, quem accepit, amisit. Ut igitur (*e*) Catilinam diligentia mea, senatus auctoritate, vestro studio, & virtute fregistis; sic Antonii nefarium latrocinium vestra cum senatu concordia tanta, quanta nunquam fuit, felicitate & virtute exercituum ducumque vestrorum, brevi tempore oppressum audietis. Equidem (*f*), quantum cura, labore, vigiliis, auctoritate, consilio eniti, atque efficere potero, nihil prætermittam, quod ad libertatem vestram pertinere arbitrabor. Neque enim

* Al. *percursore*.

ANALYSIS.

(a) *Hic vester*) Ejusdem secunda pars, approbata *ab enumeratione* earum rerum, quas habebant legitimi hostes, Antonius non habebat.

(b) *Est igitur*) *Complexio* hujus approbationis.

(c) *Nam, quod se*) Tertio utitur *Comparatione minorum*, hoc est Catilinæ:

Qui Catilinam vicerunt, multo facilius vincent Antonium;
Sed Vos Catilinam vicistis;
Ergo multo nunc facilius Antonium.

(d) *Scelere par*) *Propositionis* approbatio a dissimilitudine utriusque.

(e) *Ut igitur*) *Assumptio*, cui *Complexio* annectitur.

(f) *Equidem*) Tandem suam attestatur in defendenda Rep. constantiam, pro populi in se meritis, & ut cœperat eo die facere i.

nim id pro vestris in me amplissimis beneficiis sine scelere facere possum. Hodierno autem die primum, referente viro fortissimo, vobisque amicissimo, hoc M. Servilio, collegisque ejus, ornatissimis viris, optimis civibus, longo intervallo, me auctore & principe, ad spem libertatis exarsimus.



IN

IN
M. ANTONIUM
PHILIPPICA V.
ARGUMENTUM.

OBsidente Mutinam Antonio, non modo sine senatus auctoritate, sed invito etiam senatu, qui Galliam citeriorem D. Bruto, jam antea a Cæsare datam, post ejus necem confirmaverat, novi Consules Pansa, & Hirtius Kalendis Jan. primo consulatus die, convocato de more senatu, non solum de Mutinæ obsidione, sed omnino de tota rep. deque honoribus & præmiis bene de rep. meritorum ac merentium, de quibus XIII. *Kal. S. C. factum erat, retulerunt. Quod ad Mutinam attinuit, censuit is, qui sententiam primus rogatus est, mittendos ad Antonium legatos, qui agerent cum eo, ut ab ejus urbis obsidione desisteret. Cicero autem, suo loco rogatus, turpe & indignum dicit esse senatus ac populi Romani majestate, ad eum legatos de pace mittere, de quo ante paucos dies, tanquam de hoste, gravissima & severissima judicia idem senatus fecerit. Decreverat enim* XIII. *Kal. Jan. quo die habitam esse tertiam orationem diximus, ut de honoribus Cæsaris & Bruti, qui remp. privato consilio defendendam susceperant, deque præmiis Martiæ & Quartæ legionum, quæ, Antonio relicto, ad Cæsarem se contulerant, primo quoque tempore novi consules referrent. Deinde vehementer incubuit Cicero, ut hostis judicaretur Antonius, & ea decernerentur de honoribus & præmiis, quæ senatus ex novorum consulum relatione decerni sibi placere ostenderat. Senatus eo*

die

die nihil decrevit, sed triduo post mittendos omnino censuit, qui Antonio nuntiarent, ne consulem designatum oppugnaret, ne Mutinam obsideret, ne provinciam depopularetur, ne delectus haberet, esset in senatus populique Romani potestate. MAN.

PHILIPPICÆ V. SYNOPSIS.

HUjus etiam Orationis genus est *Deliberativum*, mittendi ne sint Legati ad Antonium, & qui honores decernendi sint bene de Rep. meritis.

Partes sunt tres, *Exordium*, *Contentio*, & *Epilogus*.

In *Exordio* facit Patres *Attentos* a periculi magnitudine: *Nihil unquam*; & Consules *Benevolos* eos laudando: *Sed querelam*. Brevissimum est, sicut & *Epilogus*. nam in Senatu brevi apparatu dicendum est.

Contentionis duæ sunt partes; in primis autem coarguit sententiam Caleni a constantia Senatus, qui non debebat abolere, quæ jam decreverat: *Atque ut oratio*; neque concedendam esse Antonio Ulteriorem Galliam contendit pro Citeriore, *a Consequentibus: Qui utinam omnes*. Antonii amicos reprehendit: *Meus amicus est*; & rem proponit: *Quid autem agatur*.

1. In prima parte deinde probat ab Antonio sublatas esse leges, quas Reip. utiles Cæsar tulisset: *Quid enim in eum*.

2. Alias ab eo fuisse latas contra auspicia, contra leges, & per vim: *Quid? hanc legem*; easque censet esse abrogandas: *Quibus de causis*.

3. Quid avare Antonius fecerit exponit: *Illa vero dissipatio*.

4. Legem Judiciariam ab eodem perlatam reprehendit ut turpem *ab Adjunctis* personarum: *In*

quo

quo nos fefellit; & *a Caufa finali*: *Hem caufam, cur lex*.

5. Antonii crudelitatem infectatur, enumeratis omnibus, quæ aut fecerat, aut dixerat tyrannice: *An illa non graviffimis*; & *a Comparatione minorum*, eum effe hoftem probat: *Ergo Annibal hoftis*.

6. Non mittendos Legatos cenfet; quia id erat inutile, quia perniciofum Reip., quia turpe Senatui, quia Civitati periculofum: *Ad hunc*, (*dii boni!*) Concludit bellum ftatim effe gerendum: *Quamobrem*, *P. C.* & fuam fententiam proponit: *Quapropter*, *ne multa*.

1. Secunda pars habet decretum de laudibus Bruti: *A Bruto igitur*; cujus factum *a Confequentibus* probatur: *Nam fi M. Antonio*.

2. Merita Lepidi in Remp. *Semper ille populum R.*, & decretum de ejus honoribus: *Cum a M. Lepido Imp.*

3. Cæfaris merita amplificantur *a Comparatione minorum*: *Venio ad C. Cæfarem*; & affertur decretum de illius honoribus: *Quod C. Cæfar C. F.*

Tria diluuntur objecta in Cæfarem; primum *a Caufis*, cur illi ante tempus petitio Magiftratuum concedenda fit: *Quid eft enim*, *P. C.* Secundum *ab Adjunctis*, non effe timendam nimiam Cæfaris potentiam: *Nam*, *quod ii*, *qui*. Tertium *ab Effectis*, nullas illi effe privatas inimicitias: *At eft quibufdam*.

4. Recenfentur merita, & præmia tum L. Egnatuleii, tum reliquorum Cæfaris militum: *Nec vero de L. Egnatulejo*.

Epilogus brevis eft conclufio, cum adhortatione ad Confules, ut celeritate uti velint: *Dixi ad ea omnia*.

EXORDIUM.

I. NIhil unquam (*a*) longius his Kalendis Januariis mihi visum est, Patres Conscripti, quod idem intelligebam per hos dies unicuique vestrum videri. Qui enim bellum cum republica gerunt, hunc diem non expectabant. Nos autem tum, cum maxime consilio nostro (1) subvenire communi saluti oporteret, in senatum non vocabamur. Sed querelam (*b*) præteritorum dierum sustulit oratio consulum: qui ita locuti sunt, ut magis exoptatæ Kalendæ Januariæ, quam seræ esse videantur.

CONTENTIONIS I. PARS.

Atque ut (*c*) oratio consulum animum meum erexit, spemque attulit non modo salutis conservandæ, verum etiam dignitatis pristinæ recuperandæ; sic me perturbasset ejus sententia, qui primus (2) rogatus est, nisi vestræ virtuti constantiæque confiderem. Hic enim (*d*) vobis, Patres Conscripti,

pti,

(1) *Cum maxime consilio nostro*) Simul ac nuncii venere de obsidione Mutinæ. *Ferrat.*

(2) *Qui primus*) Q. Fufius Calenus, socer Pansæ, & procurator Antonii. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *Nihil unquam*) Exorditur a periculi magnitudine, qua conciliatur *Attentio*, ut Phil. 3.; negligebat enim Senatus bellum, quod summa cum celeritate gerebat Antonius.

(b) *Sed querelam*) Consolationis argumentum ex virtute, & constantia novorum Consulum.

(c) *Atque ut*) Ingeniosissime Cicero sententiam Caleni accusat ut turpem, ne Senatores præoccupati spe pacis negligerent, quæ in contrarium dicerentur; deinde leges Antonii, & vitam insectatur, ut facilius reliqua persuadeat. Sic igitur statim arguit a constantia Senatus:

Abolere, quæ paulo ante constituta sunt, summæ levitatis est, & dementiæ;
Sed nunc agitur, utrum abolere velimus, quæ jam constituimus prudenter;
Ergo agitur, utrum leves, an constantes populo videri velimus,

(d) *Hic enim*) *Complexio.*

pti, dies illuxit, hæc potestas data est, ut, quantum virtutis, quantum constantiæ, quantum gravitatis in hujus ordinis consilio esset, populo Romano declarare possetis. Recordamini (*a*), qui dies nudiustertius decimus fuerit, quantus consensus vestrum, quanta virtus, quanta constantia, quantam sitis a populo Romano laudem, quantam gloriam, quantam gratiam consecuti. Atque illo die (*b*), Patres Conscripti, ea constituistis, ut vobis nihil jam sit integrum, nisi aut honesta pax, aut bellum necessarium. Pacem vult (*c*) M. Antonius? arma ponat, roget, deprecetur. Neminem æquiorem me reperiet: cui *, dum se civibus impiis commendat, inimicus esse, quam amicus, maluit. Nihil est profecto, quod dari possit bellum gerenti: erit fortasse aliquid, quod concedi possit roganti.

II. Legatos vero (*d*) ad eum mittere, de quo gravissimum & severissimum judicium nudiustertius decimus feceritis, non jam levitatis est, sed, ut, quod sentio, dicam, dementiæ. Primum ** (*e*) duces eos laudavistis, qui contra illum privato consilio bellum suscepissent, deinde milites veteranos, qui

Kk 2

* Vulg. *cui quidem*. ** Vulg. *Primum enim*.

ANALYSIS.

(a) *Recordamini*) *Assumptionis* approbatio, quæ ita se habet:

Prudenter statuimus, ut esset nobis cum Antonio aut honesta pax, aut bellum necessarium;
Sed si Legatos mittimus, neque erit honesta pax, neque bellum;
Ergo mittendo Legatos abolemus, quæ prudenter constituimus.

Recordamini) Probat, ea fuisse prudenter constituta, a consensu Senatus, & populi approbatione.

(b) *Atque illo die*) *Propositio* ipsa.

(c) *Pacem vult*) *Assumptio* approbata quoad pacem; ostendit enim, quomodo pax honesta futura sit.

(d) *Legatos vero*) Hic demum interserit primi Syllogismi *Propositionem*.

(e) *Primum*) *Propositio* approbationis confirmatur ex eo, quod Senatus decreverat XIII. Kal. Jan. præmiis dignos videri, qui Antonium oppugnarent, adeoque bellum esse gerendum cum Antonio, nisi supplex veniam peteret.

qui cum ab Antonio in colonias essent deducti, illius beneficio libertatem populi Romani anteposuerunt. Quid legio Martia? quid quarta? cur laudantur? si enim consulem suum reliquerunt, vituperandæ sunt; si inimicum reipublicæ, jure laudantur. Atqui cum (*a*) consules nondum haberetis, decrevistis, ut & de præmiis militum, & de honoribus imperatorum primo quoque tempore referretur. Placet eodem tempore præmia constituere iis, qui contra Antonium arma ceperint, & legatos ad Antonium mittere? ut jam pudendum sit, honestiora decreta esse legionum, quam senatus. Siquidem legiones decreverunt senatum defendere contra Antonium, senatus decernit legatos ad Antonium. Utrum hoc est confirmare militum animos, an debilitare virtutem? Hoc dies duodecim profecerunt, ut quem nemo præter Cotylam (1), tum inventus sit, qui defenderet, is habeat jam patronos etiam consulares (2)? Qui utinam (*b*) omnes ante me sententiam rogarentur! quanquam suspicor, quid dicturi sunt quidam eorum, qui post me rogabuntur. Facilius contra dicerem, si quid videretur. Est enim opinio, decreturum aliquem M. Antonio illam ultimam Galliam, quam Plan-

(1) *Cotylam*) L. Varium Cotylam, ædilicium, qui tum affuit in senatu, postea profectus est Mutinam ad Antonium, eumque legatum ad senatum Antonius remisit. Infra Phil. 8. *Man.*

(2) *Consulares*) Consulatum gesserat Calenus cum Vatinio. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *Atqui cum*) Hoc exaggerat *ab Adjunctis*; quæ fortiter decrevisset sine Consulibus, nunc mutari, cum jam Consules haberet; majorem in legionibus constantiam esse, quam in Senatu, Arist. l. 2. c. 6. t. 65. & a Consularibus defendi, quæ solus antea Cotyla defendisset.

(b) *Qui utinam*) Sententiam eorum, qui decreturi erant Antonio Galliam ulteriorem, ita refellit *a Consequentibus*:

Si detur Antonio Gallia ulterior, præclare instruitur ad bellum civile;
Hoc permittere non debemus;
Ergo neque illud.

Plancus obtinet. Quid est aliud (*a*) *, omnia ad bellum civile hosti arma largiri? primum nervos belli, pecuniam infinitam, qua nunc eget: deinde equitatum (1), quantum velit. Equitatum dico? dubitabit, credo, gentes barbaras secum adducere. Hoc qui non videt, excors est: qui, cum videt, decernit, impius. Tu civem sceleratum & perditum, Gallorum & Germanorum exercitum, pecunia, peditatu, equitatu, copiis instrues? Nullæ istæ (*b*) excusationes sunt: Meus amicus est. Sit patriæ prius. Meus cognatus: An potest cognatio ulla propior esse, quam patriæ, in qua parentes etiam continentur? Mihi pecuniam attribuit. Cupio videre, qui id audeat dicere. Quid autem agatur (*c*), cum aperuero, facile erit statuere, quam sententiam dicatis, aut quam sequamini.

III. Agitur, utrum M. Antonio facultas detur opprimendæ reipublicæ, cædis faciendæ bonorum, diripiendæ urbis, agrorum suis latronibus condonandi, populum Romanum servitute opprimendi, an horum nihil facere ei liceat. Dubitate quid agatis. At non cadunt (*d*) hæc in Antonium.

* Al. *Quid hoc est aliud quam ad bellum civile.*

(1) *Pecuniam .... equitatum*) Quibus abundabat Gallia ulterior. *Ferr.*

ANALYSIS.

(a) *Quid est aliud*) *Propositio*, quæ comprobatur *ab Adjunctis* loci.

(b) *Nullæ istæ*) Hinc Senatores Antonio faventes coarguit, ostenditque nullas esse illorum excusationes.

(c) *Quid autem agatur*) Summa totius *Contentionis* quoad primam partem, hoc Syllogismo continetur:

Non debemus dare facultatem Antonio opprimendæ Reip.;
Sed hanc ei facultatem damus, si Legatos mittimus;
Ergo non sunt mittendi Legati, sed bellum statim gerendum.

Assumptio est loco *Propositionis* universalis; probatur autem, tum quia vult Antonius opprimere Remp., & hoc est primum membrum, tum quia poterit opprimere, si Legati mittantur, & hoc est secundum.

(d) *At non cadunt*) Pravam Antonii voluntatem sic *ab Effectis* ostendit:

Hoc ne Cotyla quidem dicere auderet. Quid enim (*a*) in eum non cadit? qui, cujus acta se defendere dicit, ejus eas leges pervertit, quas maxime laudare poteramus. Ille paludes (1) (*b*) siccare voluit, hic omnem Italiam moderato homini, L. Antonio, dividendam dedit. Quid? hanc legem populus Romanus accepit? quid? per auspicia ferre * potuit? Sed augur verecundus, sine collegis (2) de auspiciis. Quanquam illa auspicia non egent interpretatione augurum. Jove enim tonante cum populo agi non esse fas, quis ignorat? Tribuni plebis tulerunt de provinciis contra acta Cæsaris, ille biennium, iste sexennium **. Num etiam hanc legem populus Romanus accepit? quid? promulgata fuit? quid? nonne ante lata, quam scripta? nonne ante factum vidimus, quam futurum quisquam est suspicatus?

Ubi lex Cæcilia & Didia? ubi promulgatio trinundinum? ubi pœnæ recenti lege Junia & Licinia? possunt hæ leges (*c*) ratæ esse sine interitu

* Vulg. *ferri*.
** Al. *Ille biennii, hic sexennii*.
(1) *Ille paludes*) Pontinas paludes siccare Cæsar meditabatur, Svetonius. Sic patrimonium Reip. Cæsar augere voluit, Antonius perdere. *Ferrat.*
(2) *Sine collegis*) Agit, & interpretatur. *Manut.* Vulg. addit *non interpretaretur*.

ANALYSIS

Ille opprimet Remp., si poterit, qui leges Cæsaris bonas sustulit, alias ipse tulit contra auspicia, & leges, omnia fecit avare, turpiter, crudeliter;
Sed talis est Antonius;
Ergo opprimet Remp., si poterit.

(a) *Quid enim*) Prima pars *Assumptionis* de Cæsaris legibus abrogatis, quod fusius pertractat Phil. I.
(b) *Ille paludes*) Per *dissimilitudinem* indignationis plenam transit ad leges Antonii, quæ erat secunda pars; quarum primam de dividendis agris ait fuisse contra auspicia latam, alteram de provinciis contra leges.
(c) *Possunt hæ leges*) Concludit, eas leges irritas esse.

ritu legum reliquarum? Eccui poteſtas (*a*) in forum inſinuandi (1) fuit? quæ porro (*b*) illa tonitrua? quæ tempeſtas? ut, ſi auſpicia M. Antonium non moverent, ſuſtinere tamen eum ac ferre poſſe tantam vim tempeſtatis, imbris, ac turbinum, mirum videretur. Quam legem igitur ſe augur dicit tuliſſe, non modo tonante Jove, ſed prope cæleſti clamore prohibente, hanc dubitabit contra auſpicia latam confiteri? Quid? quod cum eo collega tulit, quem ipſe fecit ſua nuntiatione vitioſum (2), nihilne ad auſpicia bonus augur pertinere arbitratus eſt?

IV. Sed auſpiciorum (*c*) nos fortaſſe erimus interpretes, qui ſumus ejus collegæ. Num ergo etiam armorum interpretes quærimus*? Primum omnes fori aditus ita ſepti ſunt, ut etiam ſi nemo obſtaret armatus, tamen, niſi ſeptis revulſis (3), introiri in forum nullo modo poſſet. Sic vero erant diſpoſita præſidia, ut quomodo hoſtium aditus urbe prohibentur, ita caſtellis & operibus ab ingreſſione fori populum tribunoſque plebis propulſari

 vide-

* Mur. *erimus*.

(1) *In forum inſinuandi*) Omnes enim aditus Antonius clauſerat, ne cui obnuntiare, aut intercedere liceret. Reprehenditur, ut per vim lata lex de dividendis agris a ſeptemviris: quam poſtea ſuſtulit ſenatus. Phil. VI. & XI. *Idem*. Al. *introeundi*.

(2) *Vitioſum*) Vitio creatus. Dictum ſupra.

(3) *Septis revulſis*) Nam & in foro, dum habebantur comitia, ſepta quædam erant, quo introvocabantur Tribus ſuffragium laturæ: ita vero ea ſepta diſpoſuerat Antonius, ut omnes aditus occuparent. *Perr.*

ANALYSIS.

(a) *Eccui poteſtas*) Hic rurſus invehitur in legem de agrorum diviſione, hoc modo:

Ea lex eſt nulla, quæ fuit lata contra auſpicia, & per vim;
Sed legem illam tulit Antonius contra auſpicia, & per vim;
Ergo ea lex nulla eſt.

(b) *Quæ porro*) Probat latam fuiſſe contra auſpicia, quia Jove tonante & a Dolabella ſimul lata fuerat, qui erat vitio creatus.

(c) *Sed auſpiciorum*) Hæc pertinent ad vim, in lege ferenda.

Hoc ne Cotyla quidem dicere auderet. Quid enim (*a*) in eum non cadit? qui, cujus acta se defendere dicit, ejus eas leges pervertit, quas maxime laudare poteramus. Ille paludes (1) (*b*) siccare voluit, hic omnem Italiam moderato homini, L. Antonio, dividendam dedit. Quid? hanc legem populus Romanus accepit? quid? per auspicia ferre * potuit? Sed augur verecundus, sine collegis (2) de auspiciis. Quanquam illa auspicia non egent interpretatione augurum. Jove enim tonante cum populo agi non esse fas, quis ignorat? Tribuni plebis tulerunt de provinciis contra acta Cæsaris, ille biennium, iste sexennium **. Num etiam hanc legem populus Romanus accepit? quid? promulgata fuit? quid? nonne ante lata, quam scripta? nonne ante factum vidimus, quam futurum quisquam est suspicatus?

Ubi lex Cæcilia & Didia? ubi promulgatio trinundinum? ubi pœnæ recenti lege Junia & Licinia? possunt hæ leges (*c*) ratæ esse sine interitu

* Vulg. *ferri*.

** Al. *Ille biennii, hic sexennii*.

(1) *Ille paludes*) Pontinas paludes siccare Cæsar meditabatur, Svetonius. Sic patrimonium Reip. Cæsar augere voluit, Antonius perdere. *Ferrat.*

(2) *Sine collegis*) Agit, & interpretatur. *Manut.* Vulg. addit *non interpretaretur*.

ANALYSIS

Ille opprimet Remp., si poterit, qui leges Cæsaris bonas sustulit, alias ipse tulit contra auspicia, & leges, omnia fecit avare, turpiter, crudeliter;

Sed talis est Antonius;

Ergo opprimet Remp., si poterit.

(*a*) *Quid enim*) Prima pars *Assumptionis* de Cæsaris legibus abrogatis, quod fusius pertractat Phil. I.

(*b*) *Ille paludes*) Per *dissimilitudinem* indignationis plenam transit ad leges Antonii, quæ erat secunda pars; quarum primam de dividendis agris ait fuisse contra auspicia latam, alteram de provinciis contra leges.

(*c*) *Possunt hæ leges*) Concludit, eas leges irritas esse.

ritu legum reliquarum? Eccui potestas (*a*) in forum insinuandi (1) fuit? quæ porro (*b*) illa tonitrua? quæ tempestas? ut, si auspicia M. Antonium non moverent, sustinere tamen eum ac ferre posse tantam vim tempestatis, imbris, ac turbinum, mirum videretur. Quam legem igitur se augur dicit tulisse, non modo tonante Jove, sed prope cælesti clamore prohibente, hanc dubitabit contra auspicia latam confiteri? Quid? quod cum eo collega tulit, quem ipse fecit sua nuntiatione vitiosum (2), nihilne ad auspicia bonus augur pertinere arbitratus est?

IV. Sed auspiciorum (*c*) nos fortasse erimus interpretes, qui sumus ejus collegæ. Num ergo etiam armorum interpretes quærimus *? Primum omnes fori aditus ita septi sunt, ut etiam si nemo obstaret armatus, tamen, nisi septis revulsis (3), introiri in forum nullo modo posset. Sic vero erant disposita præsidia, ut quomodo hostium aditus urbe prohibentur, ita castellis & operibus ab ingressione fori populum tribunosque plebis propulsari

 vide-

* Mur. *erimus*.

(1) *In forum insinuandi*) Omnes enim aditus Antonius clauserat, ne cui obnuntiare, aut intercedere liceret. Reprehenditur, ut per vim lata lex de dividendis agris a septemviris: quam postea sustulit senatus. Phil. VI. & XI. *Idem*. Al. *introeundi*.

(2) *Vitiosum*) Vitio creatus. Dictum supra.

(3) *Septis revulsis*) Nam & in foro, dum habebantur comitia, septa quædam erant, quo introvocabantur Tribus suffragium laturæ: ita vero ea septa disposuerat Antonius, ut omnes aditus occuparent. *Perr.*

ANALYSIS.

(a) *Eccui potestas*) Hic rursus invehitur in legem de agrorum divisione, hoc modo:

Ea lex est nulla, quæ fuit lata contra auspicia, & per vim;
Sed legem illam tulit Antonius contra auspicia, & per vim;
Ergo ea lex nulla est.

(b) *Quæ porro*) Probat latam fuisse contra auspicia, quia Jove tonante & a Dolabella simul lata fuerat, qui erat vitio creatus.

(c) *Sed auspiciorum*) Hæc pertinent ad vim, in lege ferenda.

videres. Quibus de causis (a) eas leges, quas M. Antonius tulisse dicitur, omnes censeo per vim & contra auspicia latas, iisque legibus populum non teneri. Si quam legem de actis Cæsaris confirmandis, deve dictatura in perpetuum tollenda, deve coloniis in agros deducendis, tulisse M. Antonius dicitur, easdem leges de integro, ut populum teneant, salvis auspiciis ferri placet. Quamvis enim leges bonas * vitiose, per vimque tulerit, tamen hæ leges non sunt habendæ, omnisque audacia gladiatoris amentis auctoritate nostra repudianda est **.

Illa vero (b) dissipatio pecuniæ publicæ ferenda nullo modo est, per quam septies millies falsis perscriptionibus (1), donationibusque avertit: ut portenti simile videatur, tantam pecuniam populi Romani tam brevi tempore perire potuisse. Quid? illi immanes quæstus, ferendine, quos M. Antonii tota exhausit domus? Decreta falsa vendebat: regna, civitates, immunitates, in æs, accepta pecunia, jubebat incidi. Hæc se ex commentariis Cæsaris, quorum ipse auctor erat, agere dicebat. Calebant in interiore ædium parte totius reipublicæ nundinæ: mulier, sibi felicior, quam viris (2) auctionem provinciarum, regnorumque faciebat: restituebantur exules, quasi lege, sine lege: quæ nisi auctoritate senatus rescinduntur, quoniam

* Vulg. *res bonas*. ** Al. *retundenda est*.

(1) *Falsis perscriptionibus*) In tabulis, quæ erant ad ædem Opis, quantum cuique pecuniæ Cæsar dari voluisset, perscripsit, cum id non esset in commentariis Cæsaris: eaque pecunia collegam suum Dolabellam corrupit: ut ad Attic. lib. xiv. sæpius. Ep. vero 1. lib. xii. Fam. *Manut.* Vulg. *H. S. septies millies*.

(2) *Sibi felicior, quam viris*) Diximus jam, occisos esse duos Fulviæ viros, Clodium & Curionem. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *Quibus de causis*) *Complexio* hujus argumenti; additque suum de legibus Antonii consilium, confirmandas iterum esse, quibus populum teneri velint.

(b) *Illa vero*) *Assumptionis* tertia pars de iis, quæ avare fecerat Antonius; nec minus illa abolenda censet, quam leges.

niam ingressi in spem reipublicæ recuperandæ sumus, imago nulla liberæ civitatis relinquetur.

Neque solum commentariis commentitiis, chirographisque venalibus innumerabilis pecunia congesta in illam domum est, cum, quæ vendebat Antonius, ea se ex actis Cæsaris agere diceret, sed senatus etiam consulta, pecunia accepta, falsa referebat, syngraphæ obsignabantur: senatusconsulta, nunquam facta, * tanquam facta ad ærarium referebantur. Hujus turpitudinis testes erant etiam exteræ nationes. Fœdera interea facta, regna data, populi provinciæque liberatæ, earumque rerum falsæ tabulæ, gemente populo Romano, toto Capitolio figebantur. Quibus rebus tanta pecunia una in domo coacervata est, ut, si hoc genus in unum redigatur, non sit pecunia populo Romano defutura.

V. Legem etiam (*a*) judiciariam tulit, homo castus atque integer, judiciorum & juris auctor. In quo nos (*b*) fefellit. Antesignanos, & manipulares, & Alaudas (1), judices se constituisse dicebat. At ille legit aleatores, legit exules, legit Græcos. O consessum judicum præclarum! o dignitatem consilii admirandam! avet animus apud consilium illud pro reo dicere. Cydam

(*a*)

* In vulg. deest *nunquam facta*.
(1) *Alaudas*) Vide Philipp. I. cap. 8.

ANALYSIS.

(a) *Legem etiam*) Quarto legem Antonii de tertia decuria Judicum reprehendit, ut maxime turpem, hoc argumento *ab Adjunctis* personarum:
Turpe est, Judices eligi homines improbos, barbaros, exules;
Sed hos omnes Antonius lege sua Judices constituit;
Ergo turpissima est ea Lex.
(b) *In quo nos*) Quare nos fefellit? *Propositionis* est approbatio *a minori ad majus*:
Turpe esset, si elegisset manipulares etiam ex legione Alaudarum, ut habet in sua lege;
Ergo multo est turpius, cum elegerit aleatores, Græcos, exules.

An illa (*a*) non graviſſimis ignominiis monumentiſque hujus ordinis ad poſteritatis memoriam ſunt notanda, quod unus M. Antonius in hac urbe poſt conditam urbem palam ſecum habuit * armatos? quod neque reges fecerunt, neque ii, qui, regibus exactis, regnum occupare voluerunt. Cinnam memini: vidi Syllam: modo Cæſarem. Hi enim tres poſt civitatem a L. Bruto liberatam plus potuerunt, quam univerſa reſpublica. Non poſſum affirmare, nullis telis eos ſtipatos fuiſſe: hoc dico, nec multis, & occultis. At hanc peſtem agmen armatorum ſequebatur: Claſſitius, Muſtela, Tiro, gladios oſtentantes, ſui ſimiles greges ducebant per forum: certum agminis locum tenebant barbari ſagittarii. Cum autem erat ventum ad ædem Concordiæ, gradus complebantur, lecticæ (1) collocabantur: non quo ille ſcuta occulta eſſe vellet, ſed ne familiares, ſi ſcuta ipſi ferrent, laborarent.

VII. Illud vero (*b*) teterrimum non modo auditu, ſed etiam adſpectu, in cella Concordiæ collocari armatos, latrones, ſicarios, de templo carcerem fieri, opertis valvis Concordiæ, cum inter ſubſellia ſenatus verſarentur latrones, patres conſcriptos ſententias dicere. Huc etiam (*c*) niſi venirem Kalend. Septembr. fabros ſe miſſurum, & domum meam diſturbaturum eſſe dixit. Magna res, credo, agebatur. De ſupplicatione (2) referebat.

* Vulg. *habuerit*.

(1) *Lectica*) Scutis refertæ. *M. Ant. Ferratius*.

(2) *De ſupplicatione*) Ad mortui Cæſaris honorem. Philipp. I. *Manut*.

ANALYSIS.

(a) *An illa*) Quinta, & ultima pars *Aſſumptionis* de crudelitate Antonii; 1. objicit Senatum ſeptum armatis, & exaggerat *a Comparatione minorum*, ut Phil. ſecunda.

(b) *Illud vero*) 2. Armatos ipſos in Senatum introductos.

(c) *Huc etiam*) 3. Memorat, quæ in ſe crudeliter dixerat Antonius Kal. Sept. Phil. 1. qua deinde mente venerit in Senatum XIII. Kal. Oct. Phil. 3.

rebat. Veni postridie: ipse non venit. Locutus sum de republica: minus quidem libere, quam mea consuetudo, liberius tamen, quam periculi minæ postulabant. At ille homo vehemens & violentus, qui hanc consuetudinem (1) libere dicendi excluderet, (fecerat enim hoc idem maxima cum laude L. Piso xxx diebus ante) inimicitias mihi denuntiavit: adesse in senatu jussit a. d. XIII. Kalendas Octobris. Ipse interea decem & septem dies * de me in Tiburtino Scipionis declamitavit, sitim quærens. Hæc enim ei causa esse declamandi solet.

Cum is dies, quo me adesse jusserat, venisset, tum vero agmine quadrato in ædem Concordiæ venit, atque in me absentem orationem ore ** impurissimo evomuit. Quo die, si per amicos mihi cupienti in senatum venire licuisset, cædis initium fecisset a me. Sic enim statuerat. Cum autem semel gladium scelere imbuisset, nulla res ei finem cædendi, nisi defatigatio & satietas, attulisset. Etenim aderat (*a*) L. frater, gladiator Asiaticus, qui mirmillo Mylasis depugnarat (2): sanguinem nostrum sitiebat, suum in illa gladiatoria pugna multum profuderat. Hic pecunias nostras æstimabat, possessiones notabat, & urbanas, & rusticas: hujus mendicitas, aviditate conjuncta, in fortunas no-

* Vict. Grut. (*ut digestio potius, quam declamatio videretur*) *de me*.

** Vulg. *ex ore*.

(1) *Hanc consuetudinem*) Inductam a L. Pisone Kalendis Sext. ut infra, & Phil. I. & ep. 2. lib. XII. Fam. *Idem*.

(2) *Mylasis depugnarat*) Pro, fortiter pugnavit. Laudare videtur Lucium, sed vituperat: occidit enim sine causa comitem, & familiarem suum. Mylasa, neutrius generis, ut Artaxata, Tigranocerta, Ecbatana, Comana, Alabanda, Hierosolyma. Urbs Asiæ fuit in Caria. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Etenim aderat*) 4. L. Antonii fratris crudelitatem, & avaritiam amplificat, cum primus esset inter Septemviros ad agrorum divisionem constitutos; quorum acta omnia censet esse rescindenda.

nostras imminebat: dividebat agros, quibus, & quos volebat: nullus aditus erat privato; nulla æquitatis deprecatio. Tantum quisque habebat possessor, quantum reliquerat divisor Antonius. Quæ quanquam, si leges irritas feceritis, rata esse non possunt, tamen separatim suo nomine notanda censeo, judicandumque, nullos septemviros fuisse, nihil placere ratum esse, quod ab iis actum diceretur.

VIII. M. vero Antonium (*a*) quis est, qui civem possit judicare potius, quam teterrimum & crudelissimum hostem, qui pro æde Castoris sedens, audiente populo Romano, dixerit, nisi victorem, victurum neminem? Num putatis, Patres Conscripti, dixisse eum minacius, quam facturum fuisse? Quid vero, quod in concione dicere ausus est, se, cum magistratu abisset, ad urbem futurum cum exercitu? introiturum, quotiescunque vellet? quid erat aliud, nisi denuntiare populo Romano servitutem? Quod autem ejus iter Brundusium? quæ festinatio? quæ spes, nisi ut ad urbem, vel in urbem potius exercitum maximum adduceret? Qui autem delectus centurionum? quæ effrenatio impotentis animi? Cum ejus promissis legiones fortissimæ reclamassent, domum ad se venire jussit centuriones, quos bene de republica sentire cognoverat: eosque ante pedes suos, uxorisque suæ, quam secum gravis imperator ad exercitum duxerat, jugulari coegit. Quo animo hunc futurum fuisse censetis in nos, quos oderat, cum in eos, quos nunquam viderat, tam crudelis fuisset? & quam avidum in pecuniis locupletium, qui pauperum

ANALYSIS.

(a) *M. vero Antonium*) 5. Refert dicta quædam Antonii Consulis, plena crudelitatis; iter Brundusium narrat, quæ in ea urbe egerit, & quæ facturus Romæ fuerit, nisi Cæsar, & legiones impedimento fuissent.

rum sanguinem concupisset? quorum ipsorum bona, quantacunque erant, statim comitibus suis compotoribusque descripsit.

Atque ille furens infesta jam patriæ signa Brundusio * inferebat; cum C. Cæsar deorum immortalium beneficio, divini animi, ingenii, consilii magnitudine, quanquam sua sponte, eximiaque virtute, tamen approbatione auctoritatis meæ, colonias patris adiit, veteranos milites convocavit, paucis diebus exercitum fecit, incitatos latronis impetus retardavit. Postea vero, quam legio Martia ducem præstantissimum vidit, nihil egit aliud, nisi, ut aliquando liberi essemus: quam est imitata quarta legio.

IX. Quo ille nuntio audito (1), cum senatum vocasset, adhibuissetque consularem, qui sua sententia C. Cæsarem hostem judicaret, repente concidit. Post autem (*a*) neque sacrificiis sollemnibus (2) factis, neque votis nuncupatis, non profectus est, sed profugit paludatus. At quo? in provinciam firmissimorum & fortissimorum civium, qui illum, ne si ita quidem venisset, ut nullum bellum inferret, ferre potuissent, impotentem, iracundum, contumeliosum, superbum, semper poscentem, semper rapientem, semper ebrium. At ille, cujus ne pacatam quidem nequitiam quisquam ferre posset, bellum intulit provinciæ Galliæ, circumsedit ** Mutinam, firmissimam & splendidissimam populi Romani coloniam: oppugnat D. Brutum, imperatorem, consulem designatum, civem non sibi, sed nobis & reipublicæ natum.

Ergo

* Vulg. *a Brundisio*. ** Al. *circumsidet*.
(1) *Nuntio audito*) De quarta legione. Vide Philipp. III.
(2) *Sollemnibus*) Philipp. III.

ANALYSIS.

(*a*) *Post autem*) 6. Iter ejus attingit in Galliam, & obsidionem Mutinæ; singula vero ut amplificet, legenti facile patebit.

Ergo (*a*) Annibal hostis, civis Antonius? quid ille fecit hostiliter, quod hic non aut fecerit, aut faciat, moliatur, & cogitet? Totum iter Antonii quid habuit, nisi depopulationes, vastationes, cædes, rapinas? quas non faciebat Annibal, quia multa ad usum reservabat. At hi, qui in horam viverent, non modo de fortunis & de bonis civium, sed ne de utilitate quidem sua cogitaverunt. Ad hunc (*b*) (dii boni!) legatos mitti placet? norunt isti homines formam reipublicæ, jura belli, exempla majorum? cogitant, quid populi Romani majestas, quid senatus severitas postulet? Legatos decernis (*c*): si ut depreceris, contemnet: si ut imperes, non audiet: denique (*d*) quamvis severa legatis mandata dederimus, nomen ipsum legatorum, hunc, quem videmus, populi Romani restinguet ardorem: municipiorum, atque Italiæ franget animos. Ut omittam hæc, quæ magna sunt, certe ista legatio moram & tarditatem afferet bello. Quamvis dicant, quod quosdam audio dicturos: Legati proficiscantur; bellum nihilominus

ANALYSIS.

(a) *Ergo*) Hanc igitur disputationem concludit argumento a *Comparatione minorum*:

Crudelissimus omnium hostis populo Rom. Annibal fuit;
Sed Antonius eadem facit, & multo pejora, quam quæ Annibal fecit;
Ergo crudelior hostis Reip. habendus est Antonius.

Hactenus quæ ad *Inventionem* spectant: nunc & cætera examinanda sunt.

(b) *Ad hunc*) *Complexio* superiorum, & eorum, quæ sequuntur, *Propositio*; cæterum secundum membrum hujusce partis tali argumento continetur *ab Effectis*:

Id pati non debemus, quod nullam affert spem pacis, perniciosum est Reip., turpe Senatui, Civitati periculosum;
Sed missio legatorum est hujusmodi;
Ergo non sunt mittendi legati, sed statim bellum gerendum.

(c) *Legatos decernis*) *Assumptionis* prima pars, nullam inde spem esse pacis, quam infra deinde probat.

(d) *Denique*) Secunda pars, quod amittitur belli gerendi opportunitas; idque confirmat a conditione rerum publicarum, maxime in re militari.

nus paretur: tamen legatorum nomen ipsum & animos molliet, & belli celeritatem morabitur.

X. Minimis momentis, Patres Conscripti, maximæ inclinationes temporum fiunt, cum in omni casu reipublicæ, tum in bello, & maxime civili, quod opinione plerumque, & fama gubernatur. Nemo quæret, quibuscum mandatis legatos miserimus: nomen ipsum legationis ultro missæ, timoris esse signum videbitur. Recedat (*a*) a Mutina, desinat oppugnare Brutum, decedat ex Gallia: non est verbis rogandus, cogendus est armis. Non enim (*b*) ad Annibalem mittimus, ut a Sagunto recedat, ad quem miserat olim senatus P. Valerium Flaccum & Q. Bæbium Tampilum: qui, si Annibal non pareret, Carthaginem ire jussi sunt. Nostros legatos quo jubebimus ire, si non paruerit Antonius? Ad nostrum civem mittimus, ne imperatorem, ne coloniam * populi Romani oppugnet? Itane vero? hoc per legatos rogandus est? Quid interest, per deos immortales! utrum hanc urbem oppugnet, an hujus urbis propugnaculum, coloniam populi Romani, præsidii causa collocatam? Belli Punici secundi, quod contra majores nostros Annibal gessit, causa fuit Sagunti oppugnatio. Recte ad eum legati missi. Mittebantur ad Pœnum **, mittebantur pro Annibalis hostibus,

 sno-

* Vulg. *coloniamque .... oppugnet.* sine interrogationis nota.
** Urs. *mittebantur ad Annibalem pro hospitibus nostris & sociis.*

ANALYSIS.

(a) *Recedat*) *Assumptionis* tertia pars, quam sic pertractat a *Dissimili*:

Turpe est Senatui agere cum Civibus eodem modo, quo cum Reip. hostibus;
Sed Legati ad hostes solum mittuntur, cum opus fuerit;
Ergo Antonius, qui civis est, non per legatos rogandus, sed cogendus est.

(b) *Non enim*) Vis argumenti in eo tota consistit, quod cum iis hostibus, qui Remp., Curiam, ærarium, & reliqua haberent, per legatos agi licebat, non cum Civibus, qui cum Patriam oppugnarent, horum nihil habebant; Phil. 4.

nostris sociis. Quid simile tandem? nos ad civem mittimus, ne imperatorem populi Romani, ne exercitum, ne coloniam circumsedeat *, ne oppugnet, ne agros depopuletur, ne sit hostis? Age (*a*), si paruerit, hoc cive uti aut volumus, aut possumus?

XI. Ante diem (*b*) XIII. Kalendas Januarii, decretis vestris eum concidistis: constituistis, ut hæc ad vos Kal. Jan. referrentur, quæ referri videtis, de honoribus & præmiis bene de republica meritorum & merentium: quorum principem judicavistis eum, qui fuit, C. Cæsarem, qui M. Antonii impetus nefarios ab urbe in Galliam avertit: deinde milites veteranos, qui primi Cæsarem secuti sunt; tum illas cælestes divinasque legiones, Martiam & quartam, quibus, cum consulem suum non modo reliquissent, sed bello etiam persequerentur, honores & præmia spopondistis: eodemque die D. Bruti, præstantissimi civis, edicto allato atque proposito, factum ejus collaudastis: quodque ille bellum privato consilio susceperat, id vos auctoritate publica comprobastis.

Quid igitur illo die aliud egistis, nisi ut hostem ** judicaretis Antonium? his vestris (*c*) decretis aut ille vos æquo animo adspicere poterit, aut vos illum sine summo dolore videbitis? Exclusit illum a republica, distraxit, segregavit non solum scelus ipsius, sed etiam, ut mihi videtur, fortuna quædam

* Vulg. *circumsideat*. ** Vulg. *ut re hostem*.

A N A L Y S I S.

(a) *Age*) Quarta, & ultima pars *Assumptionis*, non minus perniciosum fore Civitati, si paruerit Antonius, eamque sic *ab Adjunctis* confirmat:

Periculosum est, eum Civem esse Romæ, qui hostis a Senatu judicatus fuerit;

Sed Antonius reipsa a Senatu judicatus est hostis;

Ergo periculosum est, si paruerit, & Romam Antonius reverterit.

(b) *Ante diem*) *Assumptio* approbata per S. C. eodem argumento, quo sæpe utitur in superioribus.

(c) *His vestris*) Approbatio *propositionis*, tum ab inimicitia proinde exorta inter Senatum, & Antonium; tum a periculo, ne se Ducem perditis præbeat.

dam reipublicæ. Qui si legatis paruerit, Romamque redierit, num quando perditis civibus vexillum, quo concurrant, defuturum putatis? Sed hoc minus (*a*) vereor. Sunt * alia, quæ magis timeam, & cogitem. Nunquam parebit ille legatis. Novi hominis insaniam, arrogantiam: novi perdita consilia amicorum, quibus ille est deditus.

Lucius quidem frater ejus, utpote qui peregre depugnarit, familiam ducit. Sit per se ipse sanus, quod nunquam erit, per hos esse ei tamen non licebit. Teretur interea (*b*) tempus: belli apparatus refrigescent. Unde est adhuc bellum, nisi ex retardatione & mora? Ut primum post discessum latronis, vel potius desperatam fugam, libere senatus haberi potuit, semper flagitavi, ut convocaremur. Quo die primum convocati sumus, cum designati consules non adessent, jeci, sententia mea, maximo vestro consensu, fundamenta reipublicæ, serius omnino, quam decuit; nec enim ante potui: sed tamen si ex eo tempore dies nullus intermissus esset, bellum profecto nullum haberemus. Omne malum nascens facile opprimitur: inveteratum fit plerumque robustius. Sed tum expectabantur Kalendæ Januariæ: fortasse non recte.

XII. Verum præterita omittamus. Etiamne hanc moram afferemus, dum proficiscantur legati? dum revertantur? quorum expectatio dubitationem belli afferet **. Bello autem dubio, quod potest studium

 esse

* Vict. Grut. *alia, ob quæ nunquam parebit.*
** Vulg. *affert.*

ANALYSIS.

(a) *Sed hoc minus*) Repetit primam partem, quod nulla sit concordiæ spes, ob fratris, & amicorum Antonii perdita consilia.

(b) *Teretur interea*) Secundam etiam partem rursus attingit, & amplificat *a Causis*:

Ideo habemus adhuc bellum, quia remedia statim non adhibuimus;
Sed missionem legatorum mora, & retardatio consequitur;
Ergo nullo modo mittendi sunt legati ad Antonium.

esse delectus? Quamobrem (*a*), Patres Conscripti, legatorum mentionem nullam censeo faciendam: rem administrandam arbitror sine ulla mora, & confestim gerendam: tumultum censeo decerni, justitium edici, saga sumi dico oportere, delectum haberi, sublatis vacationibus in urbe & in Italia, præter Galliam (1), tota. Quæ si erunt facta, opinio ipsa & fama vestræ severitatis obruet scelerati gladiatoris amentiam. Sentiat sibi bellum cum republica esse susceptum: experietur consentientis senatus nervos atque vires. Nam nunc (*b*) quidem partium contentionem esse dictitat. Quarum partium? alteri victi sunt, alteri sunt e mediis C. Cæsaris partibus. Nisi forte Cæsaris partes a Pansa & Hirtio consulibus, & a filio C. Cæsaris oppugnari putamus. Hoc vero bellum non est ex dissensione partium, sed ex nefaria spe perditissimorum civium excitatum: quibus bona fortunæque nostræ notatæ sunt, & jam ad cujusque opinionem distributæ (2).

Legi epistolam Antonii, quam ad quendam septem-

(1) *Præter Galliam*) In Gallia non poterat delectus haberi, quia in illa cum suis copiis erat Antonius & Brutus. *Græv.*

(2) *Ad cujusque opinionem distributæ*) Magni apud me est, & esse debet apud omnes, veterum librorum auctoritas: veruntamen sic ab his omnibus, hoc quidem in loco, dissentire cogor, ut conjectura mea vehementer delecter, quippe quæ nec ab antiquis literarum vestigiis discedat longius, & mentem Ciceronis, nisi fallor, attingat. Quis enim non videt, sententiam effici meliorem, si legatur, *optionem*, quam si, *opinionem?* cum præsertim sequentium verborum, quæ ex Antonii recitantur epistola, testimonio comprobetur: *Quid concupiscas, tu videris: quod concupiveris, certe habebis*. Hæc quidem *optio* est, non *opinio*, ut etiam paulo post: *Libidini cujusque nos ita addixit*. Itaque, suffragante sententia, *optionem* retineo libenter, ut sincerum; *opinionem*, opinione mea depravatum, rejiciendum puto. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Quamobrem*) *Complexio* illustrata a commodis, quæ consecutura sunt belli gerendi celeritatem.

(b)) *Nam nunc*) Refellit, quod objicere solebat Antonius, probatque non oppugnari in Antonio Cæsaris partes, qui a filio, & amicis Cæsaris oppugnaretur; deinde qua de causa ortum sit illud bellum, ostendit, lecta quadam Antonii Epistola.

ptemvirum, capitalem hominem, collegam ſuum, miſerat. *Quid concupiſcas, tu videris; quod concupiveris, certe habebis*. Hem, ad quem (*a*) legatos mittamus; cui bellum moremur inferre: qui ne forti quidem fortunas noſtras deſtinavit *, ſed libidini cujuſque nos ita addixit, ut ne ſibi quidem quidquam integrum, quod non alicui promiſſum jam ſit, reliquerit. Cum hoc, Patres Conſcripti, bello, bello, inquam, decertandum eſt, idque confeſtim. Legatorum tarditas repudianda eſt.

Quapropter, ne multa nobis quotidie decernenda ſint, conſulibus totam rempublicam commendandam ** cenſeo, hiſque permittendum, ut rempublicam defendant, provideantque, ne quid reſpublica detrimenti accipiat: cenſeoque, ut iis, qui in exercitu Antonii ſunt, ne ſit ea res fraudi, ſi ante Kalendas Febr. ab eo diſceſſerint. Hæc ſi cenſueritis, Patres Conſcripti, brevi tempore libertatem populi Romani, auctoritatemque veſtram recuperabitis. Sin autem lenius agetis, tamen eadem, ſed fortaſſe ſerius, decernetis. De republica quod retuliſtis (1), ſatis decreviſſe videor.

CONTENTIONIS II. PARS.

XIII. Altera res (*b*) eſt de honoribus: de quibus deinceps intelligo eſſe dicendum. Sed qui ordo in ſententiis rogandis ſervari ſolet, eundem tenebo in viris fortibus honorandis. A Bruto igi-

 tur,

* Vulg. *deſtituit*. ** Vulg. *committendam*.

(1) *Quod retuliſtis*) Alii, *quoad*. Id eſt, ad omnia quæ retuliſtis. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Hem, ad quem*) Concludit maximâ cum indignatione, ſuamque ultimo addit ſententiam de Rep.

(b) *Altera res*) Juxta S. C. factum XIII. Kal. Jan. retulerant Conſules etiam de honoribus eorum, qui bene de Rep. meriti fuerant. Cicero igitur ſuam dicit ſententiam de Bruto, de Lepido, de Cæſare, de Egnatulejo, deque exercitu C. Cæſaris, ut infra.

tur, consule designato, more majorum capiamus exordium: cujus ut (*a*) superiora omittam, quæ sunt maxima illa quidem, sed adhuc hominum magis judiciis, quam publice laudata, quibusnam verbis ejus laudes hujus ipsius temporis consequi possumus? Neque enim ullam mercedem tanta virtus, præter hanc laudis gloriæque, desiderat. Qua etiam si careat, tamen sit se ipsa contenta, atque in memoria gratorum civium, tanquam in luce, posita lætetur. Laus igitur judicii testimoniique nostri tribuenda Bruto est. Quamobrem his verbis, Patres Conscripti, senatusconsultum faciendum censeo:
„ Cum D. Brutus, imperator, consul designatus, „ provinciam Galliam in senatus populique Romani potestate teneat, cumque exercitum tantum, „ tam brevi tempore, summo studio municipiorum, coloniarumque provinciæ Galliæ optime de „ republica meritæ, merentisque conscripserit, compararit, id eum recte, & ordine, exque republica fecisse: idque D. Bruti præstantissimum meritum in rempublicam senatui, populoque Romano gratum esse, & fore. Itaque senatum, „ populumque Romanum existimare, D. Bruti, „ imperatoris, consulis designati opera, consilio, „ virtute, incredibilique studio & consensu provinciæ Galliæ, reipublicæ difficillimo tempore esse „ subventum.

Huic tanto (*b*) merito Bruti, Patres Conscripti, tantoque in rempublicam beneficio, quis est tan-

ANALISYS.

(a) *Cujus ut*) Obiter attingit meritum Bruti ob interfectum Cæsarem; deinde quibus verbis S. C. de eodem faciendum sit, exponit.

(b) *Huic tanto*) Bruti in Remp. beneficium amplificat sic *a Consequentibus*.

Maxime perniciosum esset Reip., si Antonius Romam veniret cum exercitu, & cum barbaris gentibus;
Sed Brutus effecit, ne talia agere posset Antonius;
Ergo maximum illius est in Remp. meritum.

tantus honos, qui non debeatur? Nam si M. Antonio patuisset Gallia, si oppressis municipiis, & coloniis imparatis, in illam ultimam Galliam penetrare potuisset, quantus reipublicæ terror impenderet? Dubitaret, credo, homo amentissimus, atque in omnibus consiliis præceps & devius, non solum cum exercitu suo, sed etiam cum omni immanitate barbariæ bellum inferre nobis; ut ejus furorem ne Alpium quidem muro cohibere possemus. Hæc igitur habenda gratia est D. Bruto, qui illum, nondum interposita auctoritate vestra, suo consilio atque judicio, non ut consulem recepit, sed, ut hostem, arcuit Gallia; seque obsideri, quam hanc urbem, maluit. Habeat ergo hujus tanti facti, tamque præclari, decreto vestro testimonium sempiternum: Galliaque, quæ semper præsidet atque præsedit huic imperio, libertatique communi, merito, vereque * laudetur, quod se suasque vires non tradidit, sed opposuit Antonio.

XIV. Atque etiam (*a*) M. Lepido (1) pro ejus egregiis in rempublicam meritis decernendos honores quam amplissimos censeo. Semper ille populum Romanum liberum voluit, maximumque signum illo die dedit voluntatis & judicii sui, cum, Antonio diadema Cæsari imponente, se avertit, gemituque & mœstitia declaravit, quantum haberet odium servitutis: quam populum Romanum liberum cuperet: quam illa, quæ tulerat, temporum

* Vulg. *jureque*.

(1) *M. Lepido*) Citerioris Hispaniæ proconsuli, in quam tamen nondum pervenerat, sed in Gallia Narbonensi, cognita reipublicæ perturbatione, morabatur. *Idem*.

ANALYSIS.

(*a*) *Atque etiam*) Lepidi merita enumerat, 1. quod semper tyrannidem odio habuerit; 2. quod se moderate gesserit, Cæsare interfecto; 3. quod restituto Sex. Pompejo, civile bellum extinxerit; argumentum est *ab Adjunctis:*

Majus est extinguere bellum Civile sapientia, quam armis;
Sed Lepidus bellum Civile sapientia extinxit, restituto Sex. Pompejo;
Ergo multo magis laudandus est.

magis necessitate, quam judicio tulisset. Quanta vero is moderatione usus sit in illo tempore civitatis, quod post mortem Cæsaris consecutum est, quis nostrum oblivisci potest? Magna hæc: sed ad majora properat oratio.

Quid enim (o dii immortales!) admirabilius omnibus gentibus, quid optatius populo Romano accidere potuit, quam, cum bellum civile maximum esset (1), cujus belli exitum omnes timeremus, sapientia ejus (2) id potius extingui, quam armis, & ferro rem in discrimen adducere? Quod si eadem (*a*) ratio Cæsaris fuisset, in illo tetro miseroqne bello, ut omittam patrem, duos Cn. Pompeji, summi & singularis viri, filios incolumes haberemus: quibus certe pietas fraudi esse non debuit. Utinam omnes (*b*) M. Lepidus servare potuisset! facturum fuisse declaravit in eo, quod potuit, cum Sextum Pompejum restituit civitati, maximum ornamentum reipublicæ, clarissimum monumentum clementiæ suæ. Gravis illa fortuna populi Romani, grave fatum. Pompejo enim patre, quod imperii populi Romani lumen fuit, extincto, interfectus est patris simillimus filius. Sed omnia mihi videntur deorum immortalium judicio expiata, Sex. Pompejo reipublicæ conservato.

XV. Quam ob causam justam atque magnam, & quod periculosissimum civile bellum maximumque, humanitate & sapientia sua M. Lepidus ad pacem concordiamque convertit, senatusconsultum his

(1) *Cum bellum civile maximum esset*) Post interitum Cæsaris, pugnante Sex. Pompejo in Hispania cum Cæsaris prætoribus. *Manut.*

(2) *Sapientia ejus*) Alii, *sapientia etiam*. Lambinus nec *ejus*, nec *etiam* agnoscit. Quod Grævio probatur.

A N A L Y S I S.

(a) *Quod si eadem*) *Propositionis* approbatio *ab Exemplo dissimili* C. Cæsaris.

(b) *Utinam omnes*) Hinc Lepidi humanitatem extollit, & decretum de eo faciendum proponit.

his verbis censeo perscribendum. „ Cum a M. Lepido, imperatore, pontifice maximo, sæpenumero respublica & bene, & feliciter gesta sit, populusque Romanus intellexerit, ei dominatum regium maxime displicere, cumque ejus opera, virtute, consilio, singularique clementia & mansuetudine bellum acerbissimum civile sit restinctum, Sextusque Pompejus, Cnei filius, Magnus, hujus ordinis auctoritate ab armis discesserit, & a M. Lepido, imperatore, pontifice maximo, summa senatus, populique Romani voluntate civitati restitutus sit: senatum, populumque Romanum, pro maximis, plurimisque in rempublicam M. Lepidi meritis, magnam spem in ejus virtute, auctoritate, felicitate, reponere otii, pacis, concordiæ, libertatis, ejusque in rempublicam meritorum senatum populumque Romanum memorem fore, eique statuam equestrem inauratam in Rostris, aut quo alio loco in foro vellet, ex hujus ordinis sententia statui placere. „ Qui honos (*a*), Patres Conscripti mihi maximus videtur, primum, quia justus est: (non enim solum datur propter spem temporum reliquorum, sed pro amplissimis meritis redditur) nec vero cuiquam possumus commemorare hunc honorem a senatu tributum judicio senatus soluto, & libero.

XVI. Venio (*b*) ad C. Cæsarem, Patres Conscripti, qui nisi fuisset, quis nostrum esse potuisset?

ANALYSIS.

(a) *Qui honos*) Probat statuam Equestrem summo honori esse Lepido, *ab Adjunctis*; tum quia eum jam honorem meruerit, tum etiam quia solus a libero Senatu obtineat, quod alii non libero Senatus judicio extorserant.

(b) *Venio*) Cæsaris factum amplificat *a Comparatione minorum*:
Magni honores habiti Cn. Pompejo, quod adolescens Reip. subvenerit;
Sed Cæsar multis annis minor, quam Pompejus, majori cum laude Reip. subvenit;
Ergo illi multo majores honores habendi sunt.

ſet? Advolabat (*a*) ad urbem a Brundusio homo impotentiſſimus, ardens odio, animo hoſtili in omnes bonos, cum exercitu, Antonius. Quid hujus audaciæ & ſceleri poterat opponi? nondum ullos duces habebamus, non copias: nullum erat conſilium publicum, nulla libertas: dandæ cervices erant crudelitati nefariæ: fugam quærebamus omnes, quæ ipſa exitum non habebat.

Quis tum nobis, quis populo Romano obtulit hunc divinum adoleſcentem, deus? qui, cum omnia ad perniciem noſtram peſtifero illi civi paterent, ſubito præter ſpem omnium exortus, prius confecit exercitum, quem furori M. Antonii opponeret, quam quiſquam hoc eum cogitare ſuſpicaretur. Magni honores habiti Cn. Pompejo, cum eſſet adoleſcens: & quidem jure. Subvenit enim reipublicæ: ſed ætate (*b*) multo robuſtior, & militum ducem quærentium ſtudio paratior, & in alio genere belli. Non enim omnibus Syllæ cauſa grata. Declarat multitudo proſcriptorum, tot municipiorum maximæ calamitates. Cæſar autem annis multis minor, veteranos, cupientes jam requieſcere, armavit: eam complexus eſt cauſam, quæ eſſet ſenatui, quæ populo, quæ cunctæ Italiæ, quæ diis omnibus* gratiſſima. Et Pompejus ad L. Syllæ maximum imperium, victoremque exercitum acceſſit: Cæſar ſe ad neminem adjunxit: ipſe princeps exercitus faciendi, & præſidii comparandi fuit. Ille in ad-

* Al. *diis hominibusque*.

ANALYSIS.

(a) *Advolabat*) Oſtendit *ab Adjunctis* certam Reip. perniciem, niſi Cæſar ſubveniſſet.

(b) *Sed ætate*) Diſſimilitudo inter Pompejum, & Cæſarem; ille 23. annos natos, hic 19.; ille voluntarios milites conſcripſit, hic veteranos volentes requieſcere; ille cauſam defendit non omnibus gratam, hic ipſius Reip. cauſam; ille ad Syllam victorem acceſſit, hic ad neminem; ille ex amicis ſibi, hic ex Antonii amicis confecit exercitum; ille ut regnaret Sylla, hic ne regnaret Antonius.

adversariorum (1) partibus agrum Picenum habuit inimicum: hic ex Antonii amicis, sed amicioribus libertati, * contra Antonium confecit exercitum. Illius opibus Sylla regnavit; hujus præsidio Antonii dominatus oppressus est. Demus igitur (*a*) imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest. Sit pro prætore eo jure, quo qui optimo. Qui honos, quanquam est magnus illi ætati, tamen ad necessitatem rerum gerendarum, non solum ad dignitatem valet. Itaque illa quæramus, quæ vix hodierno die consequemur.

XVII. Sed sæpe spero fore hujus adolescentis ornandi honorandique, & nobis, & populo Romano potestatem. Hoc autem tempore ita censeo decernendum. „ Quod C. Cesar, Caji filius, pontifex, pro „ prætore, summo reipublicæ tempore milites ve„ teranos ad libertatem populi Romani cohortatus „ sit, eosque conscripserit, quodque legio Martia, „ quartaque, summo studio, optimoque in rempu„ blicam consensu, C. Cæsare duce & auctore, „ rempublicam, libertatem populi Romani defen„ dant, defenderint; & quod C. Cæsar, pro prætore „ Galliæ provinciæ cum exercitu subsidio profectus „ sit, equites, sagittarios, elephantos in suam, popu„ lique Romani potestatem redegerit, difficillimoque „ reipublicæ tempore saluti dignitatique populi Ro„ mani subvenerit; ob eas causas senatui placere, „ C. Cæsarem, Caji filium, pontificem, propræ„ torem, senatorem esse, sententiamque loco præ„ torio dicere; ejusque rationem, quemcunque ma„ gi-

* Vulg. *libertatis*.

(1) *Ille in adversariorum*) Sensus est: in Italia, quæ fere tota sequebatur Marii partes contra Sullam, habuit Picenum agrum Pompejus inimicum Marianis; ex quo agro exercitum ille confecit. *Ferrat*.

ANALYSIS.

(a) *Demus igitur*) *Complexio* de honoribus, quibus ornandum Cæsarem censet per S. C.

„ gistratum petet, ita haberi, ut haberi per leges „ liceret, si anno superiore quæstor fuisset. „

Quid est enim (*a*), Patres Conscripti, cur eum non quam primum amplissimos honores capere cupiamus? Legibus enim (*b*) annalibus cum grandiorem ætatem ad consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatem verebantur. C. Cæsar (*c*) ineunte ætate docuit, ab excellenti eximiaque virtute progressum ætatis expectari non oportere. Itaque (*d*) majores nostri, veteres illi, admodum antiqui, leges annales non habebant: quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter æquales. Ita sæpe magna indoles virtutis prius, quam reipublicæ prodesse potuisset, extincta est. At vero apud antiquos, Rulli, Decii, Corvini, multique alii, recentiore autem memoria superior Africanus, T. Flamininus, * admodum adolescentes consules facti, tantas res gesserunt, ut populi Romani imperium auxerint, nomen ornarint. Quid Macedo Alexander? cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nonne tertio & tricesimo anno mortem obiit? quæ est ætas nostris legibus decem annis minor, quam consularis. Ex quo judicari potest, virtutis esse, quam ætatis, cursum celeriorem.

XVIII. Nam quod ii (*e*), qui Cæsari invident,

* Vulg. *Flaminius*.

ANALYSIS:

(a) *Quid est enim*) Occupat, quod objicere poterant interfectores Cæsaris, eorumque cognati, & amici; probat enim *a Causis*, non esse denegandos Octavio Magistratus ante legitimum tempus, hac ratione:

Ideo certum tempus lege annali constitutum est ad Magistratus, quia temeritas adolescentiæ timebatur;
Sed in adolescente C. Cæsare nulla temeritas timeri debet;
Ergo non sunt illi denegandi Magistratus ante legitimum tempus.

(b) *Legibus enim*) *Propositio*.
(c) *C. Cæsar*) *Assumptio*.
(d) *Itaque*) *Propositionis* approbatio, *ab Exemplis*.
(e) *Nam quod ii*) Alterum occupat de nimia C. Cæsaris poten-

dent, simulant se timere: ne verendum quidem est, ut tenere se possit, ut moderari, ne honoribus nostris elatus intemperantius suis opibus utatur. Ea natura (*a*) rerum est, Patres Conscripti, ut, qui sensum veræ gloriæ ceperit, quique se ab senatu, ab equitibus, populoque Romano universo senserit civem carum haberi, salutaremque reipublicæ, nihil cum hac gloria comparandum putet. Utinam C. Cæsari (patri dico) contigisset adolescenti, ut esset senatui atque optimo cuique carissimus! quod cum consequi neglexisset, omnem vim ingenii, quæ summa fuit in illo, in populari levitate consumpsit. Itaque cum respectum ad senatum & ad bonos non haberet, eam sibi viam ipse patefecit ad opes suas amplificandas, quam virtus liberi populi ferre non posset. Ejus autem (*b*) filii longe sane * diversa ratio: qui cum omnibus est, tum optimo cuique carissimus. In hoc spes libertatis posita est: ab hoc accepta jam salus: huic summi honores & exquiruntur, & parati sunt. Cujus igitur singularem prudentiam admiramur, ejus stultitiam timemus? Quid enim stultius, quam inutilem potentiam, invidiosas opes, cupiditatem dominandi præcipitem & lubricam anteferre veræ, gravi, solidæ gloriæ? An hoc vidit puer, si ætate processerit, non videbit?

At

* Vulg. *longissime*.

ANALYSIS.

tentia, ostenditque *ab Adjunctis* nunquam fore, ut ille suis opibus intemperantius utatur:

Qui se carum Senatui, & bonis omnibus esse intelligit, negliget consilia hominum perditorum;
Sed Cæsar adolescens intelligit Senatui se, & bonis omnibus carum esse;
Ergo negliget perditorum consilia.

(a) *Ea natura*) *Propositio*, ejusque approbatio *ab Exemplo dissimili* Cæsaris Dictatoris: idque etiam attingitur Orat. de Provinciis.

(b) *Ejus autem*) *Assumptio*, eaque confirmatur a prudentia, & ætate Octavii.

At est (*a*) quibusdam inimicus clarissimis atque optimis civibus. Nullus iste timor esse debet, omnes Cæsar inimicitias reipublicæ condonavit: hanc sibi judicem constituit, hanc moderatricem * omnium factorum. Ita enim ad rempublicam accessit, ut eam confirmaret, non ut everteret. Omnes habeo cognitos sensus adolescentis. Nihil est illi republica, ** nihil vestra auctoritate gravius, nihil bonorum virorum judicio optatius, nihil vera gloria dulcius. Quamobrem ab eo non modo nihil timere, sed majora & meliora expectare debetis: neque in eo, qui ad D. Brutum obsidione liberandum profectus sit, timere, ne memoria maneat domestici doloris, quæ plus apud eum possit, quam salus civitatis. Audeo etiam obligare fidem meam, Patres Conscripti, vobis, populoque Romano, reique publicæ, quod profecto, cum me nulla vis cogeret, facere non auderem, pertimescerem que in re maxima periculosam opinionem temeritatis: promitto, recipio, spondeo (1), Patres Conscripti, C. Cæsarem talem semper fore civem, qualis hodie sit, qualemque eum maxime esse velle & optare debemus. Quæ cum ita sint, de Cæsare satis hoc tempore dictum habebo.

XIX. Nec vero (*b*) de L. Egnatulejo, fortissimo

* Vulg. addit *consiliorum*. ** Vulg. addit *carius*.

(1) *Promitto, recipio, spondeo*) Expressit hæc ab eo vel odium in Antonium, vel studium ergo remp. Promittere autem de altero, præsertim de adolescente, perpetuam in recta laudabilique ratione voluntatem, cujus prudentiæ fuerit, haud ita multo post Cicero ipse sensit. Scripsit enim ad M. Brutum: *Maximo, cum hæc scribebam, afficiebar dolore, quod, cum me pro adolescente, ac pene puero, resp. accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram, præstare posse*. Manut.

A N A L Y S I S.

(a) *At est*) Hoc etiam tertio loco refellit, tum quia Cæsar privatas inimicitias Reip. condonavit; tum quia D. Brutum non defenderet, si Patrem ulcisci vellet; suamque tandem fidem ipse Cicero obligat.

(b) *Nec vero*) Ultimo de L. Egnatulejo quæstore; deque exercitu C. Cæsaris, quid sentiat, exponit.

simo & constantissimo cive, amicissimoque reipublicæ, silendum arbitror: sed tribuendum testimonium virtutis egregiæ, quod is legionem quartam ad Cæsarem adduxerit, quæ præsidio consulibus, senatui, populoque Romano, reique publicæ esset: ob eam causam placere, uti L. Egnatulejo triennium ante (1) legitimum tempus magistratus petere, capere, gerere liceat. In quo, Patres Conscripti, non tantum commodum tribuitur L. Egnatulejo, quantus honos. In tali enim re satis est nominari.

De exercitu autem C. Cæsaris ita censeo decernendum: SENATUI placere, militibus veteranis, qui Cæsaris, pontificis (2), „ auctoritatemque „ hujus ordinis defenderint, atque defendant, his, „ liberisque eorum militiæ vacationem esse: utique „ C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter ambove „ cognoscerent, qui ager his colonis esset, quo mi„ lites veterani deducti essent, qui contra legem „ Juliam possideretur, ut is militibus veteranis di„ videretur: de agro Campano separatim cognosce„ rent, inirentque rationem de commodis militum „ veteranorum augendis: legionique Martiæ, & „ legioni quartæ, & iis militibus, qui de legione „ secunda, xxxv (3), ad C. Pansam, A. Hir„ tium, consules, venissent, suaque nomina de„ dissent: quod iis auctoritas senatus, populique „ Romani libertas carissima sit, & fuerit, vaca„ tio-

(1) *Triennium ante*) Ut possit Ædilitatem petere anno trigesimo tertio; quæ res illi tum commodo erat, tum multo magis honori, in eo decreto nominari, in quo viri celeberrimi ornarentur. *Ferrat.*

(2) *Cæsaris, Pontificis*) Videtur deesse, *Voluntatem secuti sint*. Manut.

(3) *Secunda*, xxxv) Sive, secunda, trigesima quinta. Quin etiam addidit conjunctionem Muretus, *secunda*, & *trigesima quinta*. Hæ scilicet legiones, ut observat Manutius, cum Antonio de quatuor Macedonicis remanserant: ex iis tamen ipsis milites multi ad Pansam Hirtiumque consules venerant. Propterea dixit Cicero Philipp. III. cap. 12. *In Galliam mutilatum ducit exercitum*. Olivetus.

„ tionem militiæ ipsis, liberisque eorum esse pla-
„ cere, extra tumultum Gallicum, Italicumque:
„ easque legiones bello confecto, missas fieri pla-
„ cere: quantamque pecuniam militibus earum
„ legionum in singulos C. Cæsar, pontifex, pro-
„ prætor pollicitus sit, tantam dari placere: uti-
„ que C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter am-
„ bove, rationem agri habeant, qui sine injuria
„ privatorum dividi possit: isque militibus legio-
„ nis Martiæ, & legionis quartæ ita daretur,
„ assignaretur, ut quibus militibus amplissime da-
„ ti, assignati essent.

EPILOGUS.

Dixi (*a*) ad ea omnia, Consules, de quibus retulistis: quæ si erunt sine mora matureque decreta, facilius apparabitis ea, quæ tempus & necessitas flagitat. Celeritate autem opus est: qua si essemus usi, bellum, ut sæpe dixi, nullum haberemus.

ANALYSIS.

(a) *Dixi*) Brevis est Orationis conclusio, & rursus Consules admonet, ut in gerendo bello celeritate uti velint: factumque est S. C. fere in sententiam Ciceronis quoad honores, & præmia.

IN

IN
M. ANTONIUM.
AD QUIRITES.
PHILIPPICA VI.
ARGUMENTUM.

Kalendis, Januariis, quo die habita est superior oratio, nihil senatus decrevit: ne postridie quidem, intercedente Salvio Tribuno. Itaque III. *Non. Januar. factum est S. C. de Legatis ad Antonium mittendis Pisone, Philippo, & Sulpicio Consularibus. Eodem die productus ad Populum Cicero ab Apulejo Tribuno, quid actum sit in Senatu exponit, quid sperare liceat, & ad libertatem conservandam hortatur.* Ferrat.

PHILIPPICÆ VI. SYNOPSIS.

Hujus Orationis duæ sunt partes, & genus *Deliberativum*; laudandum ne, an vituperandum sit S. C. de mittendis ad Antonium legatis.

In prima parte 1. est *Propositio* universalis: *Audita vobis esse*; 2. redarguit S. C. *ab Adjunctis* personæ, præmissa *narratione: Causa fortissimis*; 3. laudat idem S. C. *a simili exemplo* Annibalis: *Quanquam, Quirites*; 4. iterum reprehendit *a Causis*; *Facile vero huic*; 5. iterum laudat *ab Adjunctis* personarum: *Quod vero ita avocatur*.

Vituperat moram bello allatam *ab Adjunctis* Personæ, cui succurrere oportebat: *Nam, cum plerisque*

que in rebus; non autem causam belli sublatum iri: *Sed præterita omittamus.*

Per *digressionem* Plancum, & Trebellium insectatur amicos Antonii: *Pluris habetur, quam L. Trebellius*; & populum increpat propter tres Statuas L. Antonio positas: *Redeo ad amores.*

In secunda parte, non inutilem fore ostendit missionem Legatorum, ut manifesta fiat nequitia Antonii: *Ego autem vos hortor;* se Reip. non defuturum pollicetur: *An ego non provideam;* & populum hortatur, ut velit etiam cum vitæ periculo tueri libertatem: *Venit tempus, Quirites.*

PRIMA PARS.

I. **A**Udita vobis (*a*) esse arbitror, Quirites, quæ sint acta in senatu, quæ fuerit cujusque sententia. Res enim ex Kalend. Jan. agitata, paulo ante confecta est, minus quidem illa severe, quam decuit, non tamen omnino dissolute. Mora est allata bello, non causa sublata. Quamobrem, quod quæsivit a me P. Apulejus, homo & multis officiis mihi & summa familiaritate conjunctus, & vobis amicissimus, ita respondebo, ut ea, quibus non interfuistis, nosse possitis.

Causa (*b*) fortissimis optimisque consulibus Kalendis Januariis de republica primum referendi fuit ex eo, quod XIII. Kalend. Januar. senatus me auctore decrevit. Eo die primum, Quirites, fundamenta jacta sunt reipublicæ. Fuit enim longo intervallo ita liber senatus, ut vos aliquando liberi essetis. Quo quidem tempore etiam si ille dies vitæ finem mihi allaturus esset, satis magnum ceperam

ANALYSIS.

(a) *Audita vobis*) *Propositio* hujus primæ partis, & sententia generalis de S. C., quam deinde probat.

(b) *Causa*) Narrat, quare de Rep. Consules retulerint Kal. Jan., quam ipse sententiam defenderit, quid tandem decretum fuerit.

peram fructum, cum vos universi una mente atque voce iterum a me conservatam esse rempublicam conclamastis. Hoc vestro judicio tanto tamque præclaro excitatus, ita Kalendis Januariis veni in senatum, ut meminissem, quam personam impositam a vobis sustinerem. Itaque bellum nefarium illatum reipublicæ cum viderem, nullam moram interponendam insequendi M. Antonium putavi; hominemque audacissimum, qui multis nefariis rebus ante commissis, hoc tempore imperatorem populi Romani oppugnaret, coloniam vestram fidissimam fortissimamque obsideret, bello censui persequendum: tumultum esse decerni, justitium edici, saga sumi, dixi placere, quo omnes acrius graviusque incumberent ad ulciscendas reipublicæ injurias, si omnia gravissimi belli insignia suscepta a senatu viderent. Itaque hæc sententia, Quirites, sic per triduum valuit, ut, quamquam discessio (1) facta non esset, tamen, præter paucos, omnes mihi assensuri viderentur. Hodierno autem die, nescio qua eis* objecta re (2), remissior senatus fuit. Nam plures eam sententiam secuti sunt, ut, quantum senatus auctoritas, vesterque consensus apud Antonium valiturus esset, per legatos experiremur.

II. Intelligo (a), Quirites, a vobis hanc sen-

 ten-

* in Vulg. deest *eis*.

(1) *Discessio*) Postquam consulares, & principes Senatus dixerant sententias, ut res transigi posset, reliqui patres discedentes in dexteram aut sinistram partem ostendebant cui sententiæ adhærerent. *Ferrat.*

(2) *Nescio qua eis objecta re*) Res ea quæ fuerit, quia senatus dignitatis rationem habet, significandum non putat. Fuit enim, ut ex Appiano cognoscitur, matris Antonii, uxoris, filii, amicorum nocturna deprecatio. *Manutius.*

ANALYSIS.

(a) *Intelligo*) Coarguit S. C., quod & Populus hoc loco sua reclamatione improbaverat; utitur autem argumento *ab Adjunctis*:

Illi erat bellum indicendum, non mittendi Legati, qui hostili animo est in Remp.

Talis est Antonius;

Ergo Antonio bellum erat indicendum, non mittendi Legati.

Ha-

ſet? Advolabat (*a*) ad urbem a Brunduſio homo impotentiſſimus, ardens odio, animo hoſtili in omnes bonos, cum exercitu, Antonius. Quid hujus audaciæ & ſceleri poterat opponi? nondum ullos duces habebamus, non copias: nullum erat conſilium publicum, nulla libertas: dandæ cervices erant crudelitati nefariæ: fugam quærebamus omnes, quæ ipſa exitum non habebat.

Quis tum nobis, quis populo Romano obtulit hunc divinum adoleſcentem, deus? qui, cum omnia ad perniciem noſtram peſtifero illi civi paterent, ſubito præter ſpem omnium exortus, prius confecit exercitum, quem furori M. Antonii opponeret, quam quiſquam hoc eum cogitare ſuſpicaretur. Magni honores habiti Cn. Pompejo, cum eſſet adoleſcens: & quidem jure. Subvenit enim reipublicæ: ſed ætate (*b*) multo robuſtior, & militum ducem quærentium ſtudio paratior, & in alio genere belli. Non enim omnibus Syllæ cauſa grata. Declarat multitudo proſcriptorum, tot municipiorum maximæ calamitates. Cæſar autem annis multis minor, veteranos, cupientes jam requieſcere, armavit: eam complexus eſt cauſam, quæ eſſet ſenatui, quæ populo, quæ cunctæ Italiæ, quæ diis omnibus* gratiſſima. Et Pompejus ad L. Syllæ maximum imperium, victoremque exercitum acceſſit: Cæſar ſe ad neminem adjunxit: ipſe princeps exercitus faciendi, & præſidii comparandi fuit. Ille in ad-

* Al. *diis hominibuſque*.

ANALYSIS.

(a) *Advolabat*) Oſtendit *ab Adjunctis* certam Reip. perniciem, niſi Cæſar ſubveniſſet.

(b) *Sed ætate*) Diſſimilitudo inter Pompejum, & Cæſarem; ille 23. annos natos, hic 19.; ille voluntarios milites conſcripſit, hic veteranos volentes requieſcere; ille cauſam defendit non omnibus gratam, hic ipſius Reip. cauſam; ille ad Syllam victorem acceſſit, hic ad neminem; ille ex amicis ſibi, hic ex Antonii amicis confecit exercitum; ille ut regnaret Sylla, hic ne regnaret Antonius.

adversariorum (1) partibus agrum Picenum habuit inimicum: hic ex Antonii amicis, sed amicioribus libertati, * contra Antonium confecit exercitum. Illius opibus Sylla regnavit; hujus præsidio Antonii dominatus oppressus est. Demus igitur (*a*) imperium Cæsari, sine quo res militaris administari, teneri exercitus, bellum geri non potest. Sit pro prætore eo jure, quo qui optimo. Qui honos, quanquam est magnus illi ætati, tamen ad necessitatem rerum gerendarum, non solum ad dignitatem valet. Itaque illa quæramus, quæ vix hodierno die consequemur.

XVII. Sed sæpe spero fore hujus adolescentis ornandi honorandique, & nobis, & populo Romano potestatem. Hoc autem tempore ita censeo decernendum. „ Quod C. Cesar, Caji filius, pontifex, pro
„ prætore, summo reipublicæ tempore milites ve-
„ teranos ad libertatem populi Romani cohortatus
„ sit, eosque conscripserit, quodque legio Martia,
„ quartaque, summo studio, optimoque in rempu-
„ blicam consensu, C. Cæsare duce & auctore,
„ rempublicam, libertatem populi Romani defen-
„ dant, defenderint; & quod C. Cæsar, pro prætore
„ Galliæ provinciæ cum exercitu subsidio profectus
„ sit, equites, sagittarios, elephantos in suam, popu-
„ lique Romani potestatem redegerit, difficillimoque
„ reipublicæ tempore saluti dignitatique populi Ro-
„ mani subvenerit; ob eas causas senatui placere,
„ C. Cæsarem, Caji filium, pontificem, proprætorem, senatorem esse, sententiamque loco præ-
„ torio dicere; ejusque rationem, quemcunque ma-
„ gi-

* Vulg. *libertatis*.

(1) *Ille in adversariorum*) Sensus est: in Italia, quæ fere tota sequebatur Marii partes contra Sullam, habuit Picenum agrum Pompejus inimicum Marianis; ex quo agro exercitum ille confecit. *Ferrat*.

ANALYSIS.

(*a*) *Demus igitur*) *Complexio* de honoribus, quibus ornandum Cæsarem censet per S. C.

„ gistratum petet, ita haberi, ut haberi per leges „ liceret, si anno superiore quæstor fuisset. „

Quid est enim (*a*), Patres Conscripti, cur eum non quam primum amplissimos honores capere cupiamus? Legibus enim (*b*) annalibus cum grandiorem ætatem ad consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatem verebantur. C. Cæsar (*c*) ineunte ætate docuit, ab excellenti eximiaque virtute progressum ætatis expectari non oportere. Itaque (*d*) majores nostri, veteres illi, admodum antiqui, leges annales non habebant: quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter æquales. Ita sæpe magna indoles virtutis prius, quam reipublicæ prodesse potuisset, extincta est. At vero apud antiquos, Rulli, Decii, Corvini, multique alii, recentiore autem memoria superior Africanus, T. Flamininus, * admodum adolescentes consules facti, tantas res gesserunt, ut populi Romani imperium auxerint, nomen ornarint. Quid Macedo Alexander? cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nonne tertio & tricesimo anno mortem obiit? quæ est ætas nostris legibus decem annis minor, quam consularis. Ex quo judicari potest, virtutis esse, quam ætatis, cursum celeriorem.

XVIII. Nam quod ii (*e*), qui Cæsari invident,

* Vulg. *Flaminius*.

ANALYSIS:

(a) *Quid est enim*) Occupat, quod objicere poterant interfectores Cæsaris, eorumque cognati, & amici; probat enim *a Causis*, non esse denegandos Octavio Magistratus ante legitimum tempus, hac ratione:

Ideo certum tempus lege annali constitutum est ad Magistratus, quia temeritas adolescentiæ timebatur;
Sed in adolescente C. Cæsare nulla temeritas timeri debet;
Ergo non sunt illi denegandi Magistratus ante legitimum tempus.

(b) *Legibus enim*) *Propositio*.
(c) *C. Cæsar*) *Assumptio*.
(d) *Itaque*) *Propositionis* approbatio, *ab Exemplis*.
(e) *Nam quod ii*) Alterum occupat de nimia C. Cæsaris poten-

dent, simulant se timere: ne verendum quidem est, ut tenere se possit, ut moderari, ne honoribus nostris elatus intemperantius suis opibus utatur. Ea natura (*a*) rerum est, Patres Conscripti, ut, qui sensum veræ gloriæ ceperit, quique se ab senatu, ab equitibus, populoque Romano universo senserit civem carum haberi, salutaremque reipublicæ, nihil cum hac gloria comparandum putet. Utinam C. Cæsari (patri dico) contigisset adolescenti, ut esset senatui atque optimo cuique carissimus! quod cum consequi neglexisset, omnem vim ingenii, quæ summa fuit in illo, in populari levitate consumpsit. Itaque cum respectum ad senatum & ad bonos non haberet, eam sibi viam ipse patefecit ad opes suas amplificandas, quam virtus liberi populi ferre non posset. Ejus autem (*b*) filii longe sane * diversa ratio: qui cum omnibus est, tum optimo cuique carissimus. In hoc spes libertatis posita est: ab hoc accepta jam salus: huic summi honores & exquiruntur, & parati sunt. Cujus igitur singularem prudentiam admiramur, ejus stultitiam timemus? Quid enim stultius, quam inutilem potentiam, invidiosas opes, cupiditatem dominandi præcipitem & lubricam anteferre veræ, gravi, solidæ gloriæ? An hoc vidit puer, si ætate processerit, non videbit?

At

* Vulg. *longissime*.

A N A L Y S I S.

tentia, ostenditque *ab Adjunctis* nunquam fore, ut ille suis opibus intemperantius utatur:

Qui se carum Senatui, & bonis omnibus esse intelligit, negliget consilia hominum perditorum;

Sed Cæsar adolescens intelligit Senatui se, & bonis omnibus carum esse;

Ergo negliget perditorum consilia.

(a) *Ea natura*) *Propositio*, ejusque approbatio *ab Exemplo dissimili* Cæsaris Dictatoris: idque etiam attingitur Orat. de Provinciis.

(b) *Ejus autem*) *Assumptio*, eaque confirmatur a prudentia, & ætate Octavii.

At est (*a*) quibusdam inimicus clarissimis atque optimis civibus. Nullus iste timor esse debet, omnes Cæsar inimicitias reipublicæ condonavit: hanc sibi judicem constituit, hanc moderatricem * omnium factorum. Ita enim ad rempublicam accessit, ut eam confirmaret, non ut everteret. Omnes habeo cognitos sensus adolescentis. Nihil est illi republica, ** nihil vestra auctoritate gravius, nihil bonorum virorum judicio optatius, nihil vera gloria dulcius. Quamobrem ab eo non modo nihil timere, sed majora & meliora expectare debetis: neque in eo, qui ad D. Brutum obsidione liberandum profectus sit, timere, ne memoria maneat domestici doloris, quæ plus apud eum possit, quam salus civitatis. Audeo etiam obligare fidem meam, Patres Conscripti, vobis, populoque Romano, reique publicæ, quod profecto, cum me nulla vis cogeret, facere non auderem, pertimescerémque in re maxima periculosam opinionem temeritatis: promitto, recipio, spondeo (1), Patres Conscripti, C. Cæsarem talem semper fore civem, qualis hodie sit, qualemque eum maxime esse velle & optare debemus. Quæ cum ita sint, de Cæsare satis hoc tempore dictum habebo.

XIX. Nec vero (*b*) de L. Egnatulejo, fortissimo

* Vulg. addit *consiliorum*. ** Vulg. addit *carius*.

(1) *Promitto, recipio, spondeo*) Expressit hæc ab eo vel odium in Antonium, vel studium ergo remp. Promittere autem de altero, præsertim de adolescente, perpetuam in recta laudabilique ratione voluntatem, cujus prudentiæ fuerit, haud ita multo post Cicero ipse sensit. Scripsit enim ad M. Brutum: *Maximo, cum hæc scribebam, afficiebar dolore, quod, cum me pro adolescente, ac pene puero, resp. accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram, præstare posse*. Manut.

A N A L Y S I S.

(a) *At est*) Hoc etiam tertio loco refellit, tum quia Cæsar privatas inimicitias Reip. condonavit; tum quia D. Brutum non defenderet, si Patrem ulcisci vellet; suamque tandem fidem ipse Cicero obligat.

(b) *Nec vero*) Ultimo de L. Egnatulejo quæstore; deque exercitu C. Cæsaris, quid sentiat, exponit.

ſimo & conſtantiſſimo cive, amiciſſimoque reipublicæ, ſilendum arbitror: ſed tribuendum teſtimonium virtutis egregiæ, quod is legionem quartam ad Cæſarem adduxerit, quæ præſidio conſulibus, ſenatui, populoque Romano, reique publicæ eſſet: ob eam cauſam placere, uti L. Egnatulejo triennium ante (1) legitimum tempus magiſtratus petere, capere, gerere liceat. In quo, Patres Conſcripti, non tantum commodum tribuitur L. Egnatulejo, quantus honos. In tali enim re ſatis eſt nominari.

De exercitu autem C. Cæſaris ita cenſeo decernendum: SENATUI placere, militibus veteranis, qui Cæſaris, pontificis (2), „ auctoritatemque „ hujus ordinis defenderint, atque defendant, his, „ liberiſque eorum militiæ vacationem eſſe: utique „ C. Panſa, A. Hirtius, conſules, alter ambove „ cognoſcerent, qui ager his colonis eſſet, quo mi„ lites veterani deducti eſſent, qui contra legem „ Juliam poſſideretur, ut is militibus veteranis di„ videretur: de agro Campano ſeparatim cognoſce„ rent, inirentque rationem de commodis militum „ veteranorum augendis: legionique Martiæ, & „ legioni quartæ, & iis militibus, qui de legione „ ſecunda, xxxv (3), ad C. Panſam, A. Hir„ tium, conſules, veniſſent, ſuaque nomina de„ diſſent: quod iis auctoritas ſenatus, populique „ Romani libertas cariſſima ſit, & fuerit, vaca„ tio-

(1) *Triennium ante*) Ut poſſit Ædilitatem petere anno trigeſimo tertio; quæ res illi tum commodo erat, tum multo magis honori, in eo decreto nominari, in quo viri celeberrimi ornarentur. *Ferrat*.

(2) *Cæſaris, Pontificis*) Videtur deeſſe, *Voluntatem ſecuti ſint*. Manut.

(3) *Secunda*, xxxv) Sive, ſecunda, trigeſima quinta. Quin etiam addidit conjunctionem Muretus, *ſecunda*, & *trigeſima quinta*. Hæ ſcilicet legiones, ut obſervat Manutius, cum Antonio de quatuor Macedonicis remanſerant: ex iis tamen ipſis milites multi ad Panſam Hirtiumque conſules venerant. Propterea dixit Cicero Philipp. III. cap. 12. *In Galliam mutilatum ducit exercitum*. Olivetus.

„ tionem militiæ ipsis, liberisque eorum esse pla-
„ cere, extra tumultum Gallicum, Italicumque:
„ easque legiones bello confecto, missas fieri pla-
„ cere: quantamque pecuniam militibus earum
„ legionum in singulos C. Cæsar, pontifex, pro-
„ prætor pollicitus sit, tantam dari placere: uti-
„ que C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter am-
„ bove, rationem agri habeant, qui sine injuria
„ privatorum dividi possit: isque militibus legio-
„ nis Martiæ, & legionis quartæ ita daretur,
„ assignaretur, ut quibus militibus amplissime da-
„ ti, assignati essent.

EPILOGUS.

Dixi (*a*) ad ea omnia, Consules, de quibus retulistis: quæ si erunt sine mora matureque decreta, facilius apparabitis ea, quæ tempus & necessitas flagitat. Celeritate autem opus est: qua si essemus usi, bellum, ut sæpe dixi, nullum haberemus.

ANALYSIS.

(a) *Dixi*) Brevis est Orationis conclusio, & rursus Consules admonet, ut in gerendo bello celeritate uti velint: factumque est S. C. fere in sententiam Ciceronis quoad honores, & præmia.

IN

IN M. ANTONIUM. AD QUIRITES.

PHILIPPICA VI.

ARGUMENTUM.

K*Alendis, Januariis, quo die habita est superior oratio, nihil senatus decrevit: ne postridie quidem, intercedente Salvio Tribuno. Itaque* III. *Non. Januar. factum est S. C. de Legatis ad Antonium mittendis Pisone, Philippo, & Sulpicio Consularibus. Eodem die productus ad Populum Cicero ab Apulejo Tribuno, quid actum sit in Senatu exponit, quid sperare liceat, & ad libertatem conservandam hortatur.* FERRAT.

PHILIPPICÆ VI. SYNOPSIS.

HUjus Orationis duæ sunt partes, & genus *Deliberativum;* laudandum ne, an vituperandum sit S. C. de mittendis ad Antonium legatis.

In prima parte 1. est *Propositio* universalis: *Audita vobis esse;* 2. redarguit S. C. *ab Adjunctis* personæ, præmissa *narratione: Causa fortissimis;* 3. laudat idem S. C. *a simili exemplo* Annibalis: *Quanquam, Quirites;* 4. iterum reprehendit *a Causis; Facile vero huic;* 5. iterum laudat *ab Adjunctis* personarum: *Quod vero ita avocatur.*

Vituperat moram bello allatam *ab Adjunctis* Personæ, cui succurrere oportebat: *Nam, cum plerisque*

que in rebus; non autem caufam belli fublatum iri: *Sed præterita omittamus.*

Per *digreffionem* Plancum, & Trebellium infe-ctatur amicos Antonii: *Pluris habetur, quam L. Trebellius*; & populum increpat propter tres Statuas L. Antonio pofitas: *Redeo ad amores.*

In fecunda parte, non inutilem fore oftendit miffionem Legatorum, ut manifefta fiat nequitia Antonii: *Ego autem vos hortor;* fe Reip. non defuturum pollicetur: *An ego non provideam;* & populum hortatur, ut velit etiam cum vitæ periculo tueri libertatem: *Venit tempus, Quirites.*

PRIMA PARS.

I. AUdita vobis (*a*) effe arbitror, Quirites, quæ fint acta in fenatu, quæ fuerit cujufque fententia. Res enim ex Kalend. Jan. agitata, paulo ante confecta eft, minus quidem illa fevere, quam decuit, non tamen omnino diffolute. Mora eft allata bello, non caufa fublata. Quamobrem, quod quæfivit a me P. Apulejus, homo & multis officiis mihi & fumma familiaritate conjunctus, & vobis amiciffimus, ita refpondebo, ut ea, quibus non interfuiftis, noffe poffitis.

Caufa (*b*) fortiffimis optimifque confulibus Kalendis Januariis de republica primum referendi fuit ex eo, quod XIII. Kalend. Januar. fenatus me auctore decrevit. Eo die primum, Quirites, fundamenta jacta funt reipublicæ. Fuit enim longo intervallo ita liber fenatus, ut vos aliquando liberi effetis. Quo quidem tempore etiam fi ille dies vitæ finem mihi allaturus effet, fatis magnum ce-

peram

ANALYSIS.

(a) *Audita vobis*) *Propofitio* hujus primæ partis, & fententia generalis de S. P. Q. R., quam deinde probat.

(b) *Caufa*) Narrat, quare de Rep. Confules retulerint Kal. Jan., quam ipfe fententiam defenderit, quid tandem decretum fuerit.

peram fructum, cum vos universi una mente atque voce iterum a me conservatam esse rempublicam conclamastis. Hoc vestro judicio tanto tamque præclaro excitatus, ita Kalendis Januariis veni in senatum, ut meminissem, quam personam impositam a vobis sustinerem. Itaque bellum nefarium illatum reipublicæ cum viderem, nullam moram interponendam insequendi M. Antonium putavi; hominemque audacissimum, qui multis nefariis rebus ante commissis, hoc tempore imperatorem populi Romani oppugnaret, coloniam vestram fidissimam fortissimamque obsideret, bello censui persequendum: tumultum esse decerni, justitium edici, saga sumi, dixi placere, quo omnes acrius graviusque incumberent ad ulciscendas reipublicæ injurias, si omnia gravissimi belli insignia suscepta a senatu viderent. Itaque hæc sententia, Quirites, sic per triduum valuit, ut, quamquam discessio (1) facta non esset, tamen, præter paucos, omnes mihi assensuri viderentur. Hodierno autem die, nescio qua eis * objecta re (2), remissior senatus fuit. Nam plures eam sententiam secuti sunt, ut, quantum senatus auctoritas, vesterque consensus apud Antonium valiturus esset, per legatos experiremur.

II. Intelligo (*a*), Quirites, a vobis hanç sen-

 ten-

* in Vulg. deest *eis*.

(1) *Discessio*) Postquam consulares, & principes Senatus dixerant sententias, ut res transigi posset, reliqui patres discedentes in dexteram aut sinistram partem ostendebant cui sententiæ adhærerent. *Ferrat.*

(2) *Nescio qua eis objecta re*) Res ea quæ fuerit, quia senatus dignitatis rationem habet, significandum non putat. Fuit enim, ut ex Appiano cognoscitur, matris Antonii, uxoris, filii, amicorum nocturna deprecatio. *Manutius.*

ANALYSIS.

(a) *Intelligo*) Coarguit S. C., quod & Populus hoc loco sua reclamatione improbàverat; utitur autem argumento *ab Adjunctis*:

Illi erat bellum indicendum, non mittendi Legati, qui hostili animo est in Remp.

Talis est Antonius;

Ergo Antonio bellum erat indicendum, non mittendi Legati.

Ha-

tentiam repudiari: neque injuria. Ad quem enim legatos? ad eumne, qui pecunia publica dissipata atque effusa, per vim & contra auspicia impositis populo Romano * legibus, fugata concione, obsesso senatu, ad opprimendam rempublicam Brundusio legiones arcesserit? ** ab his relictus cum latronum manu in Galliam irruperit? Brutum oppugnet? Mutinam circumsedeat? *** Quæ vobis potest cum hoc gladiatore conditionis, æquitatis, legationis esse communitas?

Quanquam (*a*), Quirites, non est illa legatio, sed denuntiatio belli, nisi paruerit. Ita enim est (*b*) decretum, ut si legati ad Annibalem mitterentur. Mittuntur enim qui nuntient, ne oppugnet consulem designatum, ne Mutinam obsideat, ne provinciam depopuletur, ne delectus habeat, sit in senatus populique Romani potestate. Facile vero (*c*) huic denuntiationi parebit, ut in patrum conscriptorum atque in vestra potestate sit, qui in sua nunquam fuerit? Quid enim ille unquam

* Vulg. *impositis reip. legibus*. ** Vulg. *arcessierit*.
*** Vulg. *circumsideat*.

ANALYSIS.

Habetur *Assumptio* cum *Complexione* conjuncta, approbata *ab Effectis*.

(a) *Quanquam*) Postquam S. C. reprehendit ut nimium lene, probat non omnino esse dissolutum, *a Simili Exemplo*:

Non abjecte egit Senatus, si tractat Antonium, ut Majores nostri Annibalem;

Sed ita mittitur legatio ad Antonium, ut quondam missa est ad Annibalem;

Ergo non omnino dissolute Senatus decrevit in Antonium.

(b) *Ita enim est*) *Assumptio*, quam illustrat exponendo mandata legatorum.

(c) *Facile vero*) Rursus improbat illud decretum, quod nullam spem afferat pacis; nullam enim spem esse de Antonii moderatione, sic probat *a Causis:*

Qui se a pravis cupiditatibus regi patitur, non parebit Senatui justa quidem, sed dura præcipienti;

Antonius nunquam ratione, & pravis semper cupiditatibus se regi passus est;

Ergo non parebit Senatui duras pacis conditiones offerenti:

Facile vero) *Assumptio*.

quam arbitrio suo fecit, semper eo tractus, quo libido rapuit, quo levitas, quo furor, quo vinolentia? * Semper eum duo dissimilia genera tenuerunt, lenonum & latronum, ita domesticis stupris, forensibus parricidiis delectatur, ut mulieri citius avarissimæ paruerit, quam senatui, populoque Romano.

III. Itaque, quod (*a*) paulo ante feci in senatu, faciam apud vos. Testificor, denuntio, ante prædico, nihil M. Antonium eorum, quæ sunt legatis mandata, facturum: vastaturum agros, Mutinam obsessurum, delectus, qua possit, habiturum. Is est enim ille, qui semper senatus judicium & auctoritatem, semper voluntatem vestram potestatemque contempserit. An ille (*b*) id faciat, quod paulo ante decretum est, ut exercitum citra flumen Rubiconem, qui finis est Galliæ, educeret, dum ne propius urbem Romam CC. mill. admoveret? huic denuntiationi ille pareat? ille se fluvio Rubicone CC. mill. circumscriptum esse patiatur? Non is est Antonius. Nam si esset, non commisisset, ut ei senatus, tanquam Annibali initio belli Punici, denuntiaret, ne oppugnaret Saguntum. Quod vero (*c*) ita avocatur a Mutina, ut ab urbe, tanquam pestifera flamma, arceatur, quam habet ignominiam? quod judicium senatus? Quid, quod a senatu dantur mandata legatis, ut D. Brutum militesque ejus adeant, iisque ** demonstrent,

* Urs. *violentia*, ut & infra. ** Vulg. *hisque*.

A N A L Y S I S.

(a) *Itaque, quod*) *Complexio*.

(b) *An ille*) Exponit, quam severa ad Antonium data fuerint legatis mandata, ut e Gallia exiret, neque tamen propius Romam CC. mil. passuum admoveret exercitum.

(c) *Quod vero*) Iterum laudare videtur, quod jam bis reprehenderat, & ignominiose tractatum Antonium a Senatu ita ostendit *ab Adjunctis*:

Magna est illius ignominia, quem a se procul amovet, & cujus Adversarios laudat Senatus;

Sed hoc decreto amovetur ab urbe Antonius, & ejus adversarios Legati laudare jubentur;

Ergo hoc decretum magnam habet ignominiam Antonii.

ſtrent, ſumma in rempublicam merita beneficiaque eorum grata eſſe ſenatui populoque Romano, eiſque * eam rem magnæ laudi, magnoque honori fore? Paſſurumne (*a*) cenſetis Antonium, introire Mutinam legatos? exire inde tuto? Nunquam patietur, mihi credite. Novi violentiam, novi impudentiam, novi audaciam.

Nec vero de illo, ſicut de homine aliquo debemus, ſed ut de importuniſſima bellua, cogitare. Quæ cum ita (*b*) ſint, non omnino diſſolutum eſt, quod decrevit ſenatus. Habet atrocitatis aliquid legatio: utinam nihil haberet moræ! Nam cum (*c*) pleriſque in rebus gerendis tarditas & procraſtinatio odioſa eſt, tum hoc bellum indiget celeritatis. Succurrendum eſt D. Bruto: omnes undique copiæ colligendæ: horam eximere nullam in tali cive liberando ſine ſcelere non poſſumus (1). An

* Vulg. *hiſque*.

(1) *Horam eximere nullam in tali cive liberando ſine ſcelere non poſſumus*) Sic edidit Grævius: & Lambinus ante probaverat. Videri poteſt hic eſſe ſenſus: Ubi agitur de tali cive liberando, non poſſumus ſine ſcelere nullam eximere horam rebus aliis atque conſiliis, quam ad ejus incolumitatem conferamus. Verumtamen erat planum magis ac Latinum: *Horam eximere* ullam *in tali cive liberando ſine ſcelere non poſſumus*; vel, quemadmodum edidit P. Manutius, ac nuper M. Ant. Ferratius, *Horam eximere nullam in tali cive liberando ſine ſcelere poſſumus*, omiſſo *non*. Etenim *eximere tempus, diem, horam*, eſt perdere, ſeu in aliis rebus, quam quæ agendæ erant, conſumere. Hoc vult Cicero: Omni celeritate ſuccurrendum eſt D. Bruto; huc omnia convertenda ſunt con-

ANALYSIS.

(a) *Paſſurumne*) Hoc etiam improbat, ut fruſtra, & ſine ulla ſpe boni eventus, legatis mandatum.

(b) *Quæ cum ita*) *Complexio* hujus diſputationis, minus quidem ſevere, ſed non omnino diſſolute factum fuiſſe illud S. C. Deinde vero tranſit ad alteram partem *Propoſitionis*; moram afferri bello, non cauſam belli tolli; idque & reprehendit, & probat.

(c) *Nam cum*) Reprehendit moram afferri bello, in quo agatur de ſalute Bruti, argumentum eſt *ab Adjunctis* perſonæ:

Turpe eſt, non ei ſtatim ſuccurrere, qui ſuos honores, vitamque contempſit pro Rep.;
Sed Brutus & honores ſibi debitos, & vitam ipſam pro Rep. contempſit;
Ergo turpe eſt, illi ſtatim non ſuccurrere.

An ille non potuit, si Antonium consulem, si Galliam Antonii provinciam judicasset, legiones Antonio & provinciam tradere? domum redire? triumphare? primus in hoc ordine, quoad magistratum iniret, sententiam dicere? quid negotii fuit? Sed, cum se Brutum esse meminisset, vestræque libertati natum, non otio suo, quid egit aliud, nisi ut pene corpore suo Gallia prohiberet Antonium? Ad hunc utrum legatos, an legiones ire oportebat? Sed præterita (a) omittamus. Properent legati, quod video esse facturos: vos saga parate. Est enim ita decretum, ut, si ille auctoritati senatus non paruisset, ad saga iretur. Ibitur: non parebit: nos amissos tot dies rei gerendæ queremur.

IV. Non metuo, Quirites, ne, cum audierit Antonius, me hoc in senatu & in concione confirmasse, nunquam illum futurum in senatus potestate, refellendi mei causa, ut ego nihil vidisse videar, vertat se & senatui pareat. Nunquam faciet: non invidebit huic meæ gloriæ: malet, me sapientem a vobis, quam se modestum existimari. Quid? ipse si velit, num etiam L. fratrem passurum arbitramur? Nuper quidem dicitur ad Tibur, ut opinor, cum ei labare (1) M. Antonius videretur, mortem fratri esse minitatus. Etiamne ab hoc mirmillone Asiatico senatus mandata, legatorum verba audientur? nec enim secerni a fratre

consilia; scelus fuerit, si pars ulla temporis eximatur, tollatur, subducatur deliberationi tam necessariæ, atque aliis rebus transmittatur. *Olivetus.* Ursin. *moram exhibere ullam . . . non possumus.*

(1) *Labare*) Cum vertere se & mutare sententiam videretur M. Antonius. *Ferrat.*

A N A L Y S I S.

(a) *Sed præterita*) Pergit probare, non fuisse sublatam caussam belli, quod nullo modo futurus erat Antonius in potestate Senatus; id autem se pro certo habere ostendit, tum ob illius cupiditatem, tum ob perdita consilia fratris Lucii, & amicorum.

poterit, tanta præsertim auctoritate. Nam hic inter (a) illos Africanus est: pluris habetur, quam L. Trebellius (1), pluris quam T. Plancus (2), adolescens nobilis. Plancum, * qui omnibus sententiis maximo vestro plausu condemnatus, nescio quomodo se conjecit in turbam, atque ita mœstus rediit, ut retractus, non reversus videretur, sic contemnit, tanquam si illi aqua & igni interdictum sit. Aliquando negat ei locum esse oportere in curia, qui incenderit curiam. Nam Trebellium valde jam diligit: oderat tum, cum ille tabulis novis adversabatur: jam fert in oculis, postquam ipsum Trebellium vidit sine tabulis novis salvum esse non posse. Audisse enim vos arbitror, Quirites, quod etiam videre potuistis, quotidie sponsores & creditores L. Trebellii convenire. O fides (3) (hoc enim puto Trebellium sumpsisse cognomen) quæ potest esse major fides, quam fraudare creditores? domo profugere? propter æs alienum ire ad arma? Ubi plausus (4) ille in triumpho est (5) sæpe ludis?

* Vulg. *adolescens nobilis: qui omnibus sententiis ... videretur. Sic contemnit.*

(1) *L. Trebellius*) Qui tribunus pl. ferenti legem de tabulis novis Tribuno pl. Dolabellæ adversatus erat. Plutarchus in Antonio. *Manut.*

(2) *T. Plancus*) Bursa, frater L. Planci consulis designati. Eum de vi, ob incensam in funere P. Clodii curiam, lege Pompeja damnatum Cæsar dictator restituerat. *Idem.*

(3) *O fides*) An fidem Trebellius servat, cum tamen a fide cognomen deduxerit? Fidei patronus, & creditorum fuerat Trebellius, cum adversaretur Dolabellæ, de tabulis novis legem ferenti. Phil. XIII. *Fidei patronus, fraudator creditorum Trebellius.* Cognomen hoc nusquam nominatur. *Idem.*

(4) *Ubi plausus*) Trebellio Cæsaris triumphum prosequenti, & sæpe deinde in Theatro plausus dati fuerant, quod tabulis novis restitisset. *Ferrat.*

(5) *Sæpe ludis*) Ingredientes in theatrum bonos cives plausu, improbos excipere sibilo solitus est populus. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Nam hic inter*) Hinc per *Digressionem* quædam attingit de Planco, & Trebellio, & populum objurgat propter honores L. Antonio collatos.

dis? ubi ædilitas delata summo studio bonorum? Quis est, qui hunc non casu existimet recte fecisse? nequitia est, scelere (1) ***

V. Sed * redeo ad amores, deliciasque nostras, L. Antonium, qui vos omnes in fidem suam recepit. Negatis? num quispiam est vestrum, qui tribum non habeat? certe nemo. Atqui illum quinque & triginta tribus patronum adoptarunt. Rursus reclamatis? Adspicite a sinistra illam equestrem statuam inauratam, in qua quid inscriptum est? QUINQUE ET TRIGINTA TRIBUS PATRONO. Populi Romani igitur est patronus L. Antonius? malam quidem illi pestem! Clamori enim vestro assentior. Non modo hic latro, quem clientem habere nemo velit, sed quis unquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se populi Romani victoris, dominique omnium gentium patronum ** dicere auderet?

In foro L. Antonii statuam videmus, sicut illam Q. Tremuli, qui Hernicos devicit, ante Castoris. O impudentiam incredibilem! tantumne sibi sumpsit, quia Mylasis mirmillo Thracem jugulavit, familiarem suum? quonam modo istum ferre possemus, si in hoc foro, spectantibus vobis, depugnasset? Sed hæc una statua. Altera ab equitibus Romanis, equo publico (2), qui item adscribunt, PATRONO. Quem unquam iste ordo pa-

* In vulg. deest *sed*. ** Vulg. *tutorem*.

(1) *Nequitia est, scelere*) Alii pro *scelere*, scripserant *scelus est*: ut huic vulneri quasi cicatricem obducerent. Mihi semper religio fuit talia audere. In veteri libro post vocem *scelere*, parva quædam lacuna est. *Muretus*.

(2) *Equo publico*) Equestris ordo constabat ex iis, qui equo publico, id est, publice dato, mererent. Dabat autem censor, ut ex Livio lib. XXXIX. perspicuum fit. Hi equites Romani soli vocabantur. Et his census præfinitus erat CCCC millia: quæ nisi possiderent, ordinem & ornamenta equitum Romanorum propria amittebant. Qui vero mererent equo suo, non publico, ii non erant equestris ordinis, nec in centuriis equitum ad comitia centuriata coibant, nec equites Romani, sed equites tantum dicebantur. *Manutius*.

patronum adoptavit? si quemquam, debuit me. Sed me omitto. Quem censorem? quem imperatorem? Agrum iis divisit. O sordidos, qui acceperunt! improbum, qui dederit!

Statuerunt (1) etiam tribuni militares, qui in exercitibus Cæsaris duobus fuerunt. Quis est iste ordo? Multi fuerunt multis in legionibus per tot annos: iis quoque divisit Semurium (2). Campus Martius restabat, nisi prius cum fratre fugisset. Sed hæc agrorum assignatio paulo ante, Quirites, L. Cæsaris, clarissimi viri, & præstantissimi senatoris, sententia dissoluta est. Huic enim assensi, septemvirum acta sustulimus (3). Jacent beneficia Nuculæ (4): friget patronus Antonius. Nam possessores animo æquiore discedent: nullam impensam fecerant, nondum instruxerant, partim quia non confidebant, partim quia non habebant (5). Sed illa statua palmaris, de qua, si meliora tempora essent, non possem sine risu dicere: L. ANTONIO, JANI MEDII PATRONO (6). Itane? Janus medius in L. Antonii clientela sit? quis unquam in illo Jano inventus est, qui L. Antonio mille nummum ferret expensum?

SECUN-

(1) *Statuerunt*) Statum posuerunt: de qua Phil. VII. *Idem*.

(2) *Semurium*) Ager erat, de quo Macrobius, Saturnal. I. 10.

(3) *Sustulimus*) Legem illam Antonii de divisione agrorum per vim latam judicantes. *Idem*.

(4) *Jacent beneficia Nuculæ*) Irrita sunt divisoris agrorum Nuculæ beneficia. Philipp. II. *Duos collegas Antoniorum, & Dolabellæ, Nuculam, & Lentonem*, Italiæ divisores lege ea, quam senatus per vim latam judicavit. *Idem*.

(5) *Non habebant*) Hoc indicat, egenis & perditis divisos fuisse agros. *Ferrat*.

(6) *Jani medii patrono*) Videtur hæc statua a fœneratoribus posita. Ad medium enim Janum considebant. *Offic.* II. 25. *Manut.*

SECUNDA PARS.

VI. Sed nimis multa (*a*) de nugis : ad caussam bellumque redeamus : quanquam non alienum fuit personas quasdam a vobis recognosci, ut, quibuscum bellum gereretur, possetis taciti cogitare. Ego autem vos hortor, Quirites, ut, etiam si melius aliud fuit, tamen legatorum reditum expectetis animo æquo. Celeritas detracta de causa est, boni tamen aliquid accessit ad causam. Cum enim legati renuntiarint, quod certe renuntiabunt, non in vestra potestate, non in senatus esse Antonium, quis erit tam improbus civis, qui illum civem habendum putet? Nunc enim sunt pauci illi quidem, sed tamen plures, quam republica dignum est, qui ita loquantur : Ne legatos quidem expectabimus? Istam certe vocem, simulationemque clementiæ extorquebit iis res ipsa publica. Quo etiam, ut confitear vobis, Quirites, minus hodierno die contendi, minus laboravi, ut mihi senatus assentiens tumultum decerneret, saga sumi juberet. Malui viginti diebus post sententiam meam laudari ab omnibus, quam a paucis hodie vituperari.

Quapropter, Quirites, expectate legatorum reditum, & paucorum dierum molestiam devorate. Qui cum redierint, si pacem afferent, cupidum me, si bellum, providum judicatote. An ego (*b*) non provideam meis civibus? non dies, noctesque

de

ANALYSIS.

(a) *Sed nimis multa*) Illius *Digressionis* causam affert, & quomodo legatorum missio sit utilis, docet, ut Antonii nequitia omnibus manifesta sit.

(b) *An ego*) Se civibus suis non defuturum pollicetur, 1. quia novus homo tot a populo beneficia acceperat; 2. quia non ingratus erat; 3. quia maxime in defendenda Rep. exercitatus; 4. summus erat in tuenda libertate omnium consensus.

de vestra libertate, de reipublicæ salute cogitem? Quid enim non debeo vobis, Quirites, quem vos a se ortum, hominibus nobilissimis, omnibus honoribus prætulistis? An ingratus sum? quis minus? qui, partis honoribus, eosdem gessi in foro labores, quos in petendis. Rudis in republica? quis exercitatior, qui viginti jam annos bellum geram cum improbis civibus?

VII. Quamobrem, Quirites, consilio, quantum potero, labore plus pene quam potero, excubabo, vigilaboque pro vobis. Etenim quis est civis, præsertim hoc gradu, quo me vos esse voluistis, tam oblitus beneficii vestri, tam immemor patriæ, tam inimicus dignitatis suæ, quem non excitet, non inflammet tantus vester iste consensus? Multas magnasque habui consul conciones, multis interfui, nullam unquam vidi tantam, quanta nunc vestra est. Unum sentitis omnes, unum studetis, M. Antonii conatum avertere a republica, furorem extinguere, opprimere audaciam. Idem volunt omnes ordines, eodem incumbunt municipia, coloniæ, cuncta Italia. Itaque senatum, sua sponte bene firmum, firmiorem vestra auctoritate fecistis.

Venit tempus (*a*), Quirites, serius omnino, quam dignum populo Romano fuit, sed tamen ita maturum, ut differri jam hora non possit. Fuit aliquis fatalis casus (1), ut ita dicam, quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit: nunc, si quis erit voluntarius. Populum Romanum servire fas non est, quem dii immortales omnibus gentibus imperare voluerunt. Res in extremum est adducta discrimen. De libertate decernitur. Aut vincatis opor-

(1) *Fatalis casus*) Cæsaris tyrannidem significat. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *Venit tempus*) Populum tandem hortatur, ut mortem potius pati velit, quam servitutem; argumentatur autem ab honesto.

oportet, Quirites, quod profecto & pietate vestra, & tanta concordia consequemini, aut quidvis potius, quam serviatis. Aliæ nationes servitutem pati possunt, populi Romani est propria libertas.



IN

strent, summa in rempublicam merita beneficiaque eorum grata esse senatui populoque Romano, eisque * eam rem magnæ laudi, magnoque honori fore? Passurumne (*a*) censetis Antonium, introire Mutinam legatos? exire inde tuto? Nunquam patietur, mihi credite. Novi violentiam, novi impudentiam, novi audaciam.

Nec vero de illo, sicut de homine aliquo debemus, sed ut de importunissima bellua, cogitare. Quæ cum ita (*b*) sint, non omnino dissolutum est, quod decrevit senatus. Habet atrocitatis aliquid legatio: utinam nihil haberet moræ! Nam cum (*c*) plerisque in rebus gerendis tarditas & procrastinatio odiosa est, tum hoc bellum indiget celeritatis. Succurrendum est D. Bruto: omnes undique copiæ colligendæ: horam eximere nullam in tali cive liberando sine scelere non possumus (1). An

* Vulg. *hisque*.

(1) *Horam eximere nullam in tali cive liberando sine scelere non possumus*) Sic edidit Grævius: & Lambinus ante probaverat. Videri potest hic esse sensus: Ubi agitur de tali cive liberando, non possumus sine scelere nullam eximere horam rebus aliis atque consiliis, quam ad ejus incolumitatem conferamus. Verumtamen erat planum magis ac Latinum: *Horam eximere ullam in tali cive liberando sine scelere non possumus*; vel, quemadmodum edidit P. Manutius, ac nuper M. Ant. Ferratius, *Horam eximere nullam in tali cive liberando sine scelere possumus*, omisso *non*. Etenim *eximere tempus*, *diem*, *horam*, est perdere, seu in aliis rebus, quam quæ agendæ erant, consumere. Hoc vult Cicero: Omni celeritate succurrendum est D. Bruto; huc omnia convertenda sunt con-

ANALYSIS.

(a) *Passurumne*) Hoc etiam improbat, ut frustra, & sine ulla spe boni eventus, legatis mandatum.

(b) *Quæ cum ita*) *Complexio* hujus disputationis, minus quidem severe, sed non omnino dissolute factum fuisse illud S. C. Deinde vero transit ad alteram partem *Propositionis*; moram afferri bello, non causam belli tolli; idque & reprehendit, & probat.

(c) *Nam cum*) Reprehendit moram afferri bello, in quo agatur de salute Bruti, argumentum est *ab Adjunctis* personæ:

Turpe est, non ei statim succurrere, qui suos honores, vitamque contempsit pro Rep.;

Sed Brutus & honores sibi debitos, & vitam ipsam pro Rep. contempsit;

Ergo turpe est, illi statim non succurrere.

An ille non potuit, si Antonium consulem, si Galliam Antonii provinciam judicasset, legiones Antonio & provinciam tradere? domum redire? triumphare? primus in hoc ordine, quoad magistratum iniret, sententiam dicere? quid negotii fuit? Sed, cum se Brutum esse meminisset, vestræque libertati natum, non otio suo, quid egit aliud, nisi ut pene corpore suo Gallia prohiberet Antonium? Ad hunc utrum legatos, an legiones ire oportebat? Sed præterita (*a*) omittamus. Properent legati, quod video esse facturos: vos saga parate. Est enim ita decretum, ut, si ille auctoritati senatus non paruisset, ad saga iretur. Ibitur: non parebit: nos amissos tot dies rei gerendæ queremur.

IV. Non metuo, Quirites, ne, cum audierit Antonius, me hoc in senatu & in concione confirmasse, nunquam illum futurum in senatus potestate, refellendi mei causa, ut ego nihil vidisse videar, vertat se & senatui pareat. Nunquam faciet: non invidebit huic meæ gloriæ: malet, me sapientem a vobis, quam se modestum existimari. Quid? ipse si velit, num etiam L. fratrem passurum arbitramur? Nuper quidem dicitur ad Tibur, ut opinor, cum ei labare (1) M. Antonius videretur, mortem fratri esse minitatus. Etiamne ab hoc mirmillone Asiatico senatus mandata, legatorum verba audientur? nec enim secerni a fratre

consilia; scelus fuerit, si pars ulla temporis eximatur, tollatur, subducatur deliberationi tam necessariæ, atque aliis rebus transmittatur. *Olivetus*. Ursin. *moram exhibere ullam . . . non possumus*.

(1) *Labare*) Cum vertere se & mutare sententiam videretur M. Antonius. *Ferrat*.

ANALYSIS.

(a) *Sed præterita*) Pergit probare, non fuisse sublatam caussam belli, quod nullo modo futurus erat Antonius in potestate Senatus; id autem se pro certo habere ostendit, tum ob illius cupiditatem, tum ob perdita consilia fratris Lucii, & amicorum.

poterit, tanta præsertim auctoritate. Nam hic inter (a) illos Africanus est: pluris habetur, quam L. Trebellius (1), pluris quam T. Plancus (2), adolescens nobilis. Plancum, * qui omnibus sententiis maximo vestro plausu condemnatus, nescio quomodo se conjecit in turbam, atque ita mœstus rediit, ut retractus, non reversus videretur, sic contemnit, tanquam si illi aqua & igni interdictum sit. Aliquando negat ei locum esse oportere in curia, qui incenderit curiam. Nam Trebellium valde jam diligit: oderat tum, cum ille tabulis novis adversabatur: jam fert in oculis, postquam ipsum Trebellium vidit sine tabulis novis salvum esse non posse. Audisse enim vos arbitror, Quirites, quod etiam videre potuistis, quotidie sponsores & creditores L. Trebellii convenire. O fides (3) (hoc enim puto Trebellium sumpsisse cognomen) quæ potest esse major fides, quam fraudare creditores? domo profugere? propter æs alienum ire ad arma? Ubi plausus (4) ille in triumpho est (5) sæpe ludis?

* Vulg. *adolescens nobilis: qui omnibus sententiis . . . videretur. Sic contemnit.*

(1) *L. Trebellius*) Qui tribunus pl. ferenti legem de tabulis novis Tribuno pl. Dolabellæ adversatus erat. Plutarchus in Antonio. *Manut.*

(2) *T. Plancus*) Bursa, frater L. Planci consulis designati. Eum de vi, ob incensam in funere P. Clodii curiam, lege Pompejà damnatum Cæsar dictator restituerat. *Idem.*

(3) *O fides*) An fidem Trebellius servat, cum tamen a fide cognomen deduxerit? Fidei patronus, & creditorum fuerat Trebellius, cum adversaretur Dolabellæ, de tabulis novis legem ferenti. Phil. XIII. *Fidei patronus, fraudator creditorum Trebellius.* Cognomen hoc nusquam nominatur. *Idem.*

(4) *Ubi plausus*) Trebellio Cæsaris triumphum prosequenti, & sæpe deinde in Theatro plausus dati fuerant, quod tabulis novis restitisset. *Ferrat.*

(5) *Sæpe ludis*) Ingredientes in theatrum bonos cives plausu, improbos excipere sibilo solitus est populus. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Nam hic inter*) Hinc per *Digressionem* quædam attingit de Planco, & Trebellio, & populum objurgat propter honores L. Antonio collatos.

dis ? ubi ædilitas delata summo studio bonorum ? Quis est, qui hunc non casu existimet recte fecisse ? nequitia est, scelere (1) ***

V. Sed * redeo ad amores, deliciasque nostras, L. Antonium, qui vos omnes in fidem suam recepit. Negatis ? num quispiam est vestrum, qui tribum non habeat ? certe nemo. Atqui illum quinque & triginta tribus patronum adoptarunt. Rursus reclamatis ? Adspicite a sinistra illam equestrem statuam inauratam, in qua quid inscriptum est ? QUINQUE ET TRIGINTA TRIBUS PATRONO. Populi Romani igitur est patronus L. Antonius ? malam quidem illi pestem ! Clamori enim vestro assentior. Non modo hic latro, quem clientem habere nemo velit, sed quis unquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se populi Romani victoris, dominique omnium gentium patronum ** dicere auderet ?

In foro L. Antonii statuam videmus, sicut illam Q. Tremuli, qui Hernicos devicit, ante Castoris. O impudentiam incredibilem ! tantumne sibi sumpsit, quia Mylasis mirmillo Thracem jugulavit, familiarem suum ? quonam modo istum ferre possemus, si in hoc foro, spectantibus vobis, depugnasset ? Sed hæc una statua. Altera ab equitibus Romanis, equo publico (2), qui item adscribunt, PATRONO. Quem unquam iste ordo

pa-

* In vulg. deest *sed*. ** Vulg. *tutorem*.

(1) *Nequitia est, scelere*) Alii pro *scelere*, scripserant *scelus est* : ut huic vulneri quasi cicatricem obducerent. Mihi semper religio fuit talia audere. In veteri libro post vocem *scelere*, parva quædam lacuna est. *Muretus*.

(2) *Equo publico*) Equestris ordo constabat ex iis, qui equo publico, id est, publice dato, mererent. Dabat autem censor, ut ex Livio lib. XXXIX. perspicuum fit. Hi equites Romani soli vocabantur. Et his census præfinitus erat CCCC millia : quæ nisi possiderent, ordinem & ornamenta equitum Romanorum propria amittebant. Qui vero mererent equo suo, non publico, ii non erant equestris ordinis, nec in centuriis equitum ad comitia centuriata coibant, nec equites Romani, sed equites tantum dicebantur. *Manutius*.

patronum adoptavit? si quemquam, debuit me. Sed me omitto. Quem censorem? quem imperatorem? Agrum iis divisit. O sordidos, qui acceperunt! improbum, qui dederit!

Statuerunt (1) etiam tribuni militares, qui in exercitibus Cæsaris duobus fuerunt. Quis est iste ordo? Multi fuerunt multis in legionibus per tot annos: iis quoque divisit Semurium (2). Campus Martius restabat, nisi prius cum fratre fugisset. Sed hæc agrorum assignatio paulo ante, Quirites, L. Cæsaris, clarissimi viri, & præstantissimi senatoris, sententia dissoluta est. Huic enim assensi, septemvirum acta sustulimus (3). Jacent beneficia Nuculæ (4): friget patronus Antonius. Nam possessores animo æquiore discedent: nullam impensam fecerant, nondum instruxerant, partim quia non confidebant, partim quia non habebant (5). Sed illa statua palmaris, de qua, si meliora tempora essent, non possem sine risu dicere: L. ANTONIO, JANI MEDII PATRONO (6). Itane? Janus medius in L. Antonii clientela sit? quis unquam in illo Jano inventus est, qui L. Antonio mille nummum ferret expensum?

SECUN-

(1) *Statuerunt*) Statum posuerunt: de qua Phil. VII. *Idem*.

(2) *Semurium*) Ager erat, de quo Macrobius, Saturnal. I. 10.

(3) *Sustulimus*) Legem illam Antonii de divisione agrorum per vim latam judicantes. *Idem*.

(4) *Jacent beneficia Nuculæ*) Irrita sunt divisoris agrorum Nuculæ beneficia. Philipp. II. *Duos collegas Antoniorum, & Dolabellæ, Nuculam, & Lentonem, Italiæ divisores lege ea, quam senatus per vim latam judicavit. Idem*.

(5) *Non habebant*) Hoc indicat, egenis & perditis divisos fuisse agros. *Ferrat*.

(6) *Jani medii patrono*) Videtur hæc statua a fœneratoribus posita. Ad medium enim Janum considebant. *Offic.* II. 25. *Manut.*

SECUNDA PARS.

VI. Sed nimis multa (*a*) de nugis: ad caussam bellumque redeamus: quanquam non alienum fuit personas quasdam a vobis recognosci, ut, quibuscum bellum gereretur, possetis taciti cogitare. Ego autem vos hortor, Quirites, ut, etiam si melius aliud fuit, tamen legatorum reditum expectetis animo æquo. Celeritas detracta de causa est, boni tamen aliquid accessit ad causam. Cum enim legati renuntiarint, quod certe renuntiabunt, non in vestra potestate, non in senatus esse Antonium, quis erit tam improbus civis, qui illum civem habendum putet? Nunc enim sunt pauci illi quidem, sed tamen plures, quam republica dignum est, qui ita loquantur: Ne legatos quidem expectabimus? Istam certe vocem, simulationemque clementiæ extorquebit iis res ipsa publica. Quo etiam, ut confitear vobis, Quirites, minus hodierno die contendi, minus laboravi, ut mihi senatus assentiens tumultum decerneret, saga sumi juberet. Malui viginti diebus post sententiam meam laudari ab omnibus, quam a paucis hodie vituperari.

Quapropter, Quirites, expectate legatorum reditum, & paucorum dierum molestiam devorate. Qui cum redierint, si pacem afferent, cupidum me, si bellum, providum judicatote. An ego (*b*) non provideam meis civibus? non dies, noctesque de

ANALYSIS.

(a) *Sed nimis multa*) Illius *Digressionis* causam affert, & quomodo legatorum missio sit utilis, docet, ut Antonii nequitia omnibus manifesta sit.

(b) *An ego*) Se civibus suis non defuturum pollicetur, 1. quia novus homo tot a populo beneficia acceperat; 2. quia non ingratus erat; 3. quia maxime in defendenda Rep. exercitatus; 4. summus erat in tuenda libertate omnium consensus.

de vestra libertate, de reipublicæ salute cogitem? Quid enim non debeo vobis, Quirites, quem vos a se ortum, hominibus nobilissimis, omnibus honoribus prætulistis? An ingratus sum? quis minus? qui, partis honoribus, eosdem gessi in foro labores, quos in petendis. Rudis in republica? quis exercitatior, qui viginti jam annos bellum geram cum improbis civibus?

VII. Quamobrem, Quirites, consilio, quantum potero, labore plus pene quam potero, excubabo, vigilaboque pro vobis. Etenim quis est civis, præsertim hoc gradu, quo me vos esse voluistis, tam oblitus beneficii vestri, tam immemor patriæ, tam inimicus dignitatis suæ, quem non excitet, non inflammet tantus vester iste consensus? Multas magnasque habui consul conciones, multis interfui, nullam unquam vidi tantam, quanta nunc vestra est. Unum sentitis omnes, unum studetis, M. Antonii conatum avertere a republica, furorem extinguere, opprimere audaciam. Idem volunt omnes ordines, eodem incumbunt municipia, coloniæ, cuncta Italia. Itaque senatum, sua sponte bene firmum, firmiorem vestra auctoritate fecistis.

Venit tempus (*a*), Quirites, serius omnino, quam dignum populo Romano fuit, sed tamen ita maturum, ut differri jam hora non possit. Fuit aliquis fatalis casus (1), ut ita dicam, quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit: nunc, si quis erit voluntarius. Populum Romanum servire fas non est, quem dii immortales omnibus gentibus imperare voluerunt. Res in extremum est adducta discrimen. De libertate decernitur. Aut vincatis opor-

(1) *Fatalis casus*) Cæsaris tyrannidem significat. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *Venit tempus*) Populum tandem hortatur, ut mortem potius pati velit, quam servitutem; argumentatur autem ab honesto.

oportet, Quirites, quod profecto & pietate vestra, & tanta concordia consequemini, aut quidvis potius, quam serviatis. Aliæ nationes servitutem pati possunt, populi Romani est propria libertas.



IN
M. ANTONIUM
PHILIPPICA VII.
ARGUMENTUM.

Amicos Antonii, pacem bello in sermonibus anteponentes, eo consilio, ut in reditu legatorum Antonii responsa mitius acciperentur, & senatorum animi sententia Ciceronis irritati ad clementiam ac mansuetudinem traducerentur, accusat, ut Antonii amantiores, quam reip. De pace autem non esse cogitandum censet, vel quia turpis, vel quia cum periculo, vel quia liberis civibus cum hoste libertatis Antonio nulla prorsus esse possit. Senatum extremo loco Pansamque consulem hortatur, ut ad studium tuendæ reip. nihil ab Antonio sincerum expectantes, quemadmodum cœperint, incumbant. Manutius.

PHILIPPICÆ VII. SYNOPSIS.

Quæritur, an pax fieri debeat cum M. Antonio; Partes autem quatuor sunt, *Exordium*, *Confutatio*, *Confirmatio*, & *Peroratio*.

Exorditur a periculi magnitudine, unde *Attentio* paratur: *Parvis de rebus, sed fortasse*.

Refellit primo Antonii responsa ficta ab illius amicis: *Jam nunc fingunt*; deinde quod sibi objiciebatur, diluit: *Itaque iidem*; & *ab Effectis* probat adversarios neque esse Populares: *Atque hæc illi loquuntur*; neque Consulares: *Et quidem dicuntur*.

Præ-

Præmissa excusatione quadam *ab Adjunctis personæ : Itaque ego ille ;* sequitur tripartita *Propositio : Pacem cum M. Antonio.*

Turpem futuram pacem probat. 1. *a Caussis*, ab inconstantia Senatus, quod *ab Effectis* confirmat : *Quid est inconstantia* ; & occurrit *Prolepsi* de legatis : *At legatos misimus*. 2. *Ab Adjunctis* idem ostendit : *Quanta enim erit.*

Periculosam pacem fore probat *a Consequentibus*, & fratres Antonios insectatur : *Poteritis igitur* ; Patres proinde hortatur, ut caveant : *Est autem vestri.*

Pacem cum M. Antonio fieri non posse, demonstrat *a partium Distributione*, quod tanta omnibus foret cum Antonio discordia : *Qua potest pax esse.*

In *Peroratione* docet, quo consilio hæc prædixerit : *At vero excitati* ; Senatum etiam, & Consulem monet : *Sed vos moneo.*

EXORDIUM.

I. PArvis (*a*) de rebus, sed fortasse necessariis, consulimur, Patres Conscripti. De Appia via (1), & de Moneta (2) consul, de Lupercis tribunus plebis refert. Quarum rerum etsi facilis explicatio videtur, tamen animus aberrat a sententia, suspensus curis majoribus. Adducta est enim, Patres Conscripti, res in maximum periculum, & in extremum pene discrimen. Non sine cau-

(1) *De Appia via*) Instauranda. *Manut.*

(2) *Moneta*) Vel de templo Junonis Monetæ reficiendo, vel etiam de puriore cudenda moneta, ejusque pretio constituendo. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *Parvis*) Sententiam rogatus de Appia via, Moneta, & Lupercis, ad summam Remp. orationem convertit, exorditur autem a periculi magnitudine, & ab incommodis legationis ut paret *Attentionem*, ex Arist. l. 3. c. 14. t. 104.

causa legatorum istam missionem semper timui, nunquam probavi: quorum reditus quid sit allaturus, ignoro: expectatio quidem quantum afferat languoris animis, quis non videt? Non enim (a) se tenent ii, qui senatum dolent ad auctoritatis pristinæ spem reviviscere, conjunctum huic ordini populum Romanum, conspirantem Italiam, paratos exercitus, expeditos duces.

Jam nunc fingunt responsa Antonii, eademque defendunt. Alii, postulare (b) illum, ut omnes exercitus dimittantur. Scilicet legatos ad eum misimus, non ut pareret, & dicto audiens esset huic ordini, sed ut conditiones ferret, leges imponeret, reserare nos exteris gentibus Italiam juberet, se præsertim incolumi, a quo majus periculum, quam ab ullis nationibus extimescendum est. Alii remittere (c) eum nobis Galliam citeriorem, illam ultimam postulare. Præclare: ex qua non legiones solum, sed etiam nationes ad urbem conetur adducere. Alii, nihil (d) eum jam nisi modeste * postulare. Macedoniam suam vocat omnino: quoniam Cajus frater est inde revocatus. Sed

quæ

* Vulg. *modesti*.

ANALYSIS.

(a) *Non enim*) Refellit Antonii responsa, quæ divinando illius amici fingebant, & tueri videbantur, cum acerrima eorundem amicorum increpatione.

(b) *Alii postulare*) Primum de dimittendis exercitibus, *a Consequentibus*:

A nobis infamiam, a Rep. maximas calamitates avertere debemus;

Sed, si omnes exercitus dimittimus, nos infamiam subimus, Remp. in extremum discrimen adducimus;

Ergo non debemus in gratiam Antonii dimittere omnes exercitus.

Patet consecutura infamia, quia Senatus Antonio paruisse videbitur, non Antonius Senatui; periculum etiam, quia præsidiis Italia spoliabitur.

(c) *Alii remittere*) Secundum de Gallia Ulteriori, eadem fere ratione.

(d) *Alii, nihil*) Tertium de Macedonia, *Ab Adjunctis* personæ; is enim erat Antonius, cui nulla provincia tuto committi posset.

quæ provincia eſt, ex qua illa fax excitare non poſſit incendium? Itaque iidem (*a*), quaſi providi cives & ſenatores (1) diligentes, bellicum me ceciniſſe dicunt; ſuſcipiunt pacis patrocinium *. Nonne ſic diſputant? Irritari Antonium non oportuit: nequam eſt homo ille, atque confidens: multi præterea improbi, quos quidem a ſe primum numerare poſſunt, qui hæc loquuntur: eos cavendos eſſe denuntiant. Utrum igitur in nefariis civibus ulciſcendis, cum poſſis, an pertimeſcendis, diligentior cautio eſt?

II. Atque hæc illi (*b*) loquuntur, qui quondam propter levitatem populares habebantur. Ex quo intelligi poteſt, animo illos abhorruiſſe ſemper ab optimo civitatis ſtatu, non voluntate fuiſſe populares. Qui enim convenit **, ut, qui in rebus improbis populares fuerint, iidem in re una maxime populari, quod eadem ſalutaris populo Romano ſit, improbos ſe, quam populares, eſſe malint? Me quidem (*c*) ſemper (ut ſcitis) adverſatum multitudinis temeritati, hæc fecit præclariſſima cauſa popularem.

Et quidem (*d*) dicuntur, vel potius ſe ipſi dicunt

* *partis patrocinium, qui ſic diſputant.* ** Vulg. *evenit.*

(1) *Senatores*) Grævio ea vox non probatur; legit *ſervatores*.

ANALYSIS.

(a) *Itaque iidem*) Hoc illud eſt, quod amici Antonii objiciebant Ciceroni, imprudenter ab eo irritari cives improbos in Remp., quibus reſpondet, eum melius Reip. cavere, qui ulciſcatur improbos, quam qui eoſdem timeat.

(b) *Atque hæc illi*) Deinde in Antonii amicos inſurgit, quos neque populares eſſe, neque Conſulares probat *ab Effectis*; Primum illud hac ratione:

Homo vere popularis talis eſſe debet in re maxime populari;
Sed libertas res eſt maxime popularis, & in ea defendenda populares non ſunt, qui tales fuerunt in rebus improbis;
Ergo ii non ſunt populares, ſed improbi cives.

(c) *Me quidem*) *Propoſitionis* approbatio *a minori ad majus*: nam ſi populares fiunt in hac cauſa etiam Optimates, quanto magis qui ſunt populares?

(d) *Et quidem*) Conſulares etiam eſſe negat, pariter *ab Effectis*:

Ille

cunt consulares: quo nomine nemo dignus est, nisi qui tanti honoris nomen potest sustinere. Faveas tu hosti? ille literas ad te mittat de sua spe rerum secundarum? eas tu lætus proferas? recites? describendas etiam des improbis civibus? eorum augeas animos? bonorum spem virtutemque debilites? & te consularem, aut senatorem, aut * denique civem putes? Accipiet (*a*) in optimam partem C. Pansa, fortissimus consul atque optimus. Etenim dicam animo amicissimo: hunc ipsum, mihi hominem familiarissimum, nisi talis consul esset, ut omnes vigilias, curas, cogitationes in reipublicæ salute configeret, consulem non putarem. Quanquam nos ab ineunte illius ætate usus, consuetudo, studiorum etiam honestissimorum societas, similitudoque devinxit **: ejusdemque cura incredibilis ** in asperrimis belli civilis periculis perspecta, docuit, non modo salutis, sed etiam dignitatis meæ fuisse fautorem: tamen eundem, ut dixi, nisi talis consul esset, negare esse consulem auderem. Idem non modo (*b*) consulem esse dico, sed etiam memoria mea præstantissimum atque optimum consulem, non quin pari virtute & voluntate alii fuerint, sed tantam causam non habuerunt, in qua & virtutem & voluntatem suam declararent. Hujus magnitudini animi, gravitati, sapientiæ, tempestas est oblata formidolosissimi tem-

* in vulg. deest *aut*. ** vulg. *conjunxit*.
*** vulg. *ejusdemque curam incredibilem .... perspexi, non modo salutis, sed etiam dignitatis meæ: tamen* &c.

ANALYSIS.

Ille non modo Consularis, sed ne civis quidem est, qui improbis favet;
Sed ii manifeste improbis favent;
Ergo neque Consulares, neque Senatores, neque Cives sunt.

(a) *Accipiet*) *Propositio* illustrata *a Pari*, Pansam non dicerem Consulem, si faveret improbis; ergo Calenum Consularem non dicam ob eamdem causam.

(b) *Idem non modo*) Laudat Pansæ Consulatum, maxime *ab Adjunctis* temporis; & inde ad *Confirmationem* transitum facit.

temporis. Tum autem illustratur consulatus, cum gubernat rempublicam, si non optabili, at necessario tempore. Magis autem necessarium, P. C. nullum tempus unquam fuit.

CONFIRMATIO.

III. Itaque ego (*a*) ille, qui semper pacis auctor fui, cuique pax, præsertim civilis, quanquam omnibus bonis, tamen in primis fuit optabilis: omne enim curriculum industriæ nostræ in foro, in curia, in amicorum periculis propulsandis, elaboratum est: hinc honores amplissimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, si quam habemus, consecuti sumus. Ego itaque pacis, ut ita dicam, alumnus, qui, quantuscunque sum (nihil enim mihi arrogo) sine pace civili certe non fuissem: periculose dico: quemadmodum accepturi, Patres Conscripti, sitis, horreo: sed pro mea perpetua cupiditate vestræ dignitatis retinendæ & augendæ quæso, oroque vos, Patres Conscripti, ut primo etsi erit vel acerbum auditu, vel incredibile a M. Cicerone esse dictum, accipiatis sine offensione, quod dixero, neve id prius, quam, quale sit, explicavero, repudietis. Ego ille (*b*) (dicam sæpius) pacis semper laudator, semper auctor, pacem cum M. Antonio esse nolo.

ANALYSIS.

(a) *Itaque ego*) Pacem dissuasurus, quod erat per se odiosum, *malevolentiam*, & adversam reclamationem deprecatur argumento *ab Adjunctis* personæ:

Qui pacis semper fuit & alumnus, & auctor, non dissuaderet modo pacem, si fieri posset;
Sed Cicero talis est, qui modo pacem dissuadet;
Ergo pax fieri non potest, adeoque ipse audiendus est sine offensione.

Assumptionem ingeniose amplificat commemorando, quanta sibi commoda pax attulerit.

(b) *Ego ille*) Subdit deinde *Propositionem*, eamque facit tripartitam; & loco ad *attentionem* conciliandam præmisso, accedit ad argumenta.

Magna ſpe ingredior in reliquam orationem, Patres Conſcripti, quoniam periculoſiſſimum locum ſilentio ſum prætervectus. Cur igitur pacem nolo? quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt. Quæ tria dum explico, peto a vobis, Patres Conſcripti, ut eadem benignitate, qua ſoletis, verba mea audiatis.

Quid eſt (a) inconſtantia, mobilitate, levitate, cum ſingulis hominibus, tum vero univerſo ſenatui, turpius? quid porro inconſtantius, quam, quem modo hoſtem non verbo, ſed re, multis decretis, judicaveritis, cum hoc ſubito pace velle conjungi? * Niſi vero (b), cum C. Cæſari meritos ** illi quidem honores & debitos, ſed tamen ſingulares & immortales, decreviſtis, unam ob cauſam, quod contra M. Antonium exercitum comparaviſſet, non hoſtem Antonium *** judicaviſtis: nec tum hoſtis eſt a vobis judicatus Antonius, cum laudati auctoritate veſtra veterani milites,

* Vict. Man. Grut. *Quaſi vero.*
** Man. *illos quidem.*
*** Vict. Man. Grut. *judicaveritis.*

ANALYSIS.

(a) *Quid eſt*) Primo turpitudinem pacis ſic oſtendit a *Cauſis:*

Inconſtantia cum in ſingulis turpis eſt, tum maxime in Senatu univerſo;
Sed ſumma eſſet inconſtantia univerſi Senatus, ſi pacem fecerit cum Antonio;
Ergo pax cum Antonio Senatui turpis eſt.

Propoſitio ſententia pulcherrima continetur; *Aſſumptionem* confirmat, quia ſumma erat inconſtantia pacem cum eo facere, qui re, ſi non verbo judicatus hoſtis paulo ante fuiſſet. Hoſtem porro a Senatu judicatum Antonium ita probat *ab Effectis:*

Ille re judicatus eſt hoſtis a Senatu, cujus inimici laude, & præmio affecti ſunt, & contra quem Duces, & exercitus comparantur;
Sed ornavit Senatus eos, qui contra Antonium arma ſumpſerunt, & alios ipſe Duces, & exercitus in eundem comparavit;
Ergo Antonius a Senatu re ipſa hoſtis eſt judicatus.

(b) *Niſi vero*) *Aſſumptio* cum *Complexione*, quam ubique illuſtrat *ab Adjunctis.*

tes, qui Cæsarem secuti essent: nec tum hostem Antonium judicavistis, cum fortissimis legionibus, quod illum, qui consul appellabatur, cum esset hostis, reliquissent, vacationes, pecunias, agros spopondistis.

IV. Quid? cum Brutum, omine quodam illius generis & nominis natum ad rempublicam liberandam, exercitumque ejus pro libertate populi Romani bellum gerentem cum Antonio, provinciamque fidelissimam atque optimam Galliam, laudibus amplissimis affecistis, tum non hostem judicastis Antonium? Quid? cum decrevistis, ut consules alter ambove ad bellum proficiscerentur, quod erat bellum, si hostis Antonius non erat? Quid igitur profectus est vir fortissimus, meus collega (1) & familiaris, A. Hirtius consul? at qua imbecillitate? qua macie? sed animi vires corporis infirmitas non retardavit. Æquum credo, putavit, vitam, quam populi Romani votis retinuisset, pro libertate populi Romani in discrimen adducere.

Quid? cum delectus haberi tota Italia jussistis, cum vacationes omnes sustulistis, tum ille hostis non est judicatus? Armorum officinas in urbe videtis: milites cum gladiis sequuntur consulem: præsidio sunt, specie, consuli; re & veritate, nobis: omnes sine ulla recusatione, summo etiam cum studio, nomina dant: parent auctoritati vestræ. Non est judicatus hostis Antonius?

At legatos (*a*) misimus. Heu me miserum! (*b*) cur senatum cogor, quem laudavi semper, reprehendere? Quid? vos censetis, Patres Conscripti,

 lega-

(1) *Collega*) In auguratu. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *At legatos*) *Prolepsis*; non enim Senatus decreverat bello persequi ut hostem Antonium, ad quem de pace legatos miserat. Responsio triplex est.

(b) *Heu me miserum!*) 1. Reprehendit legationem, quippe a populo Romano reprobatam, & per se turpem.

legatorum missionem populo Romano vos probavisse? non intelligitis, non auditis meam sententiam (1) flagitari? cui cum pridie frequentes essetis assensi, postridie ad spem estis inanem pacis devoluti. Quam turpe porro est, legiones ad senatum legatos mittere, senatum ad Antonium? Quanquam illa (*a*) legatio non est: denuntiatio est, paratum illi exitium, nisi paruerit huic ordini. Quid refert (2)? (*b*) tamen opinio est gravior: missos enim legatos omnes vident, decreti nostri non omnes verba noverunt.

V. Retinenda est igitur vobis constantia, gravitas, perseverantia: repetenda est vetus illa severitas: siquidem auctoritas senatus decus, honestatem, laudem, dignitatemque desiderat: quibus rebus * hic ordo caruit nimium diu. Sed erat tunc excusatio oppressis, misera illa quidem, sed tamen justa; nunc nulla est. Liberati tum ** regio dominatu videbamur: multo postea gravius urgebamur armis domesticis. Ea ipsa depulimus nos quidem, sed extorquenda sunt. Quod si non possumus facere, (dicam, quod dignum est & senatore, & Romano homine) moriamur.

Quanta enim (*c*) erit illa reipublicæ turpitudo,

* in vulg. deest *rebus*. ** in vulg. deest *tum*.

(1) *Meam sententiam*) Qua suadebam ut hostis judicaretur Antonius. *Manut.*

(2) *Quid refert?*) Nihil refert denuntiationem esse, non legationem, cum homines contrarium opinentur. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *Quanquam illa*) 2. Legationem illam fuisse negat, sed belli denuntiationem.

(b) *Quid refert?*) 3. Turpe id utcunque Senatui fuisse contendit, & majori in posterum constantia, & gravitate compensandum.

(c) *Quanta enim*) Eamdem pacis turpitudinem prosequitur argumento *ab Adjunctis:*

Turpe est, hominem scelestissimum dicere sententiam in Senatu Consulari loco;

Sed Antonius homo est scelestissimus, dicetque sententiam in Se-

do, quantum dedecus, quanta labes, dicere in hoc ordine ſententiam M. Antonium conſulari loco? cujus ut omittam innumerabilia ſcelera urbani conſulatus, in quo pecuniam publicam maximam diſſipavit, exules ſine lege reſtituit, vectigalia vendidit, provincias de populi Romani imperio ſuſtulit, regna addixit pecunia, leges civitati per vim impoſuit, armis aut obſedit, aut excluſit ſenatum, ut hæc, inquam, omittam, ne hoc quidem cogitatis, eum, qui Mutinam, coloniam populi Romani firmiſſimam, oppugnarit, imperatorem populi Romani, conſulem deſignatum, obſederit, depopulatus agros ſit, hunc in eum ordinem recipi, a quo toties ob has ipſas cauſas hoſtis judicatus ſit, quam fœdum flagitioſumque ſit?

Satis multa (*a*) de turpitudine. Dicam deinceps, ut propoſui, de periculo: quod etſi minus eſt fugiendum, quam turpitudo, tamen offendit animos majoris partis hominum magis.

VI. Poteritis (*b*) igitur exploratam habere pacem, cum in civitate Antonium videbitis, vel potius Antonios? niſi forte contemnitis Lucium. Ego ne Cajum quidem. Sed, ut video, dominabitur Lucius. Eſt enim patronus xxxv. tribuum, quarum ſua lege (1), qua cum C. Cæſare magi-

(1) *Sua lege*) Ex hoc loco colligitur, Lucium Antonium in Tri-

ANALYSIS.

Senatu Conſulari loco, ſi pacem cum eo fecerimus;
Ergo turpe eſt Senatui pacem facere cum Antonio.
Antonii ſcelera recenſet; nam ſecunda pars *Aſſumptionis* evidens eſt.

(a) *Satis multa*) Secundo pacem periculoſam eſſe, probat *a Conſequentibus*:
Periculoſum eſt Civitati, non deeſſe ſceleratos Duces perditis Civibus;
Sed, ſi fiat pax, Antonii duces erunt perditæ multitudinis;
Ergo pax cum Antoniis eſt periculoſa.

(b) *Poteritis*) *Aſſumptio*, de Lucio quidem amplificata ab iis rebus, quas in Tribunatu geſſerat *per Comparationem minorum*; de Marco ab illius audacia, a multitudine perditorum, a præſidiorum inopia.

gistratus partitus est (1), suffragium sustulit: patronus centuriarum equitum Romanorum, quas item * sine suffragio esse voluit: patronus eorum, qui tribuni militares fuerunt **: patronus Jani medii. Quis hujus potentiam poterit sustinere? præsertim cum eosdem in agros etiam deduxerit. Quis unquam omnes tribus (2)? Quis equites Romanos? Quis tribunos militares? Gracchorum potentiam majorem fuisse arbitramini, quam hujus gladiatoris futura sit? quem gladiatorem non ita appellavi, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari solet, sed ut appellant ii, qui plane & Latine loquuntur. Mirmillo in Asia depugnavit. Cum ornasset Threcidicis (3) comitem & familiarem suum, illum miserum fugientem jugulavit: luculentam tamen ipse plagam accepit, ut declarat cicatrix.

Qui familiarem jugularit, quid hic, occasione data, faciet inimico? & qui illud animi causa fecerit, hunc prædæ causa quid facturum putatis? non rursus improbos decuriabit? non sollicitabit rursus agrarios? non quæret urbe *** expulsos? M. vero Antonius non is erit, ad quem omni motu concursus fiat civium perditorum? Ut nemo sit alius, nisi ii, qui una sunt, & ii, qui hic ei nunc aperte favent, parumne erunt multi? præsertim cum bonorum præsidia cesserint ****, illi parati sint ad nutum futuri? Ego vero metuo, si hoc tempore consilio lapsi erimus, ne illi brevi tempore nimis mul-

Tribunatu legem tulisse, ut liceret C. Cæsari profecturo ad bellum Parthicum in biennium creare omnes magistratus: qua re suffragium populo ademerat per illud biennium. *Ferrat.*

* vulg. *idem*. ** al. *patronus fori, in quo ei statuam tr. mil. statuerunt*. *** vulg. *non queretur expulsos?*

**** Man. *cum boni jam præsidiis cesserint*. Lamb *discesserint*.

(1) *Partitus est*) Videtur proinde a Cæsare obtinuisse, ut quidam crearentur ex suis amicis. *Idem*.

(2) *Quis unquam omnes tribus*) Æque habuit in sua potestate? Hoc enim subaudiri necesse est. Ne fratres quidem Gracchi habuerunt. *Manut.*

(3) *Threcidicis*) Threcidica erant arma gladiatoria, quibus Thrax pugnabat cum Myrmillone. *Ferratius*.

multi nobis esse videantur. Nec ego pacem nolo, sed pacis nomine bellum involutum reformido. Quare (*a*) si pace frui volumus, bellum gerendum est: si bellum omittemus, pace nunquam fruemur.

VII. Est autem (*b*) vestri consilii, Patres Conscripti, in posterum quam longissime providere. Idcirco in hac custodia, & tanquam specula collocati sumus, ut vacuum omni metu populum Romanum nostra vigilia & prospicientia * redderemus. Turpe est summo consilio orbis terræ, præsertim in re tam perspicua, consilium intelligi defuisse. Eos consules (*c*) habemus, eam populi Romani alacritatem, eum consensum Italiæ, eos duces, eos exercitus, ut nullam calamitatem respublica accipere possit sine culpa senatus. Equidem non deero, monebo, prædicam, denuntiabo, & testabor semper deos hominesque, quid sentiam: nec solum fidem meam, quod fortasse videatur ** satis esse, sed in principe civi non est satis, curam, consilium, vigilantiamque præstabo.

Dixi de periculo (*d*): docebo, ne coagmentari quidem posse pacem. De tribus enim, quæ proposui, hoc extremum est.

VIII. Quæ potest (*e*) esse pax M. Antonio pri-

* Vulg. *providentia*. ** Vulg. *videtur*.

ANALYSIS.

(a) *Quare*) *Complexio*.

(b) *Est autem*) Cum ostenderit periculosam esse pacem, ita sublumit:

Sed Senatus debet quam longissime in posterum providere;
Ergo pati non debet, fieri pacem Civitati periculosam.

(c) *Eos Consules*) Maxime cum nihil desideretur ad bellum gerendum necessarium, unde Patres C. *confidentes* facit; Arist. l. 2. c. 5. t. 57.

(d) *Dixi de periculo*) Tertio nullam cum Antonio pacem fieri posse ita ostendit *a partium distributione*:

Neque Senatus, neque Equites, neque Populus, neque Municipia, neque cæteri omnes pacem habere possunt cum Antonio;
Ergo nulla pax cum Antonio fieri potest.

(e) *Quæ potest*) Hoc autem ex eo confirmatur, quia singuli

primum cum senatu? quo ore ille vos poterit, quibus vicissim vos illum oculis intueri? quis vestrum illum, quem ille vestrum non oderit? Age, vos ille solum, & vos illum? quid? ii, qui Mutinam circumsedent *, qui in Gallia delectus habent, qui in nostras ** fortunas imminent, amici unquam nobis erunt, aut nos illis? An equites Romanos amplectetur? occulta enim fuit eorum voluntas, judiciumque de M. Antonio: qui frequentissimi in gradibus Concordiæ steterunt, qui vos ad libertatem recuperandam excitaverunt, arma, saga, bellum flagitaverunt, me una cum populo Romano in concionem vocaverunt. Hi Antonium diligent? cum his pacem servabit Antonius? Nam quid ego de universo populo Romano dicam? qui pleno ac referto foro bis me una mente atque voce in concionem vocavit, declaravitque maximam libertatis recuperandæ cupiditatem. Ita *** quod erat optabile antea, ut populum Romanum comitem haberemus, nunc habemus ducem. Quæ est igitur spes, qui Mutinam circumsedent, imperatorem populi Romani, exercitumque oppugnant, iis pacem cum populo Romano esse posse? An cum municipiis pax erit, quorum tanta studia cognoscuntur in decretis faciendis, militibus dandis, pecuniis pollicendis, ut in singulis oppidis curiam populi Romani non desideretis?

IX. Laudandi sunt ex hujus ordinis sententia Firmani (1), qui principes pecuniæ pollicendæ fuerunt. Respondendum honorifice est Marrucinis (2), qui ignominia notandos censuerunt eos, si

* Vulg. *circumsident*. ** Vulg. *vestras*, & infra *vobis*, *vos*. *** Vulg. *itaque*.

(1) *Firmani*) In Piceno. Vulg. *Firmiani*.

(2) *Marrucinis*) Qui sunt ad oram maris superi. *Grævius*.

ANALYSIS.

guli maxime Antonium læserant, adeoque non poterant non timere læsum, & potentem; ex Arist. l. 2. c. 5. t. 45. & 46. Quare timor pacem excludebat.

si qui militiam subterfugissent. Hæc jam tota Italia fiunt. Magna pax Antonio cum his, his item cum illo. Quæ potest major esse discordia? in discordia autem pax civilis nullo pacto esse potest. Ut omittam multitudinem: L. Visidio, equiti Romano, homini in primis ornato atque honesto, civique semper egregio, cujus ego excubias & custodias mei capitis cognovi in consulatu meo, qui vicinos suos non cohortatus est solum, ut milites fierent, sed etiam facultatibus suis sublevavit, huic, inquam, tali viro, quem nos senatusconsulto collaudare debemus, poteritne esse pacatus Antonius? quid C. Cæsari, qui illum urbe, quid D. Bruto, qui Gallia prohibuit?

Jam vero ipse se placabit, & leniet provinciæ Galliæ, a qua exclusus & repudiatus est? Omnia videbitis, Patres Conscripti, nisi prospicitis, plena odiorum, plena discordiarum, ex quibus oriuntur bella civilia. Nolite igitur (*a*) id velle, quod fieri non potest, & cavete, per deos immortales! Patres Conscripti, ne spe præsentis pacis perpetuam pacem amittatis.

PERORATIO.

Quorsum (*b*) hæc omnis spectat oratio? quid enim legati egerint, nondum scimus. At vero (*c*) excitati, erecti, parati, armati animis tamen * esse debemus, ne blanda aut supplici oratione, aut æquitatis simulatione fallamur. Omnia fecerit oportet,

* Vulg. *animis jam esse*.

ANALYSIS.

(a) *Nolite igitur*) *Complexio* universalis argumenti.

(b) *Quorsum hæc*) *Prolepsis* quasi hæc frustra Cicero diceret, cum adhuc esset incertus legationis exitus.

(c) *At vero*) Respondet eo consilio talia se præfatum fuisse, ne quippiam Senatus ab Antonio peti pateretur, priusquam imperata faceret. Ultimo tum Patres, tum Consulem admonet, ut in defendenda libertate fortes, & constantes esse velint.

tet, quæ interdicta & denuntiata sunt, prius quam aliquid postulet: Brutum, exercitumque ejus oppugnare, urbes & agros provinciæ Galliæ populari destiterit: ad Brutum adeundi legatis potestatem fecerit, exercitum citra flumen Rubiconem eduxerit, nec propius urbem millia passuum ducenta admoverit: fuerit & in senatus, & in populi Romani potestate. Hæc si fecerit, erit integra potestas (1) nobis deliberandi: si senatui non paruerit, non illi senatus, sed ille populoRomano bellum indixerit.

Sed vos moneo, Patres Conscripti, libertas agitur populi Romani, quæ est commendata vobis: vita & fortunæ optimi cujusque, quo cupiditatem infinitam cum immani crudelitate jampridem intendit Antonius: auctoritas vestra, quam nullam habebitis, nisi nunc tenueritis *. Tetram & pestiferam belluam ne inclusam & constrictam dimittatis, cavete. Te ipsum, Pansa, moneo (quanquam non eges consilio, quo vales plurimum, tamen etiam summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus admoneri solent) hunc tantum tuum apparatum, tamque præclarum ne ad nihilum recidere patiare. Tempus habes tale, quale nemo habuit unquam. Hac gravitate senatus, hoc studio equestris ordinis, hoc ardore populi Romani potes in perpetuum rempublicam metu & periculo liberare. Quibus de rebus refers, P. Servilio adsentior.

* Vul. *retinueritis*.

(1) *Erit integra potestas*) Tunc statuemus an illi danda sit venia tantorum scelerum, quæ in remp. admisit. *Ferrat.*

IN

IN M. ANTONIUM PHILIPPICA VIII.

ARGUMENTUM.

MOrtuo in legatione Ser. Sulpicio, L. Piso, & L. Philippus intolerabilia ab Antonio ad senatum postulata retulerunt. Tum senatus bellum indixit Antonio, sed in S. C. nonnullorum suasu tumultum appellare maluit, quam bellum. Id Cicero reprehendit, quasi leniore senatu, quam in eum oporteret esse, qui ei non pareret, Mutinamque nihilo segnius post auditam legationem, quam antea, oppugnaret. Deinde cum Caleno, adhuc de pace agente, pacisque commoda commemorante, & Massiliensium commoda oppugnante, acerbe queritur: & simul eos accusat, qui mittendos iterum ad Antonium legatos censuerant. Pisonem & Philippum increpat, qui mandata Antonii, tanquam ejus legati, non tanquam a senatu missi, retulissent. Reprehendit senatores Antonio faventes. Decernendum censet, ut iis, qui cum Antonio sint, potestas detur ad sanitatem redeundi ante idus Mart. primas: bene merentibus gratiæ referantur: proficiscendi ad Antonium, excepto ejus legato Q. Vario Cotyla, nemini facultas concedatur. MANUTIUS.

PHILIPPICÆ VIII. SYNOPSIS.

GEnus mixtum est ex *Demonstrativo*, & *Deliberativo*; vituperat enim, & simul quærit, num iterum Legati mittendi sint.

Divi-

Dividitur in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*. *Exordium* habet increpationem Consulis ob inconstantiam: *Confusius hesterno die*; & Senatus ob levitatem: *Quanquam is*; & *docilitas* paratur.

1. In *Contentione* inscios probat fuisse Patres tum verborum, tum rerum, quod tumultum appellaverint, non bellum; Verborum quidem, quia gravius est verbum tumultus, quam bellum: *Potest enim esse*.

Rerum tum *a Repugnantibus*, quia bellum gerebant, & negabant esse bellum: *Nolumus hoc*; tum *ab Effectis*, quia & oppugnabat, & oppugnabatur Antonius: *Sed quid plura?* tum *a Comparatione* aliorum bellorum Civilium: *Cæteris enim bellis*; & utriusque partis studia describit: *Quæ est igitur*.

2. Caleni dictum pacem laudantis refellit, probatque *a Contrariis* non agi pacem: *Quasi vero*; sed servitutem depelli, *a Comparatione minorum*: *Sed quæso, Calene*.

Alterum ejus dictum de salute civium reprehendit, ostenditque *ab Exemplis*, improbos esse interficiendos: *Atque ais eum te*.

Se dicit summo cum dolore agere cum Caleno, & argumentatur *a Causis*: *Nam quod me*.

Calenum oppugnantem Massilienses redarguit: *Ego te, cum*; & objicit inconstantiam: *Excogitare, quæ tua*.

3. Consulares *ab Adjunctis* increpat, agentes iterum de legatis: *Quam hesternus dies*; Legatos deinde *ab Exemplo dissimili*: *Animum nobis afferre*; Antonii mandata insectatur: *At quam modesta*; & ejus legatum: *Vobis M. Antonius*.

In *Peroratione* redarguit, & hortatur ad constantiam Patres: *O Dii immortales!* suamque exponit sententiam: *Quas ob res ita censeo*.

EXOR-

EXORDIUM.

I. Confusius (1) (a) hesterno die est acta res, C. Pansa, quam postulabat institutum consulatus tui. Parum mihi visus es eos, quibus cedere non soles, sustinere. Nam cum senatus ea virtus fuisset, quæ solet, & cum re viderent omnes esse bellum, quidamque id verbum removendum arbitrarentur, tua voluntas in discessione (2) fuit ad lenitatem propensior. Victa est igitur propter verbi asperitatem, te auctore, nostra sententia. Vicit L. Cæsaris, amplissimi viri, qui verbi atrocitate dempta, oratione fuit, quam sententia lenior. Quanquam is quidem, antequam sententiam diceret, propinquitatem (3) excusavit. Idem fecerat, me consule, in sororis viro (4), quod hoc tempore, in sororis filio fecit *, ut & luctu sororis moveretur, & saluti reipublicæ provideret. Atque ipse tamen Cæsar præcepit vobis quodammodo, Patres Conscripti, ne sibi assentiremini, cum ita dixit, aliam sententiam se dicturum fuisse, eamque se ac republica dignam, nisi propinquitate impediretur. Ergo ille avunculus: num etiam vos avunculi, qui illi estis assensi?

CON-

* In vulg. deest *fecit*.

(1) *Confusius*) Minus considerate, quam decuit a consule, præsertim eo, quem te ad eam diem præbueras. *Manutius*.

(2) *In discessione*) Discessit in eam partem Pansa, cui tumultum potius, quam bellum, vocari placebat: eumque senatus pars major secuta est. *Idem*.

(3) *Propinquitatem*) Nam Antonii mater ei soror erat. *Idem*.

(4) *In sororis viro*) Lentulo, qui, Cicerone consule, cum aliis conjuratis in carcere, senatus jussu, strangulatus est. *Idem*. Philipp. II. 6.

ANALYSIS.

(a) *Confusius*) Pansam reprehendit, quippe auctorem S. C. quod pristinam constantiam pro Rep. non retinuerit; Senatum, quia sententiam L. Cæsaris secutus fuerat, quam idem ille ut nimis lenem propinquitate excusaverat. Narrando accurate, quæ in Senatu hesterno die acta fuerant, *Docilitatem* parat.

CONTENTIO.

At in quo (*a*) fuit controversia? Belli nomen ponendum in sententia quidam non putabant: tumultum appellare malebant, ignari non modo rerum, sed etiam verborum. Potest enim (*b*) esse bellum sine tumultu, tumultus esse sine bello non potest.

Quid enim est aliud *tumultus*, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur (1)? unde etiam nomen ductum est tumultus. Itaque majores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus, tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum nominabant. Gravius autem (*c*) tumultum esse, quam bellum, hinc intelligi licet, quod bello vacationes valent, tumultu non valent. Ita fit, quemadmodum dixi, ut bellum sine tumul-

(1) *Ut major timor oriatur*) Janus noster Dousa pater in Plautinis, reponendum putabat *tumor*. Grut. Omnino *ulcus* in *tumultus* vocis solum productio est. Deinde scripsit Cicero *tumor*, non *timor*, planeque dictus *tumultus*, quia *res tumeant*, hoc est, *malum aliquod parturire* videantur. Ita *tumendi* voce utitur Cicero epist. IV. lib. XIV. ad Attic. *tumentia negotia*. Et ep. proxima: *ne deserere viderer hunc rerum tumorem*. Facit pro hac etymologia locus Maronis I. Georg. (vers. 465.)

Ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemque & operta tumescere bella. J. G. Vossius.

ANALYSIS.

(a) *At in quo*) Patres increpat, quod tumultum appellare maluerint, quam bellum, eosque inscios fuisse probat tum verborum, tum rerum; verborum quidem hoc modo:

Summa inscitia est, ad ostentationem lenitatis uti graviori verbo;
Sed gravius est tumultus, quam bellum;
Ergo per inscitiam Patres, ad ostentandam lenitatem, bellum cum Antonio tumultum appellarunt.

(b) *Potest enim*) *Assumptionis* approbatio, quia majus quid significat tumultus, quam bellum, quod confirmatur *a Definitione*.

(c) *Gravius autem*) Secunda *Assumptionis* approbatio *ab Adjunctis*, a vacationibus nimirum in tumultu sublatis, non autem in bello.

multu possit, tumultus sine bello esse non possit. Etenim cum inter bellum & pacem medium nihil sit, necesse est, tumultum, si belli non sit, pacis esse. Quo quid absurdius dici, aut existimari potest? Sed nimis (*a*) multa de verbo: rem potius videamus, Patres Conscripti, quam quidem intelligo verbo fieri interdum deteriorem solere.

II. Nolumus * (*b*) hoc bellum videri. Quam igitur (*c*) municipiis & coloniis ad excludendum Antonium auctoritatem damus? quam, ut milites fiant sine vi, sine mulcta, studio & voluntate? quam, ut pecunias in rempublicam polliceantur? Si enim belli nomen tolletur **, municipiorum studia tollentur: consensus populi Romani, qui jam descendit in causam, si nos languescimus, debilitetur necesse est. Sed quid plura (*d*)? D. Brutus oppugnatur: non est bellum? Mutina obsidetur: ne hoc quidem bellum est? Gallia vastatur: quæ pax potest esse certior? Illud vero quis potest bellum esse dicere? Consulem fortissimum virum cum exercitu misimus; qui cum esset infirmus ex gravi diuturnoque morbo, nullam sibi putavit excusationem esse oportere, cum ad reipu-

 blicæ

* Al. *nolimus*. ** Vulg. *tollitur .... tolluntur*.

ANALYSIS.

(a) *Sed nimis*) Rerum etiam inscios fuisse Patres, cum tumultum appellaverint, quod re ipsa bellum erat, multis rationibus probat

(b) *Nolumus*) 1. *A Repugnantibus* hoc Syllogismo.

Quem xcludi volumus a Municipiis, & Coloniis, in quem delectus habemus, & pecunias paramus, cum eo nobis bellum est;
Sed nos illa omnia in Antonium decrevimus;
Ergo per inscitiam cum eo nobis bellum esse negamus.

(c) *Quam igitur*) *Propositio*, quam ita pertractat, ut *a Consequentibus* sumptum esse Argumentum videatur.

(d) *Sed quid plura?*) 2. *Ab Effectis* belli, t... ratione:

Cum eo nobis bellum est, qui nostra oppugnat, & qui a nostris oppugnatur;
Sed Antonius nostra oppugnat, & a nostris Imperatoribus oppugnatur;
Ergo per inscitiam negamus esse nobis cum eo bellum.
Assumptionis utraque pars manifeste habetur.

blicæ præsidium vocaretur. C. quidem Cæsar non expectavit nostra decreta, præsertim cum illud * esset ætatis: bellum contra Antonium sua sponte suscepit. Decernendi enim tempus nondum erat: belli autem gerendi tempus si prætermisisset, videbat, republica oppressa, nihil posse decerni. Ergo illi nunc, & eorum exercitus in pace versantur. Non est hostis is, cujus præsidium Claterna dejecit Hirtius: non est hostis, qui consuli armatus obsistit, qui designatum consulem oppugnat: nec illa hostilia verba, nec bellica, quæ paulo ante ex collegæ literis Pansa recitavit: *Dejeci præsidium: Claterna potitus sum: fugati equites: prælium commissum: occisi aliquot*. Quæ pax potest esse major? Delectus tota Italia decreti, sublatis vacationibus: saga cras sumentur: consul se cum præsidio descensurum esse dixit.

Utrum hoc (*a*) bellum non est? Etiam ** tantum bellum, quantum nunquam fuit? Cæteris enim (*b*) bellis, maximeque civilibus, contentionem reipublicæ causa faciebat. Sylla cum Sulpicio de jure legum, quas per vim latas Sylla dicebat: Cinna cum Octavio de novorum civium suffragiis: rursus cum Mario & Carbone Sylla, ne dominarentur indigni, & ut clarissimorum hominum crudelissimam puniretur necem. Horum omnium bellorum causæ ex reipublicæ contentione natæ sunt. De

* Vulg. *cum esset illius ætatis*. * Vulg. *an etiam*.

ANALYSIS.

(a) *Utrum hoc*) 3. Cum *Complexione* superioris argumenti alia ratio conjungitur ducta *a Comparatione minorum*:

Magis hoc cum Antonio bellum est, quam reliqua omnia civilia bella;

Sed illa superiora nemo negat fuisse bella;

Ergo per inscitiam negamus esse nobis bellum cum Antonio.

(b) *Cæteris enim*) *Propositionis* approbatio *a Causis*, quas fuse pertractat: ostendens, unde reliqua orta sint, & qua spe Antonius hoc cum Rep. bellum gerat, ut omnia divina, & humana perturbet.

De proximo bello civili non libet dicere: ignoro causam, detestor exitum.

III. Hoc bellum quintum civile geritur: atque omnia in nostram ætatem inciderunt. Primum non modo * non in dissensione & discordia civium, sed in maxima consensione, incredibilique concordia: omnes idem volunt, idem defendunt, idem sentiunt. Cum omnes dico, eos excipio, quos nemo civitate dignos putat. Quæ est igitur in medio belli causa posita? nos deorum immortalium templa, nos muros, nos domicilia, sedesque populi Romani, penates, aras, focos, sepulcra majorum, nos leges, judicia, libertatem, conjuges, liberos, patriam defendimus: contra M. Antonius id molitur, id pugnat, ut hæc omnia perturbet, evertat, prædam reipublicæ causam belli putet, fortunas nostras partim dissipet, partim dispertiat parricidis.

In hac tam dispari ratione belli miserrimum illud est, quod ille latronibus suis pollicetur primum domos: urbem enim se divisurum confirmat: deinde omnibus portis, quo velint, deducturum. Omnes Caphones, omnes Saxæ, cæteræque pestes, quæ sequuntur Antonium, ædes sibi optimas, hortos, Tusculana, Albana definiunt. Atque etiam homines agrestes, si homines illi, ac non pecudes potius, inani spe ad aquas (1) usque & Puteolos provehuntur. Ergo habet (a) Antonius, quod suis polliceatur. Quid nos? num quid tale habemus? Dii meliora. Id enim ipsum agimus, ne quis posthac ejusmodi quidquam possit polliceri.

* Vict. Man. Grut. omittunt *non*.
(1) *Aquas*) Bajanas.

ANALYSIS.

(a) *Ergo habet*) Ad excitandam *Confidentiam* honestam a Senatu Causam susceptam demonstrat, ab Antonio turpissimam; simulque obiter Patres vituperat, quod acta Cæsaris confirmaverint, cum adducti pessimo exemplo perditi Cives tanta moliantur.

Invitus dico, sed dicendum est. Hasta Cæsaris, Patres Conscripti, multis improbis & spem affert, & audaciam. Viderunt enim ex mendicis fieri repente divites. Itaque hastam semper videre cupiunt (1) ii, qui nostris bonis imminent: quibus omnia pollicetur Antonius.

Quid nos? nostris exercitibus quid pollicemur? multo meliora, atque majora. Scelerum enim promissio & iis, qui expectant, perniciosa est, & iis, qui promittunt. Nos nostris militibus libertatem, jura, leges, judicia, imperium orbis terræ, dignitatem, pacem, otium pollicemur. Antonii igitur promissa, cruenta, tetra, scelerata, diis, hominibusque invisa, nec diuturna, nec salutaria; nostra contra honesta, integra, gloriosa, plena lætitiæ, plena pietatis.

IV. Hic mihi (*a*) etiam Q. Fufius, vir fortis ac strenuus, amicus meus, pacis commoda commemorat. Quasi vero (*b*) si laudanda pax esset, ego id æque commode facere non possem. Semel enim pacem defendi, non semper otio studui: quod cum omnibus bonis utile est, tum præcipue mihi. Quem enim cursum industria mea tenere potuisset, sine forensibus causis, sine legibus, sine judiciis? quæ esse non possunt, civili pace sublata.

(1) *Hastam semper videre cupiunt*) Eadem sententia lib. de Offic. *Nec vero unquam bellorum civilium semen, & causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam & meminerint, & sperabunt*. Lib. II. cap. 8. *Manutius*.

ANALYSIS.

(a) *Hic mihi*) Nunc disputat cum Caleno, qui primus sententiam rogatus, 1. pacem optabilem omnibus dixerat; 2. se omnes cives velle salvos; 3. Ciceronem accusaverat secum iracunde agentem; 4. in Massilienses invectus fuerat.

(b) *Quasi vero*) Primum illud ita refellit *a Contrariis*:
Si pax ageretur, Cicero maxime eam defenderet;
Sed pacis nomine turpissima servitus continetur;
Ergo non modo Cicero, sed ipse Calenus eam debet depellere.
Quasi vero) *Propositio* approbata *ab Adjunctis* personæ Phil. 7.

ta. Sed quæso (*a*), Calene, quid tu servitutem pacem vocas? Majores quidem (*b*) nostri non modo, ut liberi essent, sed etiam, ut imperarent, arma capiebant: at * tu arma abjicienda censes, ut serviamus. Quæ causa justior est belli gerendi, quam servitutis depulsio? in qua etiam si non sit molestus dominus, tamen est miserrimum, posse, si velit. Immo aliæ causæ justæ, hæc necessaria est. Nisi forte (*c*) ad te hoc non putas pertinere, quod te socium fore speras dominationis Antonii. In quo bis laberis: primum, quod tuas rationes communibus anteponis, deinde, quod quidquam stabile in regno, aut jucundum putas. Non, si tibi antea profuit (1), semper proderit.

Quin etiam, memini, de illo (2) homine queri solebas: quid te facturum de bellua putas? Atqui ** ais (*d*) eum te esse, qui semper pacem optaris, semper omnes cives salvos volueris. Honesta oratio (*e*): sed ita, si bonos & utiles reipublicæ *** cives, sin eos, qui natura cives sunt, voluntate hostes, salvos velis; quid tandem intersit inter te &

* In vulg. deest *at*. ** Vulg. *Atque*.
*** Vulg. *&* e rep. *cives*.
(1) *Antea profuit*) Factus fuerat Consul sub Cæsare Calenus cum P. Vatinio. *Ferr.*
(2) *De illo*) De Cæsare. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Sed quæso*) *Assumptio*.
(b) *Majores quidem*) *Complexionem* illustrat *a Comparatione minorum*:
Nulla justior causa belli gerendi, quam servitutis depulsio;
Sed majores nostri, ut imperarent, bellum etiam gerere solebant;
Ergo nos multo magis, ut servitutem depellamus.
(c) *Nisi forte*) Caleno etiam laborandum esse in depellenda servitute (quæ erat secunda pars in superiori *Complexione*) probat *ab honesto*, & *ab utili*.
(d) *Atqui ais*) Quod secundo loco dixerat Calenus, reprehendit *ab Exemplis dissimilibus*:
Omnes boni voluerunt improbos Cives perire;
Sed Calenus vult illos etiam esse salvos;
Ergo non est vir bonus.
(e) *Honesta oratio*) *Assumptio* cum *Complexione* conjuncta.

& illos? Pater quidem tuus (*a*), quo utebar sene adolescens, homo severus & prudens, primas omnium civium P. Nasicæ, qui Tib. Gracchum interfecit, dare solebat. Ejus enim virtute, consilio, magnitudine animi, liberatam rempublicam arbitrabatur.

Quid? nos a patribus num aliter accepimus? Ergo is tibi civis, si temporibus illis fuisses, non probaretur, quia non omnes salvos esse voluisset. *Quod L. Opimius consul verba fecit de republica, de ea re ita censuerunt*, UTI OPIMIUS CONSUL REMPUBLICAM DEFENDERET. Senatus hæc verbis, Opimius armis. Num igitur eum, si tum esses, temerarium civem, aut crudelem putares? aut Q. Metellum, cujus quatuor filii consulares? P. Lentulum, principem senatus? complures alios summos viros, qui cum L. Opimio consule armati Gracchum in Aventinum persecuti sunt? quo in prœlio Lentulus grave vulnus accepit: interfectus est Gracchus, & M. Fulvius consularis, ejusque duo adolescentuli filii.

V. Illi igitur viri vituperandi. Non enim cives omnes salvos esse voluerunt. Ad propiora veniamus. C. Mario, L. Valerio consulibus, senatus rempublicam defendendam dedit: L. Saturninus, tribunus plebis, Glaucia prætor est interfectus. Omnes illo die Scauri, Metelli, Claudii, Catuli, Scævolæ, Crassi arma sumpserunt. Num aut consules illos, aut clarissimos viros vituperandos putas? Ego Catilinam perire volui. Num tu, qui omnes salvos vis, Catilinam salvum esse voluisti? Hoc interest (*b*), Calene, inter meam sententiam

ANALYSIS.

(a) *Pater quidem tuus*) *Propositio* fuse amplificata *ab Exemplis*: Calenus autem non poterat perditorum pœnas vituperare, nisi Viros clarissimos vituperaret.

(b) *Hoc interest*) Suam, & Adversarii sententiam interpretatur;

tiam & tuam : ego nolo quemquam civem committere, ut morte multandus sit; tu, etiam si commiserit, conservandum putas. In corpore si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri, secarique patimur, ut membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat: sic in reipublicæ corpore, ut totum salvum sit, quidquid est pestiferum amputetur.

Dura vox. Multo illa durior: Salvi sint improbi, scelerati, impii: deleantur innocentes, honesti, boni, tota respublica. Uno in homine (*a*), Q. Fufi, fateor te vidisse, plus quam me (1). Ego P. Clodium arbitrabar perniciosum civem, sceleratum, libidinosum, impium, audacem, facinorosum: tu contra sanctum, temperantem, innocentem, modestum, retinendum civem, & optandum. In hoc uno te plurimum vidisse, multum me errasse concedo. Nam, quod me (*b*) tecum iracunde agere dixisti solere, non est ita. Vehementer me agere fateor, iracunde nego. Omnino ira-

(1) *Te vidisse plus, quam me*) Perspicua ironia. Defensum a Caleno Clodium, cum de incesto accusatus est, narrat Pedianus pro Milone. *Manut.*

ANALYSIS.

tatur; ex quo apparet, uter eorum recte sentiat, sic tamen etiam *a Simili* confirmat:

Optimum consilium est, uri secarique aliquod membrum, ne totum corpus intereat;

Ergo etiam in Reip. corpore amputetur, quod est pestiferum, ut totum salvum sit.

(a) *Uno in homine*) Per *Ironiam* ostendit, non esse mirum Antonium defendi a Caleno, a quo semper etiam fuerit P. Clodius defensus.

(b) *Nam, quod me*) Ad tertium respondet, se dissentire a Caleno sine ulla contumelia, cum sit amicus; at cum summo dolore, quod *a Causis* ita defendit;

Qui vult conservare Imperatorem, & Coloniam Populi Rom., non potest dissentire, nisi cum summo dolore ab illo, qui eos vult expugnare;

Sed Imperatorem, & Coloniam populi Rom. ego volo conservare, tu expugnare;

Ergo a te dissentire non possum sine summo dolore.

irasci amicis non temere soleo, ne si merentur quidem. Itaque sine verborum contumelia a te dissentire possum, sine animi summo dolore non possum. Parva est enim mihi tecum, aut parva de re dissensio: ego huic videlicet faveo, tu illi. Immo vero ego D. Bruto faveo, tu M. Antonio: ego conservari coloniam populi Romani cupio, tu expugnari studes.

VI. An hoc (*a*) negare potes, qui omnes moras interponis, quibus infirmetur Brutus, melior fiat Antonius? Quousque enim dices, pacem velle te? Res geritur: conductæ vineæ sunt: pugnatur acerrime. Qui intercurrerent, misimus tres (1) principes civitatis. Hos contempsit, rejecit, repudiavit Antonius. Tu tamen permanes constantissimus defensor Antonii. Et quidem (*b*), quo melior senator videatur, negat se illi amicum esse debere: cum suo magno beneficio esset (2), venisse (3) eum contra se. Vide quanta caritas sit patriæ: cum homini sit iratus, tamen reipublicæ causa defendit Antonium. Ego te (*c*), cum in Massilienses tam sis acerbus, Q. Fufi, non animo æquo audio. Quousque enim Massiliam oppugna-

(1) *Tres*) Diximus legatos ad Antonium a senatu missos L. Pisonem, L. Philippum, Ser. Sulpicium. *Idem*.

(2) *Cum suo magno beneficio esset*) Cum a se magnum Antonius beneficium accepisset. Notandum loquendi genus, quod per quam rarum est. Usus eo Cicero est in ep. ad Curium 30. lib. VII. *Fam.* alibi nusquam, quod quidem observaverim. *Idem*.

(3) *Venisse*) In judicium.

A N A L Y S I S.

(a) *An hoc*) *Assumptionis* secunda pars approbata *ab Effectis*.

(b) *Et quidem*) Rejicit, simulque irridet excusationem Caleni, qui simulabat se privatim Antonio esse inimicum, ut Reip. causa talia sentire videretur.

(c) *Ego te*) Quarto increpat Calenum Massilienses oppugnantem, quos dignos esse probat *Misericordia*, cum jam satis pœnarum dederint, cumque ipse Cæsar iracundiam remittere cœperit arguit *a Comparatione majorum*.

gnabis (1)? ne triumphus quidem finem facit belli? per quem lata est urbs ea (2), sine qua nunquam ex Transalpinis gentibus majores nostri triumpharunt. Quo quidem tempore, populus Romanus ingemuit. Quanquam proprios dolores suarum rerum omnes habebant, tamen hujus civitatis fidelissimæ miserias, nemo erat civis, qui a se alienas arbitraretur. Cæsar ipse, qui illis fuerat iratissimus, tamen propter singularem ejus civitatis gravitatem & fidem quotidie aliquid iracundiæ remittebat: te nulla sua calamitate civitas satiare tam fidelis potest? Rursus me jam irasci fortasse dices. Ego autem sine iracundia dico, ut omnia, nec tamen sine dolore: Neminem illi civitati inimicum esse arbitror, qui amicus sit huic civitati. Excogitare (*a*), quæ tua ratio sit, Calene, non possum. Antea deterrere te, ne popularis esses, non poteramus: exorare nunc, ut sis popularis, non possumus.

Satis multa cum Fusio, ac sine odio omnia, nihil sine dolore. Credo autem, qui generi (3) querelam moderate ferat, æquo animo laturum amici.

VII. Venio (*b*) ad reliquos consulares, quorum est nemo, (jure meo hoc dico) quin mecum

(1) *Oppugnabis*) Oppugnabat eorum commoda: nam in senatu actum esse ut iis redderentur adempta a Cæsare, facile est intelligere ex iis Antonii verbis, quæ recitantur Phil. XIII. 15. Massilienses proficiscenti in Hispanias Cæsari, civitatis suæ portas clauserant. *Idem*.

(2) *Per quem lata est urbs ea*) Captarum urbium simulacra in triumphi pompa ferebantur. Massiliæ casum iisdem deplorat verbis lib. II. Offic. *Idem*.

(3) *Generi*) Pansæ Consulis.

A N A L Y S I S.

(a) *Excogitare*) Tandem inconstantiæ, & improbitatis Calenum accusat; nisi enim esset improbus, non esset adeo inconstans in Causa populari; offensionem quoque Cicero deprecatur *a Pari*.

(b) *Venio*) Consulares, quorum tamen *benevolentiam* a familiaritate sibi conciliat, quod hesterno die censuerant mittendos ite-

cum habeat aliquam conjunctionem gratiæ, alii maximam, alii mediocrem, nemo nullam. Quam hesternus dies nobis, consularibus dico, turpis illuxit? iterum legatos? quid, si ille (*a*) faceret inducias? Ante consulis * oculosque legatorum tormentis Mutinam verberavit: opus ostendebat munitionemque legatis: ne punctum quidem temporis, cum legati adessent, oppugnatio respiravit. Ad hunc legatos? cur? an (*b*) ut eorum reditu vehementius pertimescatis?

Equidem cum antea legatos decerni non censuissem, hoc me tamen consolabar, quod cum illi ab Antonio contempti & rejecti revertissent, dixissentque senatui, non modo illum e Gallia non discessisse, uti censuissemus, ** sed ne a Mutina quidem recessisse, potestatem sibi D. Bruti conveniendi non fuisse: fore, ut omnes (1) inflammati odio,

* Vulg. *ante os oculosque*. Al. *ante Consulem oculosque*.
** Vulg. *censuimus*.

(1) *Fore, ut omnes*) Ἀνακόλουθον. Quod alii ut fugerent, contra fidem veterum librorum addiderant verbum, *putabam*. Sed quæ stultitia est, ea emendare velle, quæ constat veteres illos, ornandæ orationis causa, interdum de industria consectatos? *Muretus*. Hæc pendent ex verbo, *consolabar*, quod est supra. Nam vox *putabam*, quæ est ante *fore*, in libris vulgatis, non reperitur in antiquo Vaticano, neque in Memmiano. Jam vero copulationem *quod*, post verbum *consolabar* delevi, ut alienam & subditam. Quod autem Muretus existimat esse ἀνακόλουθον, mihi non videtur. Est enim apta consecutio, si propius spectes: & ita, ut indicavi, verba explices & conjungas. *Lamb.* Retinent tamen copulationem *quod* post *consolabar*, cæteri omnes.

ANALYSIS.

iterum esse legatos ad Antonium, moderate reprehendit hoc argumento ab *Adjunctis*.

Ad eum, qui parere non vult, mittendi non sunt legati cum maximo Reip. incommodo;
Sed Antonius negligit mandata Senatus, & ipsa legatorum missio nobis perniciosa est;
Ergo mittendi nullo modo sunt iterum legati ad Antonium.

(a) *Quid, si ille*) *Assumptionis* prima pars, quam sua statim *Complexio* sequitur, *Ad hunc legatos?*

(b) *Cur? an*) Secunda pars, eamque amplificat *a Contrariis*; unde vos inflammandos ad bellum putavi, inde timorem maximum cepistis.

odio, excitati dolore, armis, equis, viris D. Bruto subveniremus. Nos etiam languidiores facti postea sumus, quam Antonii non solum audaciam & scelus, sed etiam insolentiam superbiamque perspeximus.

Utinam (*a*) L. Cæsar valeret, Servius Sulpicius viveret! multo melius hæc causa ageretur a tribus, quam nunc agitur ab uno. Dolenter hoc dicam potius, quam contumeliose. Deserti, deserti, inquam, sumus, Patres Conscripti, a principibus. Sed, ut sæpe jam dixi, omnes in tanto periculo, qui recte & fortiter sentient, erunt consulares. Animum nobis (*b*) afferre legati debuerunt, timorem attulerunt: quamquam mihi quidem nullum. Quamvis de illo, ad quem missi sunt, bene existiment, a quo etiam mandata acceperunt.

VIII. Pro dii immortales! ubi est ille mos, virtusque majorum? C. Popillius (1) (*c*) apud majores nostros, cum ad Antiochum regem legatus missus esset, & verbis senatus denuntiasset, ut ab Alexandria discederet, quam obsidebat, cum tempus ille differret, virgula stantem circumscripsit; dixitque se renuntiaturum senatui, nisi prius sibi respondisset, quid facturus esset, quam ex illa circumscriptione excederet. Præclare: senatus enim fa-

(1) *C. Popillius*) Historiam Livius narrat lib. xxxiv. *Man.*

A N A L Y S I S.

(a) *Utinam*) Dolet, se unum esse ex Consularibus, qui Reip. causam agat, hortaturque reliquos, ut se constantia, & fide Consulares exhibeant.

(b) *Animum nobis*) Nunc Legatos accusat præcipue ea de causa, quod ab Antonio mandata acceperant; sic *ab Exemplo dissimili:*

Dignus est summa laude C. Popillius, qui legatus coegit Antiochum parere Senatui;

Sed hi neque Antonium coegerunt Senatui parere, & ab eo durissima ad nos mandata retulerunt;

Ergo magna digni sunt reprehensione.

(c) *C. Popillius*) *Propositio*, eamque confirmat a publica persona, quam legati Senatus, & Reip. sustinent.

faciem secum attulerat, auctoritatem populi Romani, * cui qui non paret, non ab eo mandata accipienda sunt (1), sed ipse est totus repudiandus.

An ego (*a*) ab eo mandata acciperem, qui senatus mandata contemneret? aut ei cum senatu quidquam commune judicarem, qui imperatorem populi Romani senatu prohibente obsideret? At quæ mandata? qua arrogantia? quo stupore? quo spiritu? Cur autem (*b*) ea legatis nostris dabat, cum ad nos Cotylam mitteret, ornamentum atque arcem amicorum suorum, hominem ædilitium? si vero tum fuit ædilis, cum eum jussu Antonii in convivio servi publici loris ceciderunt.

At quàm modesta (*c*) mandata! ferrei sumus, Patres Conscripti, qui quidquam huic negemus. *Utramque provinciam*, inquit, *remitto* (2): *exercitum depono: privatus esse non recuso*. Hæc sunt enim verba. Redire ad se videtur. *Omnia oblivi-scor*,

* Vulg. *auctoritatem reipublicæ*.

(1) *Non ab eo mandata accipienda sunt*) Ut ab Antonio Piso & Philippus acceperunt. *Idem*.

(2) *Utramque provinciam, inquit, remitto*) Ant. Augustinus delet *utramque*, quia dicit paulo post, *Galliam, inquit, Togatam remitto, Comatam postulo*: at hujus loci tota sententia videtur retinere *utramque*. Primum verba, quæ statim sequuntur, *Privatus esse non recuso*: deinde infra, *Galliam Togatam remitto, Comatam postulo*: plane non sunt eadem mandata cum superioribus, alioqui bis eadem repetisset. Sed ut fit in ferendis conditionibus, Antonius dabat optionem Senatui populoque R. utra mallet mandata, aut conditiones accipere, quod ea verba clare ostendunt εὐφορικῶς dicta: *Neque tamen nos urget mandatis pluribus: remittit aliquantum & relaxat*. Cum enim dicit *pluribus*, ostendit, non eadem esse: cum *remittit & relaxat*, ostendit, Antonium contra facere. *F. Ursin.*

ANALYSIS.

(a) *An ego*) *Assumptionis* utraque pars.

(b) *Cur autem*) Secundam *Assumptionis* partem primo amplificat ex eo, quia poterat Antonius non dare ea mandata legatis, cum ipse mitteret Cotylam ad Senatum, adeoque dedit per contemptum.

(c) *At quam modesta*) Deinde confirmat esse illa plena arrogantiæ, exponendo, quæ mandata dederit, eaque sigillatim explicando.

ſcor, in gratiam redeo. Sed quid adjungit, *ſi legionibus meis ſex, ſi equitibus, ſi cohorti prætoriæ prædam, agrumque dederitis*. His etiam præmia poſtulat, quibus ut ignoſcatur ſi poſtulet, impudentiſſimus judicetur? Addit præterea, *ut quos ipſe cum Dolabella dederit agros, teneant ii, quibus dati ſint*. Hic eſt Campanus ager, & Leontinus, quæ duo majores noſtri annonæ perfugia ducebant.

IX. Cavet mimis, aleatoribus, lenonibus: Caphoni etiam, & Saxæ cavet: quos centuriones pugnaces & lacertoſos inter mimorum & mimarum greges collocavit. Poſtulat præterea, *ut chirographorum* (1) *& commentariorum ſua, collegæque ſui decreta maneant*. Quid laborat, ut habeat, quod quiſque mercatus eſt, ſi quid accepit, habeat qui vendidit? *Et ne tangantur rationes ad Opis*: id eſt, ne ſepties millies recuperetur. *Ne fraudi ſit ſeptemviris, quod egiſſent*: Nucula (2) hoc, credo, admonuit. Verebatur fortaſſe, ne amitteret tantas clientelas (3).

Caveri etiam vult *iis, qui ſecum ſunt, quidquid contra leges * commiſerint*. Muſtelæ, & Tironi proſpicit: de ſe nihil laborat. Quid enim commiſit unquam? num aut pecuniam publicam attigit, aut hominem occidit, aut ſecum habuit armatos? Sed quid eſt, quod de iis laboret? Poſtulat enim, *ne ſua judicaria lex abrogetur*: quo impetrato, quid eſt quod metuat? an, ne ſuorum aliquis a Cyda, Lyſiade, Curio condemnetur?

Neque tamen nos urget mandatis pluribus: remittit aliquantum, & relaxat. *Galliam*, inquit, *togatam remitto, comatam poſtulo*: otioſus videlicet eſſe

* Vulg. *legem*.

(1) *Chirographorum*) Cæſaris: in quibus fingebat Antonius eſſe multa, quæ non erant. *Manutius*.

(2) *Nucula*) Septemvir. De quo Phil. VI. cap. 5. XI. 6. XII. 8.

(3) *Tantas clientelas*) Quantas ſibi agrorum diviſione pepererat. *Idem*.

esse mavult: *cum sex legionibus*, inquit, *iisque suppletis ex D. Bruti exercitu*, non modo ex delectu suo, *tamdiuque ut obtineat, quamdiu* * *M. Brutus, C. Cassius, consules, prove consulibus provincias obtinebunt*. Hujus comitiis C. frater ejus: est enim annus, ut repulsam tulit (1). *Ipse autem ut quinquennium*, inquit, *obtineam*. At istud vetat lex Cæsaris; & tu acta Cæsaris defendis?

X. Hæc tu (*a*) mandata (2), L. Piso, & tu, L. Philippe, principes civitatis, non dico animo ferre, verum auribus accipere potuistis? Sed, ut suspicor, terror erat quidam: nec vos ut legati apud illum fuistis, nec ut consulares: nec vos vestram, nec reipublicæ dignitatem tenere potuistis. Et tamen nescio quo pacto, sapientia quadam, credo, quod ego non possem, ** non nimis irati revertistis. Vobis M. Antonius (*b*) nihil tribuit, clarissimis viris, legatis populi Romani: nos, quid non legato M. Antonii Cotylæ concessimus? cui portas hujus urbis patere jus non erat, huic hoc tem-

* Vulg. *dum*. ** Vulg. *possum*.

(1) *Hujus comitiis C. Frater ejus: est enim annus, ut repulsam tulit*) Antiquus liber & ipse in hac parte mendosus, ita habet: *hujus comitiis C. frater ejus est enim jam annus ut repulsam tulit*. Pro quo Antonius Augustinus opinatur legendum: Lucius comitiis Cos. Fiat. *Jure: est enim jam annus, ut repulsam tulit*. Ut superiora quatuor verba Antonii sint: quæ vero sequuntur, Ciceronis per ironiam adsentientis Antonio. Quæ lectio ita mihi placet, ut tamen eam pro certa indubitataque non habeam. *Faernus*. Locus corruptus, & mutilus, quem alii aliter emendare conati sunt. Ex quorum emendationibus à Grævio recitatis hoc unum intellexi, locum esse corruptum. *Olivetus*.

(2) *Hæc tu mandata*) Vide Cic. epist. ad Cassium, *Fam.* XII. 4.

ANALYSIS.

(a) *Hæc tu*) *Complexio*; ubi, ne nimis Pisonem, & Philippum offendat, eos videtur quodammodo excusare.

(b) *Vobis M. Antonius*) Ultimo Senatum etiam increpat, quod passus fuerit introduci in Curiam Cotylam Antonii legatum, *a Comparatione imparium*:

Antonii legatus non est comparandus cum legatis Senatus;
Sed legatis Senatus Antonius nihil tribuit;
Ergo non debuit Senatus tanto honore prosequi legatum Antonii.

templum patuit, huic aditus in senatum fuit, hic hesterno die sententias nostras in codicillos, & omnia verba referebat, huic se etiam summis honoribus usi contra dignitatem suam venditabant (1).

PERORATIO.

O dii (a) immortales! quam magnum est (b), personam in republica tueri principis! quæ non animis solum debet, sed etiam oculis servire civium. Domum recipere legatum hostium, in cubiculum admittere, etiam seducere (2), hominis est nihil de dignitate, nimium de periculo cogitantis. Quod autem est (c) periculum? nam si maximum in discrimen venietur, aut libertas parata victori est, aut mors proposita * victo: quorum alterum optabile est, alterum effugere nemo potest. Turpis autem fuga mortis omni est morte pejor.

Nam illud (d) quidem non adducor ut credam, esse quosdam, qui invideant alicujus constantiæ, qui labori, qui ejus perpetuam in republica adjuvanda voluntatem & a senatu, & a populo Romano probari moleste ferant. Omnes id quidem

* Vulg. *exposita*.

(1) *Venditabant*) Cum alii legatos iterum mittendos censerent, alii belli nomen repudiarent, ut Antonio rem gratam facerent. *Ferrat.*

(2) *Seducere*) Clam alloqui. Ut *Fam.* I. 9., & *Orat.* I. 56. Vulg. *reducere*. Ursin. *deducere*.

ANALYSIS.

(a) *O Dii*) Per vehementem *Exclamationem* detestatur eos, qui Cotylam Antonii legatum familiariter tractaverant, *a minori ad majus*:

Omnibus turpe est legatum hostium familiariter, & clam alloqui;
Sed hoc multo turpius est in cive principe;
Ergo maxime reprehendendi principes Cives, qui hoc egerunt.

(b) *Quam magnum est*) *Assumptionis* approbatio.

(c) *Quod autem est*) Occurrit *Prolepsi* cuidam, ostenditque nihil esse timendum, cum omnes Antonius interfecturus sit, si ipse vicerit; adeoque non posse mortem evitari hac vana ostentatione amicitiæ.

(d) *Nam illud*) Accusat eos, qui gloriæ Ciceronis invidentes Antonio favebant, hortaturque omnes ad vigilandum exemplo Q. Scævolæ, & ad servitutem depellendam.

dem facere debebamus: eaque erat non modo apud majores nostros, sed etiam nuper summa laus consularium, vigilare, adesse animo, semper aliquid pro republica aut cogitare, aut facere, aut dicere. Ego, Patres Conscripti, Q. Scævolam augurem memoria teneo, bello Marsico, cum esset summa senectute & perdita valetudine, quotidie, simul atque luceret, facere omnibus conveniendi sui potestatem: neque eum quisquam illo bello vidit in lecto: senexque & debilis, primus veniebat in curiam. Hujus industriam maxime quidem vellem ut imitarentur ii, quos oportebat; secundo autem loco, ne alterius labori inviderent.

XI. Etenim, Patres Conscripti, cum in spem libertatis sexennio post (1) simus ingressi, diutiusque servitutem perpessi, quam captivi * frugi & diligentes solent, quas vigilias, quas sollicitudines, quos labores, liberandi populi Romani causa recusare debemus? Equidem (*a*), Patres Conscripti, quanquam hoc honore usi togati solent esse, cum est in sagis civitas, statui tamen, a vobis, cæterisque civibus in tanta atrocitate temporis, tantaque perturbatione reipublicæ, non differre vestitu. Non enim ita gerimus nos hoc bello consulares, ut æquo animo populus Romanus visurus sit nostri honoris insignia: cum partim e nobis ita timidi sint, ut omnem populi Romani beneficiorum memoriam abjecerint: partim ita a republica aversi, ut se hosti ** favere præ se ferant: legatos nostros ab Antonio despectos esse & irrisos facile patiantur: legatum Antonii sublevatum velint. Hunc enim

(*a*)

* Vulg. *captivi servi frugi*. ** Vulg. *ut huic se hosti*.

(1) *Sexennio post*) Sexto denique anno post ortum civile bellum, a consulatu Marcelli, & Lentuli, quo anno Cæsar urbe Roma potitus est, ad Pansæ, & Hirtii consulatum. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Equidem*) Exponit, quare ipse etiam sagum pro toga sumpturus sit, & rursus increpat Consulares.

(*a*) reditu ad Antonium prohiberi negabant oportere, & in eodem excipiendo sententiam meam corrigebant. Quibus geram morem. Redeat ad imperatorem suum Varius, sed ea lege, ne unquam Romam revertatur. Cæteris autem, si errorem suum deposuerint, & cum republica in gratiam redierint, veniam & impunitatem dandam puto.

Quas ob res ita censeo: „ EORUM, qui cum „ M. Antonio sunt, qui ab armis discesserint, & „ aut ad Pansam, aut ad Hirtium, consules, aut „ ad Decimum Brutum, imperatorem, consulem „ designatum, aut ad C. Cæsarem pro prætore „ ante idus Martias primas adierint, iis fraudi ne „ sit, quod cum M. Antonio fuerint. Si quis eo„ rum, qui cum M. Antonio sunt, fecerit, quod „ honore præmiove dignum esse videatur, uti C. „ Pansa, A. Hirtius, consules, alter ambove, si „ eis videbitur, de ejus honore præmiove, primo „ quoque die ad senatum referant. Si quis post „ hoc senatusconsultum ad Antonium profectus es„ set, præter L. Varium, senatum existimaturum, „ eum contra rempublicam fecisse.

ANALYSIS.

(a) *Hunc enim*) Tandem causam assignat, cur leniorem sententiam dicat de Antonii legato Cotyla; subditque quibus verbis fieri S. C. velit.

IN
M. ANTONIUM
PHILIPPICA IX.
ARGUMENTUM.

Referente Pansa consule de honore Ser. Sulpicii, qui legatus ad Antonium cum Pisone & Philippo missus prope castra quidem pervenerat, sed antequam senatus mandata exponeret, obierat: P. Servilius sententiam rogatus, decernendum ei publice sepulcrum censuit, statuam non censuit: quod statuas decerni solerent iis, qui in ipsa legatione essent interfecti, non quibus mortem casus attulisset. Post eum Cicero rogatus, honorem sepulcri Sulpicio non ademit, sed eum omnino statua ornandum esse censuit, ea potissimum ratione usus, quod, cum ad Antonium gravi affectus morbo sit profectus, non ei casus, verum ipsa legatio mortem attulisse videatur, atque in hanc sententiam graviter, ornate, copiose disputat. S. C. in ejus sententiam factum esse ex eo perspicitur, quia Pomponius de Origine Juris exstare pro rostris Augusti statuam illam auctor est. MANUT.

PHILIPPICÆ IX. SYNOPSIS.

HUjus Orationis genus est *Deliberativum*, an Statua decernenda sit Ser. Sulpicio; Partes tres, *Exordium*, *Contentio*, & *Peroratio*.

Exordium sumitur *ab Adjunctis* personæ ad conciliandam *benevolentiam*, quo dignus honore Sulpicius ostenditur: *Nec vero dubito*.

In Contentione probat *a Causis* Sulpicium dignum

gnum esse Statua, quia pro Rep. mortuus fuerat. *Ego autem P.C.* & *Assumptionem* confirmat *ab Adjunctis: Secum enim ille mortem*.

Rem ipsam amplificat *a Caussis* conglobatis, easque tres omnino affert: *Nam reliqua S. Sulpicii*.

Servilii sententiam refutat *a Comparatione majorum*: *Atque hanc meam*.

In *Peroratione* est brevis *Epilogus* superiorum: *Augeatur igitur*; suamque profert sententiam Cicero: *Quas ob res ita censeo*.

EXORDIUM.

I. VEllem (*a*), dii immortales fecissent, Patres Conscripti, ut vivo potius Serv. Sulpicio gratias ageremus, quam mortuo honores quæreremus. Nec vero (*b*) dubito, quin, si ille vir legationem renuntiare potuisset, reditus ejus & nobis gratus fuerit, & reipublicæ salutaris futurus: non quo L. Philippo & L. Pisoni, aut studium, aut cura defuerit in tanto officio, tantoque munere; sed cum Serv. Sulpicius ætate illis anteiret, sapientia omnibus, subito ereptus e causa, totam legationem orbam & debilitatam reliquit.

Quod si (*c*) cuiquam justus honos habitus est in morte legato, in nullo justior, quam in Serv. Sulpicio reperietur. Cæteri, qui in legatione mor-

ANALYSIS.

(a) *Vellem*) Exorditur *ab Adjunctis* personæ, ut Sulpicio mortuo *benevolentiam* conciliet; sic enim argumentatur:

Illi debitus est honor, qui vivus Reip. profuisset, mortuus est autem ob Remp.;

Sed in legatione Sulpicius vivus Reip. profuisset, & mortuus est ob Remp.;

Ergo jure de illius honore Consul refert.

(b) *Nec vero*) *Assumptionis* prima pars, quam, minuendo dicti invidiam propter Pisonem, & Philippum, confirmat *a Caussis*, ab ætate, & sapientia Ser. Sulpicii.

(c) *Quod si*) Secunda pars, eamque amplificat *a Comparatione minorum*, ut infra.

tem obierunt, ad incertum vitæ periculum sine ullo mortis metu profecti sunt: Serv. Sulpicius cum aliqua perveniendi ad M. Antonium spe profectus est, nulla revertendi. Qui cum ita affectus esset, ut, si ad gravem valetudinem labor viæ accessisset, sibi ipse diffideret, non recusavit, quo minus vel extremo spiritu, si quam opem reipublicæ ferre posset, experiretur. Itaque (*a*) non illum vis hiemis, non nives, non longitudo itineris, non asperitas viarum, non morbus ingravescens retardavit: cumque jam ad congressum colloquiumque ejus pervenisset, ad quem erat missus, in ipsa cura & meditatione obeundi sui muneris excessit e vita. Ut igitur (*b*) alia, sic hoc, C. Pansa, præclare, quod nos ad ornandum Serv. Sulpicium cohortatus es, & ipse multa copiose de illius laude dixisti.

C O N T E N T I O.

Quibus a te (*c*) dictis, nihil præter sententiam dicerem, nisi P. Servilio respondendum putarem, qui hunc honorem statuæ nemini tribuendum censuit, nisi ei, qui ferro esset in legatione interfectus. Ego autem (*d*), Patres Conscripti, sic interpretor sensisse majores nostros, ut causam mortis censuerint, non genus esse quærendum. Etenim cui legatio ipsa morti fuisset, ejus monumen-

A N A L Y S I S.

(a) *Itaque*) Et *ab Adjunctis* temporis, & loci.

(b) *Ut igitur*) *Complexio*.

(c) *Quibus a te*) Præmissa P. Servilii sententia, ipse suam *a Causis* tuetur:

Causa, non genus mortis quæritur in honore iis tribuendo, qui missi ad aliquem legati mortui sunt in legatione;

Sed Ser. Sulpicio ipsa legatio mortem attulit;

Ergo non minor illi, quam cæteris honor tribuendus est.

(d) *Ego autem*) *Propositio*, quam confirmat interpretando majorum consilium in decernenda statua legatis mortuis; quod duabus vicibus contigerat.

mentum extare voluerunt, ut in bellis periculosis obirent homines legationis munus audacius. Non igitur exempla majorum quærenda, sed consilium est eorum, a quo ipsa exempla nata sunt, explicandum.

II. Lar Tolumnius (1), rex Vejentium, quatuor legatos populi Romani Fidenis interemit, quorum statuæ usque ad meam memoriam in Rostris steterunt. Justus honos. Iis enim majores nostri, qui ob rempublicam mortem obierant, pro brevi vita diuturnam memoriam reddiderunt. Cn. Octavii (2), clari & magni viri, qui primus in eam familiam, quæ postea viris fortissimis floruit, attulit consulatum, statuam videmus in Rostris. Nemo tum novitati invidebat, nemo virtutem non honorabat. At ea fuit legatio Octavii, in qua periculi suspicio non subesset. Nam, cum esset missus a senatu ad animos regum perspiciendos, liberorumque populorum, maximeque, ut nepotem Antiochi regis, ejus, qui cum majoribus nostris bellum gesserat, classes habere, elephantos alere prohiberet; Laudiceæ (3) in gymnasio a quodam Leptine est interfectus. Reddita est ei tum a majoribus statua pro vita, quæ multos per annos progeniem ejus honestaret, nunc ad tantæ familiæ memoriam sola restaret (4). Atqui & huic, & Tullo Cluvio (5), & L. Roscio, & Sp. Antio, & C. Fulcinio, qui a Vejentium rege cæsi sunt, non sanguis, qui profusus est in morte,

(1) *Lar Tolumnius*) Historia apud Livium lib. IV. *Manut.*
(2) *Cn. Octavii*) Plinius libro XXXIV. cap. 3. *Idem.*
(3) *Laudiceæ*) Plerique, Laodiceæ.
(4) *Sola restaret*) Octaviæ igitur gentis hæc tota familia interierat, sed aliæ manebant: nam & C. Cæsar adolescens erat gentis Octaviæ. *Ferrat.*
(5) *Tullo Cluvio*) Plinius, libro XXXIV. cap. 6, non *Cluvium*, sed *Clœlium* dicit. Vide ibi Harduinum, (*Tom.* II. *pag.* 643.) qui, laudato hoc ipso Ciceronis loco, vult infra legi *Nautio*, non *Antio*, quemadmodum omnes, quos viderim, ediderunt. *Oliv.*

te, sed ipsa mors ob rempublicam obita, honori fuit.

III. Itaque (*a*), Patres, Conscripti, si Serv. Sulpicio casus mortem attulisset, dolerem quidem tanto reipublicæ vulnere: mortem vero ejus non monumentis, sed luctu publico esse honorandam putarem. Nunc autem quis dubitat, quin ei vitam abstulerit ipsa legatio? Secum enim (*b*) ille mortem extulit: quam, si nobiscum remansisset, sua cura, optimi filii, fidelissimæ conjugis diligentia vitare potuisset. At ille, cum videret, si vestræ auctoritati non paruisset, dissimilem se futurum sui, sin paruisset, munus sibi illud pro republica susceptum vitæ finem fore; maluit in maximo reipublicæ * discrimine mori, quam minus, quam potuisset, videri reipublicæ profuisse. Multis illi in urbibus, qua iter faciebat, reficiendi se & curandi potestas fuit. Aderat hospitum invitatio liberalis pro dignitate summi viri, & eorum hortatio, qui una erant missi, ad requiescendum, & vitæ suæ consulendum. At ille properans, festinans, mandata nostra conficere cupiens, in hac constantia, morbo adversante, perseveravit. Cujus cum (*c*) adventu maxime perturbatus esset Antonius, quod ea, quæ sibi jussu vestro denuntiarentur,

* Vulg. *Populi Romani discrimine emori*.

ANALYSIS.

(a) *Itaque*) *Assumptio*, quam probat hac ratione *ab Adjunctis*:

Illi attulit mortem ipsa legatio, cui & suscipere legationem, & celeriter obire periculosum erat;

Sed certissima morte proposita, tamen & suscepit legationem Sulpicius, & maxima celeritate usus est;

Ergo ipsa legatio mortem illi attulit.

(b) *Secum enim*) Evidentia mortis ostenditur a morbi gravitate, quem curare hac una ratione poterat, si Roma non discessisset; deinde sequitur *Assumptionis* utraque pars.

(c) *Cujus cum*) Duo hic obiter attingit, & gaudium Antonii audita Sulpicii morte, unde confirmatur, quod habetur in principio *Exordii*; & laudem consecuturam Senatui ex posita Sulpicio Statua; gravissimi enim cum Antonio belli testis erit.

tur, auctoritate erant & sententia Serv. Sulpicii constituta, declaravit, quam odisset senatum, cum auctorem senatus extinctum læte atque insolenter tulit. Non igitur (a) magis Octavium Leptines, nec Vejentium rex eos, quos modo nominavi, quam Serv. Sulpicium occidit Antonius. Is enim profecto mortem attulit, qui causa mortis fuit. Quocirca etiam ad posteritatis memoriam pertinere arbitror, extare, quod fuerit de hoc bello judicium senatus. Erit enim statua ipsa testis, bellum tam grave fuisse, ut legati interitus, honoris memoriam consecutus sit.

IV. Quod si (b) excusationem Serv. Sulpicii, Patres Conscripti, legationis obeundæ recordari volueritis, nulla dubitatio relinquetur, quin honore mortui, quam vivo injuriam fecimus, sarciamus. Vos enim, Patres Conscripti, (grave dictu est, sed dicendum tamen) vos, inquam, Serv. Sulpicium vita privastis. Quem cum videretis re magis morbum *, quam oratione excusantem, non vos quidem crudeles fuistis, (quid enim minus in hunc ordinem convenit?) sed, cum speraretis nihil esse, quod non illius auctoritate & sapientia effici posset, vehementius excusationi obstitistis: atque eum, qui semper vestrum consensum gravissimum judicavisset, de sententia dejecistis.

Ut vero Pansæ consulis accessit cohortatio gravior, quam aures Serv. Sulpicii ferre didicissent, tum vero denique filium meque seduxit, atque ita locutus est, ut auctoritatem vestram vitæ suæ se diceret anteferre. Cujus nos virtutem admirati, non ausi sumus adversari ** voluntati. Movebatur singulari pietate filius: non multum ejus perturba-

 tioni

* Vulg. *se magis morbo, quam*. ** Vulg. *ejus adversari*.

ANALYSIS.

(a (*Non igitur*) *Complexio* hujus approbationis.
(b) *Quod si*) Hanc eamdem *Assumptionem* confirmat ab excusatione Sulpicii, & ejusdem constantia in legatione suscipienda.

tioni meus dolor concedebat: sed uterque nostrum cedere cogebatur magnitudini animi, orationisque gravitati: cum quidem ille maxima laude & gratulatione omnium vestrum pollicitus est, se, quod velletis, esse facturum, neque ejus sententiæ periculum vitaturum, cujus ipse auctor fuisset. Quem exequi mandata vestra properantem, mane postridie prosecuti sumus: qui quidem discedens mecum ita locutus est, ut ejus oratio omen fati videretur.

V. Reddite igitur (*a*), Patres Conscripti, ei vitam, cui ademistis. Vita enim mortuorum in memoria vivorum est posita. Perficite, ut is, quem vos ad mortem inscii misistis, immortalitatem habeat a vobis. Cui si (*b*) statuam in Rostris decreto vestro statueritis, nulla ejus legationem posteritatis obscurabit oblivio. Nam reliqua (*c*) Serv. Sulpicii vita multis erit, præclarisque monumentis ad omnem memoriam commendata. Semper illius gravitatem, constantiam, fidem, præstantem in republica tuenda curam atque prudentiam, omnium mortalium fama celebrabit. Nec vero silebitur admirabilis quædam, & incredibilis, & pene divina ejus in legibus interpretandis, æquitate explicanda, scientia. Omnes, ex omni ætate, qui hac in civitate intelligentiam juris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Serv. Sulpicio non

A N A L Y S I S.

(a) *Reddite igitur*) *Complexio* superioris Syllogismi.

(b) *Cui si*) Nunc vero sic rem amplificat *a Causis conglobatis*;

In honore Ser. Sulpitio decernendo, anteacta merita, filii dolor, & mortui voluntas vos admodum movere debet;

Sed summa sunt illius anteacta merita, filius hunc honorem Patri desiderat, Pater hunc cæteris præferebat;

Ergo statuam pedestrem æneam ponere Ser. Sulpicio debetis.

(c) *Nam reliqua*) Ostendit in Sulpicio fuisse virtutes Senatore dignas, juris scientiam, & prudentiam; quibus immortalis futurus erat apud posteros.

no possint comparandi. Neque enim ille magis juris consultus, quam justitiæ fuit. Ita ea, quæ proficiscebantur a legibus, & a jure civili, semper ad facilitatem æquitatemque referebat: neque instituere litium actiones malebat, quam controversias tollere. Ergo hoc statuæ monumento non eget: habet alia majora. Hæc enim statua mortis honestæ testis erit, illa memoria vitæ gloriosæ: ut hoc magis monumentum grati senatus, quam clari viri futurum sit.

Multum etiam (*a*) valuisse ad patris honorem pietas filii videbitur: qui quanquam afflictus luctu non adest, tamen sic animati esse debetis, ut si ille adesset. Est autem ita affectus, ut nemo unquam unici filii mortem magis doluerit, quam ille mœret patris. Equidem etiam ad famam Serv. Sulpicii filii arbitror pertinere, ut videatur honorem debitum patri præstitisse. Quanquam nullum monumentum clarius Serv. Sulpicius relinquere potuit, quam effigiem morum suorum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenii, filium. Cujus luctus aut hoc honore vestro, aut nullo solatio levari potest.

VI. Mihi autem (*b*) recordanti Serv. Sulpicii multos in nostra familiaritate sermones, gratior illi videtur, si quis est sensus in morte, ænea statua futura, & ea pedestris, quam inaurata equestris: qualis est L. Syllæ prima statua (1). Mirifice enim Serv. Sulpicius majorum continentiam diligebat, hujus seculi insolentiam vituperabat. Ut igitur, si ipsum consulam, quid velit, sic pedestrem ex

(1) *Qualis est L. Syllæ prima statua*) Forte scripsit Cicero: *qualis L. Syllæ primum* statuta *est*. Nam non est ut *statua* hic repetatur, quod modo præcessit. *Grævius*.

ANALYSIS.

(a) *Multum etiam*) Secundo agit de filii luctu, & solatio, quem præterea laudat, ut simillimum Patris.

(b) *Mihi autem*) Tertio, quid vivus Sulpicius de pedestri ænea statua sentiret, exponit.

ex ære statuam, tanquam ex ejus auctoritate & voluntate, decerno: quæ quidem magnum civium dolorem, & desiderium, honore monumenti minuet & leniet.

Atque hanc (*a*) meam sententiam, Patres Conscripti, P. Servilii sententia comprobari * necesse est: qui sepulcrum publice decernendum Serv. Sulpicio censuit, statuam non censuit. Nam si mors (*b*) legati sine cæde atque ferro nullum honorem desiderat, cur decernit honorem sepulturæ, qui maximus haberi potest mortuo? Sin id tribuit Serv. Sulpicio, quod non est datum Cn. Octavio, cur, quod illi datum est, huic dandum esse non censet? Majores quidem nostri statuas multis decreverunt, sepulcra paucis. Sed statuæ intereunt tempestate, vi, vetustate: sepulcrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri, neque deleri potest. Atque ut cætera extinguuntur, sic sepulcra fiunt sanctiora vetustate. Augeatur (*c*) igitur isto etiam honore is vir, cui nullus honor tribui non debitus potest. Grati simus in ejus morte decoranda, cui nullam jam aliam gratiam referre possumus. Notetur etiam M. Antonii, nefarium bellum gerentis, scelerata audacia. His enim honoribus habitis Serv. Sulpicio repudiatæ reje-

* Vulg. *probari*.

ANALYSIS.

(a) *Atqui hanc*) Ultimo arguit *a Comparatione majorum*, & Servilium refutat publice sepulcrum decernentem, non autem statuam:

Cui maximus honor decernitur, minor negari non debet:
Sed Servilius publice sepulcrum decernit, qui maximus est honos;
Ergo statuam negare non debet.

(b) *Nam, si mors*) *Assumptio* cum *Complexione*; eam autem comprobat, tum quia multis decretæ sunt Statuæ, quibus non fuit decretum Sepulcrum; tum *a Causis*, quia statua interire potest, sepulcrum nullo modo.

(c) *Augeatur*) Hic est quidam *Epilogus* superiorum; tres enim attinguntur causæ, propter quas probavit decernendam esse Statuam; merita Sulpicii; mors ob Remp. obita; Antonii audacia notanda.

rejectæque legationis ab Antonio, manebit testificatio sempiterna.

VII. Quas ob res (a) ita censeo: „ Cum
„ Serv. Sulpicius, Q. F. Lemonia (1), Rufus,
„ difficillimo reipublicæ tempore, gravi periculo-
„ soque morbo affectus, auctoritatem senatus, sa-
„ lutemque reipublicæ vitæ suæ præposuerit, con-
„ traque vim gravitatemque morbi contenderit,
„ ut in castra Antonii, quo senatus eum miserat,
„ perveniret: isque, cum jam prope castra venis-
„ set, vi morbi oppressus, vitam amiserit in ma-
„ ximo reipublicæ munere*: ejusque mors consen-
„ tanea vitæ fuerit, sanctissime honestissimeque
„ actæ, in qua sæpe magno usui reipublicæ Serv.
„ Sulpicius & privatus, & in magistratibus fuerit:
„ cum talis vir ob rempublicam in legatione
„ mortem obierit, senatui placere, Serv. Sulpicio
„ statuam pedestrem æneam in Rostris ex hujus
„ ordinis sententia statui, circumque eam statuam
„ locum ludis, gladiatoribusque liberos, posteros-
„ que ejus quoquo versus pedes quinque habere,
„ quod is ob rempublicam mortem obierit, eam-
„ que causam in basi inscribi: utique C. Pansa,
„ A. Hirtius, consules, alter ambove, si eis vi-
„ deatur**, quæstoribus urbanis imperent, ut eam
„ basim, statuamque faciendam, & in Rostris sta-
„ tuendam locent: quantique locaverint, tantam
„ pecuniam redemptori solvendam, attribuendam-
„ que curent. Cumque antea senatus auctoritatem
„ suam in virorum fortium funeribus, ornamentis-
„ que

* Vulg. *maximo reip. tempore*. ** Vulg. *videbitur*.

(1) *Lemonia*) Pro, ex Lemonia tribu. Sic enim Pedianus interpretatur illud, *C. Verrem Romilia*: & addit cives omnes Romanos in aliqua tribu censeri solitos; & ab ea interdum indicari. Cujus exstant consuetudinis exempla permulta. Lemonia igitur Sulpicii tribus fuit. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Quas ob res*) Deinde quibus verbis fieri S. C. velit exponit.

„ que ostenderit, placere, eum quam amplissime
„ supremo die suo efferri. Et, cum Serv. Sulpicius, Q. F. Lemonia, Rufus, ita de republica
„ meritus sit, ut his ornamentis decorari debeat,
„ senatum censere, atque de republica existimare,
„ ædiles curules edictum, quod de funeribus habeant, Serv. Sulpicii, Q. F. Lemonia, Rufi,
„ funeri remittere: utique locum sepulcro in campo Esquilino C. Pansa consul, seu quo * in
„ loco videbitur, pedes triginta quoquo versus adsignet, quo Serv. Sulpicius inferatur. Quod sepulcrum ipsius, liberorum, posterorumque ejus
„ esset: uti quod optimo jure publice sepulcrum
„ datum esset.

* Vulg. *quo alio in loco*.



IN

IN M. ANTONIUM PHILIPPICA X.

ARGUMENTUM.

AGit gratias Pansæ, quia literis M. Bruti acceptis, senatum statim vocavit. Queritur cum Caleno, quod utrumque Brutum æque non probare videatur, qui rempublicam defendant; Antonium autem, qui oppugnet, probet idem vel maxime. Commemorat ea, quæ M. Brutus in Græcia gesserat: & ab eo nihil turbulentum, nihil non utile reipublicæ timendum esse confirmat. Suadet, ut, quæ M. Brutus egerit privato consilio, publica auctoritate, ut idem ei tribuatur, quod D. Bruto, & C. Cæsari, comprobentur. Censet etiam, Q. Hortensio, Macedoniæ proconsuli, qui Brutum in comparando exercitu adjuverat, confirmandam esse provinciæ administrationem, quoad ei ex S. C. successum esset. MANUT.

PHILIPPICÆ X. SYNOPSIS.

HÆc Oratio est in genere *Deliberativo*, an confirmanda sint, quæ Brutus egerat; Dividitur autem in tres partes, *Exordium*, *Contentionem*, & *Perorationem*.

Exordium sumitur a laudibus Pansæ Consulis: *Maximas tibi*; & prolixam Orationem excusat: *Sed mihi P. C.*

1. In *Contentione* objurgat Calenum *ab Adjunctis* sentientem ea, quibus nemo assentiebatur: *Qua*

Quæ est enim; & *a Repugnantibus*, quod eos oppugnaret, quorum suum filium similem esse vellet: *Amplissimæ tibi fortunæ*. Primam partem sententiæ Caleni reprehendit, ut insolentem: *Ita enim dixisti*; alteram *ab Adjunctis* personarum Antonii, & Bruti: *Legiones abducis a Bruto*.

2. M. Antonii copias infirmas ostendit, & fratris crudelitatem, & ambitionem insectatur: *Equidem cupio hæc*; Bruti factum tuetur *a Caussis*, quod illud e Rep. fuerat: *At ne Bruto quidem*; & quid ejus literis contineatur, exponit: *Cum septem cohortibus*.

3. *Prolepsi* de Veteranis occurrit, 1. *a Caussa finali*, quod omnes pugnarent pro Rep. *Quasi vero*; 2. *a Comparatione majorum*, nimirum Decimi Bruti: *At enim Veteranis*; 3. ab auctoritate Pansæ Cæsariani Bruto faventis: *An vero, si quid esset*; 4. ostendit hoc esse turpe *ab Adjunctis*, quia libertas agebatur: *Quæ, malum, est ista ratio*.

In *Peroratione Pudorem* excitat *a Comparatione minorum*: *Postremo*. Deinde mortem præferendam esse servituti tribus rationibus probat: *Magna nos quidem spe*. Tertio *Confidentiam* movet: *Concurritur undique*. Quarto Bruti moderationem extollit: *Ad has pestes*. Ultimo concludit: *Cui quidem, P. C., vos idem*.

E X O R D I U M.

I. MAximas (*a*) tibi, Pansa, gratias omnes & habere & agere debemus, qui, cum hodierno die senatum te habiturum non arbitraremur,

A N A L Y S I S.

(*a*) *Maximas*) *Exordium* sumit a laudibus Pansæ Consulis, quod statim retulerit ad Senatum de Bruti literis, & gesta ab ipso Bruto probaverit; sic autem & sibi Consulis *benevolentiam* conciliat, & cæteris ad imitandum proponit exemplum.

mur, ut M. Bruti, præstantissimi civis, literas accepisti, ne minimam quidem moram interposuisti, quin quam primum maximo gaudio & gratulatione frueremur. Cum factum tuum gratum omnibus debet esse, tum vero oratio, qua, recitatis literis, usus es. Declarasti enim, verum esse id, quod ego semper sensi, neminem alterius, qui suæ confideret, virtuti invidere. Itaque mihi, qui plurimis officiis sum cum Bruto & maxima familiaritate conjunctus, minus multa de illo dicenda sunt. Quas enim mihi ipse partes sumpseram, eas præcedit oratio tua.

Sed mihi (*a*), Patres Conscripti, necessitatem attulit paulo plura dicendi sententia ejus, qui rogatus est ante me: a quo ita sæpe dissentio, ut jam verear, ne, id quod minime fieri debet, minuere amicitiam nostram videatur perpetua dissensio.

CONTENTIO.

Quæ est (*b*) enim ista tua ratio, Calene? quæ mens? qui nunquam (*c*) post Kalendas Jan. idem senseris, quod is, qui te sententiam primum rogat? cur nunquam tam frequens senatus fuit, ut unus aliquis tuam sententiam secutus sit? cur semper

per

ANALYSIS.

(a) *Sed mihi*) *Propositio*, qua longam orationem excusat.
(b) *Quæ est*) Calenus senserat, literas Bruti videri recte, & ordine scriptas, sed legiones ab ipso esse obducendas, quas privato consilio occupasset; Cicero primum objurgat Calenum, deinde refutat: objurgat autem sic *ab Adjunctis*:
Turpe est eam sententiam dicere, quam nemo sequatur, & sit Reip. perniciosa;
Sed ea semper censes, quæ nemo probat, quæque sunt Reip. perniciosa;
Ergo maxime hoc tibi turpe est.
(c) *Qui nunquam*) *Assumptionis* prima pars; ne Gener quidem tuus ea probat.

per (a) tui dissimiles defendis? cur, cum te & vita, & fortuna tua ad otium, & ad dignitatem invitet, ea probas, ea decernis, ea sentis, quæ sunt inimica & otio communi, & dignitati tuæ?

II. Nam, ut superiora omittam, hoc certe, quod mihi maximam admirationem movet, non tacebo. Quod est tibi cum Brutis bellum? cur eos, quos omnes pene venerari debemus, solus oppugnas? alterum circumsederi* non moleste fers, alterum tua sententia spolias iis copiis, quas ipse suo labore & periculo ad reipublicæ, non ad suum præsidium, per se, nullo adjuvante, confecit? Quis est iste tuus sensus, quæ cogitatio, Brutos ut non probes, Antonios probes? quos omnes carissimos habent, tu oderis? quos acerbissime cæteri** oderunt, tu constantissime diligas? Amplissimæ (b) tibi fortunæ sunt, summus honoris gradus, filius, ut & audio, & spero, natus ad laudem: cui cum reipublicæ causa faveo, tum etiam tua.

Quæro igitur, eum Bruti ne similem malis, an Antonii? Ac permitto, ut de tribus Antoniis eligas, quem velis. Dii meliora, inquies. Cur igitur non eis faves, quos laudas***, quorum similem filium tuum esse vis? simul enim reipublicæ consules, & propones illi exempla ad imitandum. Hoc vero (c), Q. Fufi, cupio sine offensione nostræ

* Vulg. *circumsideri*. ** Vulg. *omnes*. *** Vulg. *Cur non eos laudas*.

ANALYSIS.

(a) *Cur semper*) Ejusdem secunda pars, & ex eo confirmatur, quod Brutum utrumque pro Rep. pugnantes oppugnaret, Antonios defenderet Reip. hostes.

(b) *Amplissimæ*) Secunda objurgatio est hujusmodi *a Repugnantibus*:

Eum oppugnare non debemus, cujus nos, & nostros esse similes optamus;
Sed Calenus filium suum Bruti magis, quam Antonii similem vellet;
Ergo non debet favere Antonio; Brutum oppugnare.

(c) *Hoc vero*) Præmissa excusatione quadam, primum illud Ca-

nostræ amicitiæ, sic tecum, ut a te dissentiens senator, queri. Ita enim dixisti, & quidem de scripto; nam te inopia verbi lapsum putarem, nisi tuam in dicendo facultatem nossem: Literas Bruti recte & ordine scriptas videri. Quid est aliud librarium Bruti laudare, non Brutum? Usum in republica, Calene, magnum jam habere & debes, & potes. Quando ita decerni vidisti? aut quo senatusconsulto * hujus generis (sunt enim innumerabilia) bene scriptas literas decretum a senatu? Quod verbum tibi non excidit, ut sæpe fit, fortuito: scriptum, meditatum, cogitatum attulisti.

III. Hanc tibi consuetudinem plerisque in rebus bonis obtrectandi si quis detraxerit, quid tibi, quod sibi quisque velit, non relinquetur? Quamobrem collige te, placaque animum istum aliquando, & mitiga: audi viros bonos, quibus uteris multis: loquere cum sapientissimo homine, genero tuo, sæpius, quam ipse tecum: tum denique amplissimi honoris nomen obtinebis. An vero hoc pro nihilo putas (in quo equidem pro amicitia tuam vicem dolere soleo) efferri hæc, foras, & ad populi Romani aures pervenire, ei, qui primus sententiam dixerit, neminem assensum? quod etiam hodie futurum arbitror. Legiones (*a*) abducis a Bruto (1). Quas? (*b*) nempe eas,

* Vulg. *quod senatusconsultum*.

(1) *Legiones abducis a Bruto*) Quia sine S. C. eas comparasset. *Manut.*

A N A L Y S I S.

Caleni de literis reprehendit, tum quia per se turpe erat, tum quia nunquam alias tale S. C. factum fuerat; hortaturque adversarium, ut mentem ad consilia meliora traducat.

(a) *Legiones*) Alterum de legionibus a Bruto abducendis, *ab Adjunctis* personarum hac ratione confutat:

Ab eo non debemus abducere exercitum impio civi ereptum, qui de libertate bene meritus, & vir est moderatus;
Sed talis est Brutus, & exercitum extorsit Antonio impio civi;
Ergo non est a Bruto abducendus exercitus.

(b) *Quas?*) Quomodo exercitum comparaverit; tertia pars *Assumptionis*.

quas ille a C. Antonii ſcelere avertit, & ad rempublicam ſua auctoritate traduxit. Rurſus igitur vis nudatum illum atque ſolum a republica relegatum videri.

Vos autem (*a*), Patres Conſcripti, ſi M. Brutum deſerueritis & prodideritis, quem tandem civem unquam ornabitis? cui favebitis? * niſi forte eos, qui diadema impoſuerint, conſervandos, eos, qui regni nomen ſuſtulerint, deſerendos putatis. Ac de hac quidem divina atque immortali laude M. Bruti ſilebo: quæ, gratiſſima memoria omnium civium incluſa, nondum publica auctoritate teſtata eſt. Tantamne (*b*) patientiam, dii boni! tantam moderationem, tantam in injuria tranquillitatem & modeſtiam? qui cum prætor urbanus eſſet, urbe caruit, jus non dixit, cum omne jus populi Romani recuperaſſet: cumque concurſu quotidiano bonorum omnium, qui admirabilis ad eum fieri ſolebat, præſidioque Italiæ cunctæ ſeptus poſſet eſſe, abſens judicio bonorum defenſus eſſe maluit, quam præſens manu: qui ne Apollinares quidem ludos (1), pro ſua populique Romani dignitate apparatos, præſens fecit, ne quam viam pateſaceret ſceleratiſſimorum hominum audaciæ.

IV. Quanquam, qui unquam aut ludi, aut dies lætiores fuerunt, quam cum ** in ſingulis verſibus populus Romanus maximo clamore & plauſu Bruti memoriam proſequebatur? Corpus aberat libera-

* in vulg. deeſt *cui favebitis*. ** vulg. *quam tum*?

(1) *Apollinares quidem ludos*) Qui ad curam prætoris urbani pertinebant. Philipp. II. cap. 13. *Idem*.

A N A L Y S I S.

(a) *Vos autem*) Prima pars de meritis Bruti in recuperanda libertate, quam illuſtrat *a Contrariis*, exemplo diſſimili Antoniorum.

(b) *Tantamne*) Bruti ejuſdem moderatio, amplificata *ab Adjunctis* eorum, quæ ille fecit Cæſare interfecto; ut oſtendat Brutum cum Senatu quietem, & arma probaſſe.

beratoris, libertatis memoria aderat, in qua Bruti imago cerni videbatur. At hunc his ipsis ludorum diebus videbam in insula clarissimi adolescentis, Luculli, propinqui sui, nihil nisi de pace & concordia civium cogitantem. Eundem vidi postea Veliæ, cedentem Italia, ne qua oriretur belli civilis causa propter se. O spectaculum illud non modo hominibus, sed undis ipsis & litoribus luctuosum, cedere e patria servatorem ejus, manere in patria perditores! Cassii * classis paucis post diebus consequebatur: ut me puderet, Patres Conscripti, in eam urbem redire, ex qua illi abirent. Sed, quo consilio redierim, initio audistis, post estis experti. Expectatum igitur tempus a Bruto est. Nam quoad vos omnia pati vidit, usus est ipse incredibili patientia. Posteaquam vos ad libertatem sensit erectos, præsidia vestræ libertati paravit. At cui pesti (*a*), quantæque restitit? Si enim C. Antonius, quod animo intenderat, perficere potuisset, (potuisset autem, nisi ejus sceleri virtus M. Bruti obstitisset) Macedoniam, Illyricum, Græciam perdidissemus. Esset vel receptaculum pulso Antonio, vel agger oppugnandæ Italiæ Græcia: quæ quidem nunc M. Bruti imperio, auctoritate, copiis non instructa solum, sed etiam ornata, tendit dexteram Italiæ, suumque ei præsidium pollicetur. Quare qui ab illo abducit exercitum, & respectum pulcherrimum, & præsidium firmissimum adimit reipublicæ. Equidem (*b*) cupio, hæc quamprimum Antonium audire, ut intelligat, non D. Brutum, quem vallo circumsedet **, sed seipsum obsideri.

* vulg. *Cassius lapsis paucis*. ** vulg. *circumsidet*.

ANALYSIS.

(a) *At cui pesti*) Mentem C. Antonii sceleratam attingit, quod erat ultimum membrum, statimque subjicit *Complexionem*.

(b) *Equidem*) M. Antonii res infirmas esse ostendit, ut *Confidentes* Patres faciat, ex Arist. l. 2. c. 5. tex. 59., Bruti deinde laudat celeritatem cum insectatione C. Antonii.

V. Tria tenet oppida toto in orbe terrarum (1): habet inimicissimam Galliam: eos etiam, quibus confidebat, alienissimos Transpadanos: Italia omnis infesta est: exteræ nationes a prima ora Græciæ usque ad Ægyptum, optimorum & fortissimorum civium imperiis & præsidiis tenentur. Erat ei spes* una in C. Antonio, qui duorum fratrum ætatibus medius interjectus, vitiis cum utroque certabat: qui, tanquam extruderetur a senatu in Macedoniam, & non contra prohiberetur proficisci, ita cucurrit.

Quæ tempestas, dii immortales! quæ flamma, quæ vastitas, quæ pestis Græciæ fuisset, nisi incredibilis ac divina virtus (2) furentis hominis conatum atque audaciam compressisset? Quæ celeritas illa Bruti? quæ cura? quæ virtus? Etsi ne C. quidem Antonii celeritas contemnenda est: quem nisi in via caducæ (3) hereditates retardassent, volasse eum, non iter fecisse diceres. Alios ad negotium (4) publicum ire cum cupimus, vix solemus extrudere: hunc retinentes exclusimus. At quid ei (*a*) cum Apollonia (5)? quid

* vulg. *ei specula in C.*

(1) *Tria tenet oppida toto in orbe terrarum*) Tenebat Bononiam, Regium Lepidi, Parmam. Id cognoscitur ex ep. ad Cassium, *Fam.* XII. 5. *Manut.*

(2) *Ac divina virtus*) Vulg. addit *Cæsaris*, sed perperam. Siquidem his verbis Brutum describit non Cæsarem, cui non cum C. Antonio, sed cum Marco negotium erat. *Ferrar.*

(3) *Caducæ*) Quas occupavit, tanquam ad eum pertinerent. Caducæ autem hereditates dicebantur, cum heres non exstabat. Quod cum accideret, ad fiscum devolvebantur. *Idem.*

(4) *Alios ad negotium.*) Sensus est: Alii, quos volumus cito ire in provinciam, quas possunt moras interponunt: ille ita festinavit, quasi vi, aut precibus coactus. *Ferr.*

(5) *Apollonia*) Et Apollonia, & Dyrrhachium erant in Macedonia, quam regebat Q. Hortensius. Illyrico autem Vatinius præerat. *Manutius.*

A N A L Y S I S.

(*a*) *At quid ei*) Cujus ambitionem detestatur, occupare cupientem non solum Macedoniam, sed loca etiam finitima; cum tamen eadem illa invasisset Brutus privato consilio, hoc eum argumento defendit *a Causis*:

Omnes legiones, & copiæ Reip. sunt;

Sed

quid cum Dyrrachio? quid cum Illyrico? quid cum P. Vatinii imperatoris exercitu? Succedebat, ut ipse dicebat, Hortensio. Certi fines Macedoniæ, certa conditio, certus, si modo erat ullus (1), exercitus. Cum Illyrico vero, & cum Vatinii legionibus quid erat Antonio? At ne Bruto quidem. Id enim fortasse quispiam improbus dixerit. Omnes legiones, omnes copiæ, quæ ubique sunt, reipublicæ sunt. Neque hæ legiones, quæ M. Antonium reliquerunt, Antonii potius, quam reipublicæ fuisse dicentur. Omne enim (*a*) exercitus, & imperii jus amittit is, qui eo imperio & exercitu rempublicam oppugnat.

VI. Quod si ipsa respublica judicaret, aut si omne jus decretis ejus statueretur, Antonio ne, an Bruto legiones populi Romani adjudicaret? Alter advolarat (*b*) subito ad direptionem pestemque sociorum, ut quacunque iret, omnia vastaret, diriperet, auferret, exercitu populi Romani contra ipsum populum Romanum uteretur: alter eam sibi legem statuerat, ut quocunque venisset, lux venisse quædam & spes salutis videretur. Denique alter ad evertendam rempublicam præsidia quærebat, alter ad conservandam. Nec vero (*c*) nos hoc magis videbamus, quam ipsi milites, a quibus tanta in judicando prudentia non erat postulanda.

Cum septem (*d*) cohortibus esse Apolloniæ

 scri-

* vulg. *Neque enim legiones*.

(1) *Certus, si modo erat ullus*) Vide P. Victorii Var. Lect. XV. 12.

ANALYSIS.

Sed Resp. vult illas esse in potestate Bruti potius, quam Antonii; Ergo jure Brutus illas ad se copias transtulit.

(a) *Omne enim*) Propositionis approbatio; quamvis enim Resp. jus omne tribuat Magistratibus in exercitus, & provincias, tamen, si se improbe gerant, jus illud rursus ad Remp. delabitur.

(b) *Alter advolarat*) *Assumptio* approbata per utriusque *Comparationem*.

(c) *Nec vero*) Et ipsorum militum testimonio.

(d) *Cum septem*) Quod literis Bruti continebatur, exponit, & laudat.

ſcribit (1) Antonium: qui jam aut captus eſt, (quod dii dent) aut certe homo verecundus in Macedoniam non accedit, ne contra ſenatusconſultum feciſſe videatur. Delectus habitus in Macedonia eſt ſummo Q. Hortenſii ſtudio & induſtria: cujus animum egregium dignumque & ipſo, & majoribus ejus, ex Bruti literis perſpicere potuiſtis. Legio, quam L. Piſo ducebat, legatus Antonii, Ciceroni ſe filio meo (2) tradidit. Equitatus, qui in Syriam ducebatur bipartito, alter eum quæſtorem *, a quo ducebatur, reliquit in Theſſalia, ſeſeque ad Brutum contulit: alterum in Macedonia Cn. Domitius adoleſcens ſumma virtute, gravitate, conſtantia, ab legato Syriaco abduxit. P. autem Vatinius, qui & antea jure laudatus a nobis, & hoc tempore merito laudandus eſt, aperuit Dyrrhachii portas Bruto, & exercitum tradidit. Tenet igitur populus Romanus Macedoniam, tenet Illyricum, tuetur Græciam: noſtræ ſunt legiones, noſtra levis armatura, noſter equitatus, maximeque noſter eſt Brutus, ſemperque noſter, cum ſua excellentiſſima virtute reipublicæ natus, tum fato quodam paterni, maternique generis (3), & nominis.

VII. Ab hoc (*a*) igitur viro ** quiſquam bellum

* in vulg. deeſt *quæſtorem*. ** in vulg. deeſt *viro*.

(1) *Cum ſeptem cohortibus eſſe Apolloniæ ſcribit*) Ita Muretus. Vulgo, *cum ſeptem cohortibus iſſe Apolloniam*, &c.

(2) *Filio meo*) Quem Brutus Athenis ſecum abduxit, eoque legato uſus eſt. Plutarchus in Bruto. *Manut.*

(3) *Paterni, maternique generis*) Paterni, a L. Bruto, qui reges ejecit: materni, a Servilio Ahala, qui regnum appetentem Sp. Melium ſua manu interfecit. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Ab hoc*) Deinde repetit argumentum, quod ſupra habetur *ab Adjunctis* perſonæ:

Ab eo non eſt bellum timendum, qui vir eſt moderatus;
Sed ſumma eſt Bruti moderatio;
Ergo a Bruto non eſt bellum timendum.

Duplici autem ex capite probat illius moderationem, tum quia timidus videri maluit, quam parum moderatus, tum quia non prius arma ſumpſit, quam ea ſumpta etiam a Senatu intellexit.

lum timet, qui, antequam nos id coacti suscepimus, in pace jacere (1), quam in bello vigere, maluit? Quanquam ille quidem nunquam jacuit, nec hoc cadere verbum in tantam virtutis præstantiam potest: erat enim in desiderio civitatis, in ore, in sermone omnium. Tantum autem aberat a bello, ut, cum cupiditate libertatis Italia arderet, defuerit civium studiis potius, quam eos in armorum discrimen adduceret. Itaque illi ipsi, si qui sunt, qui tarditatem Bruti reprehendant, tamen iidem moderationem patientiamque mirantur.

Sed jam video (*a*), quid loquantur. Neque enim id occulte faciunt. Timere se dicunt, quomodo ferant veterani, exercitum Brutum habere. Quasi vero quidquam intersit inter A. Hirtii, C. Pansæ, D. Bruti, C. Cæsaris, & hunc exercitum M. Bruti. Nam si quatuor exercitus ii, de quibus dixi, propterea laudantur, quod pro populi Romani libertate arma ceperunt, quid est, cur hic M. Bruti exercitus non in eadem causa ponatur?

At enim (*b*) veteranis suspectum est nomen M. Bruti. Magisne, quam Decimi? Equidem non (*c*) arbitror. Etsi enim Brutorum com-

 mune

(1) *In pace jacere*) Cum Antii, Lanuvii, Veliæ moraretur. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Sed jam video*) Sequitur *Prolepsis* quædam de Veteranis, cui multis rationibus occurrit; in primis quidem sic *a Causa finali*:

Ii non sunt sibi invicem suspecti, qui unum & idem volunt;
Sed omnes exercitus, qui pugnant contra Antonium, pro libertate arma ceperunt;
Ergo non possunt esse sibi invicem suspecti.

(b) *At enim*) Secundo *a Comparatione minorum*, hoc modo:

Si nomen alicujus suspectum esset Veteranis, ille maxime esset Decimus;
Sed Decimi Bruti nomen non est suspectum Veteranis;
Ergo multo minus M. Bruti.

(c) *Equidem non*) *Propositionis* approbatio; magis enim irati

mune factum, & laudis societas æqua, D. tamen Bruto iratiores erant ii, qui id factum dolebant, quo minus ab illo rem illam dicebant fieri decuisse (1). Quid ergo (*a*) nunc agunt tot exercitus, nisi ut obsidione D. Brutus liberetur? Qui autem hos exercitus ducunt? Hi credo (2), qui C. Cæsaris res actas everti, qui causam veteranorum prodi (3) volunt.

VIII. Si ipse viveret C. Cæsar, acrius credo, acta sua defenderet, quam vir fortissimus defendit Hirtius: aut amicior causæ quisquam potest inveniri, quam filius? At horum alter, nondum ex longinquitate gravissimi morbi recreatus, quidquid habuit virium, id in eorum libertatem defendendam contulit, quorum votis judicavit se a morte revocatum: alter virtutis robore firmior, quam ætatis, cum istis ipsis veteranis ad D. Brutum liberandum profectus est. Igitur illi certissimi, iidemque acerrimi Cæsaris actorum patroni pro D. Bruti salute bellum gerunt, quos veterani sequuntur. De libertate enim populi Romani, non de suis commodis, armis decernendum vident. Quid est igitur (*b*), cur iis, qui D. Brutum omnibus opibus conservatum velint, M. Bruti sit suspectus exercitus?

An

(1) *Quo minus ab illo rem illam dicebant fieri debuisse*) Inire Decimum consilia de Cæsaris nece eo minus dicebant debuisse, quia Cæsar in eum summa beneficia contulisset, quem etiam scripsit in secundis heredibus. Suetonius. *Idem*.

(2) *Hi credo*) Minime ii quidem, qui acta Cæsaris everti velint: quæ M. Antonius, quantum in ipso fuit, suis legibus evertit. *Idem*.

(3) *Causam veteranorum prodi*) Spem fallere veteranorum, qui confirmationem agrorum, quos eis Cæsar pater assignaverat, a senatu expectabant. *Idem*.

A N A L Y S I S.

irati erant Veterani Decimo, qui tot a Cæsare beneficia acceperat, quam Marco, qui fuerat inimicus.

(a) *Quid ergo*) *Assumptio* approbata *ab Effectis*; nam pro ipso Decimo pugnabant, & quidem sponte, quippe ducibus Hirtio, & Cæsare; amplificatio est *ab Adjunctis*.

(b) *Quid est igitur*) *Complexio*.

An vero (a), si quid esset, quod a M. Bruto timendum videretur, Pansa id non videret? aut, si videret, non laboraret? Quis aut (b) sapientior ad conjecturam rerum futurarum, aut ad propulsandum metum diligentior? Atqui hujus (c) animum erga M. Brutum, studiumque vidistis. Præcepit oratione sua, quid decernere nos de Bruto, quid sentire oporteret: tantumque abfuit, ut periculosum reipublicæ M. Bruti putaret exercitum, ut in eo firmissimum reipublicæ præsidium & gravissimum poneret. Scilicet (d) hoc * Pansa aut non videt, (hebeti enim ingenio est) aut negligit. Quæ enim Cæsar egit, ea rata esse non curat: de quibus confirmandis & sanciendis legem comitiis centuriatis ex auctoritate nostra laturus est (1).

IX. Desinant (e) igitur, aut ii, qui non timent, simulare se timere, & prospicere reipublicæ, aut ii, qui omnia verentur, nimium esse timidi, ne illorum simulatio, horum obsit ignavia. Quæ (malum!) (f) est ista ratio, semper optimis

(*) Vulg. *hæc*.

(1) *Laturus est*) Ex S. C. quod factum fuerat in æde Telluris biduo post Cæsaris mortem, de illius actis confirmandis. *Ferr.*

A N A L Y S I S.

(a) *An vero*) Tertio utitur Pansæ Consulis auctoritate;

Si quid timendum esset a M. Bruto, id maxime Pansa videret, & timeret;

Sed nihil timendum videt Pansa, nihilque ipse timet;

Ergo nihil omnino timendum est a M. Bruto.

(b) *Quis aut*) *Propositionem*, quæ præcedit, confirmat a Consulis sapientia, & diligentia.

(c) *Atqui hujus*) *Assumptio*.

(d) *Scilicet*) Repetit approbationem *Propositionis*; videret quippe sapientissimus, & ipse maxime timeret, quippe Cæsaris acerrimus defensor.

(e) *Desinant*) *Complexio* cum increpatione eorum, qui se timere simulabant.

(f) *Quæ, (malum!)*) Quarto, non ideo M. Brutum deserendum esse probat, licet suspectus esset Veteranis, hac ratione ab *Adjunctis*:

Veteranorum nomen nos deterrere non debet a recuperanda libertate;

Sed

mis caussis veteranorum nomen opponere? quorum etiam si amplecterer virtutem, ut facio, tamen, si essent arrogantes, non possem ferre fastidium. An nos conantes servitutis vincula rumpere, impediet, si quis veteranos id nolle dixerit? non sunt enim, credo, innumerabiles, qui pro communi libertate arma capiant: nemo est præter veteranos milites vir, qui ad servitutem propulsandam ingenuo dolore excitetur. Potest igitur stare respublica, freta veteranis, sine magno subsidio juventutis? quos quidem vos libertatis adjutores complecti debetis, servitutis auctores sequi non debetis.

P E R O R A T I O.

Postremo (*a*) (erumpat enim aliquando vera, & me digna vox) si veteranorum nutu mentes hujus ordinis gubernantur, omniaque ad eorum voluntatem nostra dicta facta referuntur, optanda mors est, quæ civibus Romanis semper fuit servitute potior. Omnis est misera servitus: sed fuerit quædam necessaria: ecquodnam principium putatis* libertatis capessendæ? An, cum illum (*b*) necessarium & fatalem pene casum non tulerimus, hunc fe-

* Vulg. *principium fuerit libertatis*.

A N A L Y S I S.

Sed nunc nostra agitur libertas;
Ergo ne Veteranos quidem timere deberemus, si prave sentirent.

Interrogando profert *Complexionem*, subjicit deinde *Propositionis* approbationem; quia & alii multi aderant pugnaturi pro libertate.

(a) *Postremo*) In *Peroratione* movet in primis *Affectus*, deinde concludit; quoad primum, sic *Pudorem* excitat *a Comparatione minorum*:

Turpius est Veteranis, quam Cæsari, sponte, quam necessario servire;
Sed necessariam sub Cæsare servitutem pati non potuimus;
Ergo hanc voluntariam sub Veteranis multo minus pati debemus.

(b) *An, cum illum*) *Assumptio* cum *Complexione* conjuncta; *Propositio* enim ipsa præcedit.

feremus voluntarium? Tota Italia (*a*) desiderio libertatis exarsit: servire diutius non potest civitas: serius populo Romano hunc vestitum atque arma dedimus, quam ab eo flagitati sumus.

X. Magna nos (*b*) quidem spe, & prope explorata, libertatis causam suscepimus. Sed, ut concedam incertos exitus esse belli, Martemque communem, tamen pro libertate, vitæ periculo decertandum * est. Non enim in spiritu vita est, sed ea nulla est omnino servienti. Omnes nationes (*c*) servitutem ferre possunt, nostra civitas non potest: nec ullam aliam ob causam, nisi quod illæ laborem, doloremque fugiunt, quibus ut careant, omnia perpeti possunt: nos ita a majoribus instituti atque imbuti sumus, ut omnia consilia atque facta ad dignitatem & virtutem referamus **. Ita præclara est recuperatio libertatis, ut ne mors quidem sit in repetenda libertate fugienda. Quod si (*d*) immortalitas (1) consequeretur præsentis periculi fugam, tamen eo magis ea fugienda videretur, quo diuturnior servitus esset. Cum vero dies &

* Vulg. *decernendum*. ** Vulg. *referremus*.

(1) *Quod si immortalitas*) Homerica sententia: quam erudite, ut solet, tractavit Victorius cap. 11. lib. xv. *Muretus*. Vide Mureti ipsius Var. Lect. XVI. 17. Constat, inquit, Homericam eam esse sententiam: sed finem illius summo artificio ab eloquentissimo viro immutatum, & in contrariam partem inflexum παρὰ προσδοκίαν.

A N A L Y S I S.

(a) *Tota Italia*) Probat voluntariam fore hoc tempore servitutem; cum omnes ad recuperandam libertatem conspiraverint.

(b) *Magna nos*) Mortem præoptandam esse servituti, probat 1. *a Caussis*, quia in servitute nulla est vita.

(c) *Omnes nationes*) 2. *A Dissimili*; quia cæteræ nationes possunt servitutem pati; ergo Romani debent præponere mortem servituti.

(d) *Quod si*) 3. *A Comparatione majorum* hoc modo:

Si hoc evitato periculo, vita nostra futura esset immortalis; tamen adhuc mors esset præferenda servituti;
Sed per breve tempus nunc mortem effugimus;
Ergo satius est pro libertate patriæ spiritum reddere, quam naturæ.

Propositio pulcherrima sententia confirmatur.

& noctes omnia nos undique fata circumstent, non est viri, minimeque Romani, dubitare, eum spiritum, quem naturæ debeat, patriæ reddere.

Concurritur (*a*) undique ad commune incendium restinguendum; veteranique * primi Cæsaris auctoritatem secuti, conatum Antonii repulerunt: post ejusdem furorem Martia legio fregit: quarta afflixit. Sic a suis legionibus condemnatus, irrupit in Galliam, quam sibi armis, animisque infestam inimicamque cognovit. Hunc A. Hirtii, C. Cæsaris exercitus insecuti sunt: post Pansæ delectus urbem, totamque Italiam erexit. Unus omnium est hostis. Quanquam habet secum L. fratrem, carissimum populo Romano civem, cujus desiderium civitas ferre diutius non potest. Quid illa tetrius bellua? quid immanius? qui ob eam causam natus videtur, ne omnium mortalium turpissimus esset M. Antonius. Est una Trebellius, qui jam cum tabulis novis redit in gratiam: T. Plancus, cæteri pares; qui id pugnant, id agunt, ut contra rempublicam restituti esse videantur: sollicitant homines imperitos Saxæ & Caphones, ipsi rustici atque agrestes, qui hanc rempublicam nec viderunt unquam, nec videre constitutam volunt: qui non Cæsaris, sed Antonii acta defendunt: quos avertit agri Campani infinita possessio: cujus eos non pudere demiror, cum videant, se mimos & mimas habere vicinos.

XI. Ad has pestes (*b*) opprimendas **, cur moleste feramus, quod M. Bruti accessit exercitus? Immode-

* Vict. *veterani quidem primi*,
** Vict. Man. Grut. *quid est*, *cur*.

ANALYSIS.

(a) *Concurritur*) Ut Patres *Confidentes* faciat, Senatus copias extollit, Antonii esse infirmas ostendit; Arist. l. 2. c. 5. t. 56. & 59.

(b) *Ad has pestes*) Nihil esse timendum a Bruto ostendit, argumento sumpto ab illius moderatione, ut supra.

derati, credo, hominis, & turbulenti. Videte, ne nimium pene patientis. Etsi in illius viri consiliis, atque factis, nihil nec nimium, nec parum fuit unquam. Omnis voluntas M. Bruti, Patres Conscripti, omnis cogitatio, tota mens, auctoritatem senatus, libertatem populi Romani intuetur: hæc habet proposita, hæc tueri vult. Tentavit, quid patientia proficere posset. Nihil cum proficeret, vi contra vim experiendum putavit. Cui quidem (*a*), Patres Conscripti, vos idem tribuere hoc tempore debetis, quod a d. XIII. Kal. Jan. D. Bruto & C. Cæsari, me auctore, tribuistis: quorum privatum de republica consilium & factum auctoritate vestra est comprobatum, atque laudatum. Quod idem in M. Bruto facere debetis, a quo insperatum & repentinum reipublicæ præsidium legionum, equitatus, auxiliorum magnæ & firmæ copiæ comparatæ sunt: adjungendusque est Q. Hortensius, qui cum Macedoniam obtineret, adjutorem se Bruto ad comparandum exercitum, fidissimum & constantissimum præbuit. Nam de M. Apulejo separatim censeo referendum: cui testis est per literas M. Brutus, eum principem fuisse ad conatum exercitus comparandi.

Quæ cum ita sint: quod C. Pansa, consul, verba fecit de literis, quæ a Q. Cæpione Bruto, proconsule, allatæ, & * in hoc ordine recitatæ sunt, de ea re ita censeo: „ CUM Q. Cæpionis „ Bruti proconsulis opera, consilio, industria, & „ virtute, difficillimo reipublicæ tempore, provin„ cia Macedonia, Illyricum, cuncta Græcia, le„ giones, exercitus, equitatus, in consulum, se„ natus, populique Romani potestate sint, id Q. „ Cæ-

* Iidem. *huic ordini.*

ANALYSIS.

(a) *Cui quidem*) *Conclusio* hujus Orationis, cui suam addit sententiam; quibus nimirum verbis fieri velit S. C. de M. Bruto.

" Cæpionem Brutum, proconsulem, bene, & e " republica, & pro sua, majorumque suorum di- " gnitate, consuetudineque reipublicæ bene geren- " dæ fecisse, eamque rem senatui, populoque Ro- " mano gratam esse, & fore: utique Q. Cæpio " Brutus, proconsul, provinciam Macedoniam, Il- " lyricum, totamque Græciam tueatur, defendat, " custodiat, incolumemque conservet; eique exer- " citui, quem ipse constituit, comparavit, præsit; " pecuniaque ad rem militarem, si qua opus sit, " quæ publica sit, & exigi possit, utatur, exigat; " pecuniasque a quibus videatur, ad rem milita- " rem mutuas sumat, frumentum imperet, ope- " ramque det, ut cum suis copiis quam proxime " Italiam sit. Cumque ex literis Q. Cæpionis " Bruti, proconsulis, intellectum sit, Q. Horten- " sii proconsulis opera & virtute vehementer rem- " publicam adjutam, omniaque ejus consilia cum " consiliis Q. Cæpionis Bruti, proconsulis, con- " juncta fuisse, eamque rem magno usui reipubli- " cæ fuisse, Q. Hortensium proconsulem recte, & " ordine, exque republica fecisse; senatuique pla- " cere, Q. Hortensium, proconsulem, cum quæ- " storibus, prove quæstoribus, & legatis suis pro- " vinciam Macedoniam obtinere, quoad ei ex S. " C. successum sit.

IN

M. ANTONIUM

PHILIPPICA XI.

ARGUMENTUM.

OBtinente Asiam provinciam C. Trebonio, decretam a senatu post Cæsaris interitum, Dolabella in Syriam, Antonii sibi lege traditam, proficiscens, cum Trebonio familiarissime collocutus, eumque summæ benevolentiæ simulatione complexus, incautum Smyrnæ oppressit atque interfecit, & Asiam universam occupavit. Hoc nuntio Romam perlato, senatus hostem Dolabellam judicavit, belloque persequendum censuit: sed cum ejus belli cura non satis constaret cui mandanda videretur, cum alii aliter sentirent, Cicero deplorata prius Trebonii morte imperatorem omnino C. Cassium, qui Dolabellam terra marique persequeretur, esse deligendum censuit. In quam sententiam ut S. C. esse factum existimem, his Velleii verbis adducor: Bruto Cassioque provinciæ, quas jam ipsi sine S. C. occupaverant, decretæ. MANUTIUS.

In alia omnia itum est, idque aperte colligitur ex epist. 7. lib. XII. *ad Cassium:* Quæ mea sententia in senatu facile valuisset, nisi Pansa vehementer obstitisset. *Eodem die senatusconsultum in Q. Fufii sententiam factum est, ut consules Asiam sortirentur, & bellum inferrent Dolabellæ. Sic enim scribebat* Fam. *XII.* 14. *P. Lentulus* IV. *Kal. Junias:* Quoniam consulibus decreta est Asia, & permissum est iis, ut, dum ipsi venirent, darent negotium. *Ex hac epistola colligo, Senatum nihil decre-*

crevisse de Cassio imperatore deligendo, sed neque de revocando ex Syria, quem in eam provinciam privato consilio profectum fuisse omnes noverant. Victo ad Mutinam M. Antonio, absumptisque eo prælio consulibus, quibus bellum adversus Dolabellam mandatum fuerat, tunc primum res illa delata est ad C. Cassium. Epist. 5. ad Brutum. FERRATIUS.

PHILIPPICÆ XI. SYNOPSIS.

GEnus est *Deliberativum*, an Cassius eligendus sit Imperator contra Dolabellam; Partes quatuor, *Exordium*, *Narratio*, *Confutatio*, *Contentio*.

In *Exordio* inflammat Patres ad bellum fortiter gerendum ob hostium crudelitatem Antonii, & Dolabellæ: *Magno in dolore*.

Narrat Trebonii mortem: *In Galliam invasit*; movetque *Misericordiam*, & *Odium*: *Ponite igitur*. Per utrinsque *Comparationem*, miseriorem probat esse Dolabellam, quam Trebonium: *O multo miserior*; ostendit *a Comparatione minorum* magis cavendum esse ab Antonio, quippe potentiori, quam Dolabella: *A quo admoniti*; hinc laudat Calenum, qui primus hesterno die judicaverat hostem Dolabellam: *Quapropter ut*.

Refutat sententiam, quæ decernebat illud bellum P. Servilio extra ordinem, *ab Adjunctis*, quod esset id turpe Senatui: *Nam extraordinarium imperium*; & occurrit *Prolepsi* de C. Cæsare *a Congruo* ob necessitatem: *At enim*.

Alteram etiam refutat decernentem eas provincias Consulibus, probatque *ab Adjunctis* eam esse turpem, cum foret Italia in maximo periculo: *Cum Consul designatus*, idque multis rationibus confirmat. Deinde ostendit eam quoque fore inutilem, quia tarditatem afferret bello: *Quid si etiam*.

In

In *Contentione* probat eligendum esse vel Brutum, vel Cassium: *Expedito nobis*; Brutum excludit, quod illius præsidium requirant Italia, & Græcia: *Decernerem plane*; utrumque laudat a rebus gestis: *Nam Brutus, & Cassius*; Cassii consilium in occupanda Syria *a Causis* defendit, quod id esset salutare Reip.: *Qua lege? quo jure?* Quod S. C. fieri velit, exponit: *Sed, ut ea vestra*; Patres *Confidentes* facit: *Hoc S. C. ardentem*; & *Prolepsi* de Bruti, & Cassii nimia potentia occurrit *a Pari*, & *a Contrariis*: *Animadverti, P. C.* Alteri vero *prolepsi* de veteranis *a Distributione*, cum increpatione Senatus: *Vide, inquit.*

EXORDIUM.

I. MAgno in (*a*) dolore (1), Patres Conscripti, vel mœrore potius, quem ex crudeli & miserabili morte C. Trebonii, optimi civis, moderatissimique hominis, accepimus, inest tamen aliquid, quod reipublicæ profuturum putem. Perspeximus (*b*) enim, quanta in iis, qui contra patriam scelerata arma ceperunt, inesset immanitas. Nam duo hæc capita nata sunt post homines natos teterrima & spurcissima, Dolabella & An-

(1) *Magno in dolore*) Licet aliquando præceperit, deliberativis orationibus principia esse debere sæpe nulla, tamen hac in causa censuit exordium prætexendum, ad animos auditorum inflammandos odio in Antonium & Dolabellam, exaggerato scelere alterius, cum deploratione mortis C. Trebonii. *Fronto Ducæus.*

ANALISIS.

(a) *Magno in*) Ex morte Trebonii sumit argumentum inflammandi Patres ad bellum contra Antonium, & Dolabellam, hac ratione:

A crudelissimis hostibus quam diligentissime cavere debemus;
Sed Dolabella, & Antonius crudelissimi hostes sunt;
Ergo summa diligentia, & constantia ab iis cavere debemus.

(b) *Perspeximus*) *Assumptionis* approbatio *ab Effectis*; crudeliter enim interfecto Trebonio, ostenderat Dolabella, & quam ipse immanis esset, & quam immania cogitaret Antonius.

Antonius: quorum alter effecit, quod optabat (1): de altero patefactum est, quid cogitaret. L. Cinna (a) crudelis: C. Marius in iracundia perseverans: L. Sylla vehemens: neque ullius horum in ulciscendo acerbitas progressa ultra mortem est (2). Quæ tamen pœna in cives nimis crudelis putabatur. Ecce tibi geminum in scelere par (3), inusitatum, inauditum (4), ferum, barbarum. Itaque quorum summum quoddam * inter ipsos odium bellumque meministis, eosdem postea singulari inter se consensu & amore devinxit impurissimæ naturæ & turpissimæ vitæ similitudo. Ergo id, quod fecit Dolabella, in quo potuit, multis idem minatur Antonius. Sed ille cum procul esset a consulibus exercitibusque nostris, nec dum senatum cum populo Romano conspirasse sensisset, fretus Antonii copiis, ea scelera suscepit, quæ Romæ

* Vulg. *quondam*.

(1) *Alter effecit, quod optabat*) Dolabella Asiam occupavit, quod maxime optabat efficere. *De altero patefactum est, quid cogitaret*. Patefacta sunt Antonii consilia invadendæ contra senatus voluntatem atque auctoritatem Galliæ. *Idem*.

(2) *Neque ullius horum in ulciscendo acerbitas progressa ultra mortem est*) In contentione facinorum satis est oratori, si id quod exaggerat, in aliqua parte gravius esse demonstret. Nam ea pars sola ostenditur. Strages in civilibus bellis editæ, ut numero, & aliis pluribus adjunctis hanc superant sane; hac tamen parte superantur, quod ultra mortem progressæ non sunt. Truculentior multo Dolabella. Quod exponitur, *cap.* 2. Idem.

(3) *Ecce tibi geminum in scelere par*) In hoc vocabulo *par*, quod proprie de gladiatoribus dicitur, vis est quædam præcipua ad horum hominum, Dolabellæ atque Antonii, exprimendam immanitatem, & odium adversus eos concitandum. *Idem*.

(4) *Par, inusitatum, inauditum*) Dicat mihi, qui Latine doctus est, quid sit *homo inusitatus*. Nihil certius est quam legendum esse *invisitatus*, cujus vocabuli vim cum non intelligerent librarii, in multis locis id in *inusitatus* converterunt, ut jamdudum viri docti animadverterunt, qui ex antiquissimis codicibus in usum & lucem id revocarunt, & ipse ad Justini lib. XVIII., cap. 1. notavi. *Grævius*.

A N A L Y S I S.

(a) *L. Cinna*) Eamdem *Assumptionem* amplificat *a Comparatione minorum*; probatque non minora ausurum Antonium, tum a similitudine morum utriusque, tum quod ea fecerat Dolabella, ratus eadem Romæ admissa ab Antonio.

mæ jam suscepta arbitrabatur a socio furoris sui. Quid ergo hunc aliud moliri, quid optare, censetis, aut quam omnino causam esse belli? Omnes, qui libere de republica sensimus, qui dignas nobis sententias diximus, qui populum Romanum liberum esse voluimus, statuit ille quidem non inimicos, sed hostes (1): majora tamen in nos, quam in hostem, supplicia meditatur: mortem naturæ pœnam putat esse, iracundiæ tormenta atque cruciatum (2). Qualis igitur (*a*) hostis habendus est is, a quo victore si cruciatus absit, mors in beneficii parte numeretur?

II. Quamobrem (*b*), Patres Conscripti, quanquam hortatore non egetis (ipsi enim vestra sponte exarsistis ad libertatis recuperandæ cupiditatem) tamen eo majore animo studioque libertatem defendite, quo majora proposita victis supplicia servitutis videtis. In Galliam (*c*) invasit Antonius, in Asiam Dolabella: in alienam uterque provinciam. Alteri se Brutus objecit, impetumque furentis, atque omnia divexare & diripere cupientis, vitæ suæ periculo colligavit, progressu arcuit, a reditu refrenavit: obsideri se passus ex utraque parte con-

 strin-

(1) *Non inimicos, sed hostes*) Distinguit hic inimicum ab hoste; in hoc enim est aliquid longe gravius. Inter cives potest esse inimicitia, hostile odium esse non potest. *F. Ducæus*.

(2) *Mortem naturæ pœnam putat esse, iracundiæ tormenta atque cruciatum*) Pœna *naturæ* est, quam offert natura, adeoque nihil exquisitum habet, aut inusitatum. Pœna *iracundiæ* ea est, quam excogitat iracundia, & ulcíscendi libido. Hujus, inquit, monstri feritas non est contenta morte, quam putat pœnam esse nimium vulgarem, nisi tormenta cruciatusque adjungantur. *Idem*. Arbitramur abundare dictionem *pœnam*. Pulchre enim habet sententia sine ea: *mortem naturæ putat esse, iracundiæ tormenta*, &c. *Faern.*

ANALYSIS.

(a) *Qualis igitur*) Concludit approbationem *Assumptionis* incutiendo *Timorem*; ex Arist. lib. 2. cap. 5. tex. 41.

(b) *Quamobrem*) Syllogismi *Complexio*.

(c) *In Galliam*) Attingit quædam de Antonio, ut idem utriusque consilium fuisse ostendat; rem deinde narrat, & amplificat *ab Adjunctis*; quod in narrationibus fieri solet.

ſtrinxit Antonium. Alter in Aſiam (1) irrupit curſim, cui in Syriam patebat via certa, neque longa. Quid opus fuit cum legione? (2) præmiſſo Marſo neſcio quo Octavio (3), ſcelerato latrone, atque egente, qui popularetur agros, vexaret urbes, non ad ſpem conſtituendæ rei familiaris, quam tenere eum poſſe negant qui norunt (mihi enim hic ſenator ignotus eſt) ſed ad præſentem paſtum mendicitatis ſuæ (4). Conſecutus eſt Dolabella, nulla ſuſpicione belli: quis enim id putaret? Secutæ collocutiones familiariſſimæ cum Trebonio, complexuſque ſummæ benevolentiæ falſi indices extiterunt in amore ſimulato: dexteræ, quæ fidei teſtes eſſe ſolebant, perfidia ſunt & ſcelere violatæ: nocturnus introitus Smyrnam, quaſi in ho-

(1) *Alter in Aſiam &c.*) Fide Vaticani emendatum eſt, *alter in Aſiam irrupit. Cur? Si, ut in Syriam; patebit via.* Hoc amplexi ſunt Faernus, Manutius, Lambinus, a quibus non diſſentio. Quamvis in meis libris varie hic locus ſcribatur. Mihi tamen hæc accuratius perpendenti videtur Cicero ſcripſiſſe: *Curſus in Aſiam patebat, via certa, neque longa*, hoc eſt, navigatio in Syriam patebat certa & brevis. Nam *curſum* eſſe navigationem, & *currere* navigare tralatitium eſt. Per *viam* intelligit viam ſeu iter maritimum. Jam Procoſſ. Syriæ & Ciliciæ, imo & Aſiæ plerumque navibus in Ciliciam profectos eſſe quis ignorat? *Grævius*. Et ipſe M. Ant. Ferratius, in ſua editione Vaticanum ſequitur.

(2) *Quid opus fuit cum legione?*) Hic aliquid putamus deeſſe. Maxime poſt verbum *fuit*, aliquid certe mendi ſubeſt. *Faernus*. Lambinus præmittit; *ſin ut ad Trebonium; quid opus*, &c. Sed tale nihil Manutius, aut ſcripti noſtri. *Grut.* Valde audacter Lambinus, cum in nullo codice verba, quæ infercit, legantur, ſed, quia Faernus aliquid deſiderari hic ſcripſerat, illa ipſe excogitavit. *Grævius*.

(3) *Præmiſſo Marſo neſcio quo Octavio*) Hunc Appianus *Bell. Civil. lib.* IV. præfectum fuiſſe ait nocturnarum excubiarum. Dio, *lib.* XLVII. M. Octavium commemorat P. Cornelii Dolabellæ legatum. Veri admodum ſimile mihi videtur, Marſum Octavium, & Marcum Octavium, unum fuiſſe eundemque hominem. *Fronto Ducæus*. Henricus Noris, *Cenotaph. Piſan. Diſſert.* II. §. 4. Uſſerium refellit ſcribentem duos fuiſſe homines, non eundem. *Anonymus*.

(4) *Ad præſentem paſtum mendicitatis ſuæ*) Ut haberet homo inops ac famelicus quo latrantem ſtomachum leniret. Hoc eſt, quod vulgo ajunt, ut haberet panem. *F. Ducæus*.

hostium urbem, quæ est fidelissimorum, antiquissimorumque sociorum: oppressus Trebonius: si ut ab eo, qui aperte hostis esset; incautus, si ut ab eo, qui civis etiam tum speciem haberet; miser. Ex quo nimirum documentum nos capere fortuna voluit, quid esset victis extimescendum. Consularem hominem, consulari imperio provinciam Asiam obtinentem, Samiario exuli tradidit: interficere captum statim noluit, ne nimis, credo, in victoria liberalis videretur. Cum verborum contumeliis optimum virum incesto ore lacerasset, tum verberibus ac tormentis quæstionem habuit pecuniæ publicæ, idque per biduum. Post cervicibus fractis caput abscidit, idque adfixum gestari jussit in pilo: reliquum corpus tractum atque laniatum * abjecit in mare. Cum hoc hoste bellandum est, a cujus teterrima crudelitate omnis barbaria superata est. Quid loquar de cæde civium Romanorum? de direptione fanorum? quis est, qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? Et nunc tota Asia vagatur, volitat ut rex: nos alio bello distineri putat: quasi vero non unum idemque bellum sit contra hoc jugum impiorum nefarium.

III. Imaginem (a) M. Antonii crudelitatis in Dolabella cernitis: ex hoc illa efficta est: ** ab hoc Dolabellæ scelerum præcepta sunt tradita. Num leniorem, quam in Asia Dolabella fuit, in Italia, si liceat, fore putatis Antonium? Mihi quidem & ille pervenisse videtur, quoad progredi potuerit feri hominis amentia: neque Antonius ullius supplicii adhibendi, si potestatem habeat, ullam partem esse reli-

* Vulg. *laceratum*. ** Vulg. *effecta est*.

ANALYSIS.

(a) *Imaginem*) Hic invehitur in Antonii crudelitatem, *a Causis*:

Multo crudelior est, qui dat scelerum præcepta, quam ille, cui dantur;
Sed ab Antonio doctus Dolabella tam fuit crudelis;
Ergo crudelior futurus est Antonius, qui docuit.

relicturus. * Ponite igitur (*a*) ante oculos, Patres Conscripti, miseram illam quidem & flebilem speciem, sed ad incitandos animos vestros necessariam; nocturnum impetum in urbem Asiæ clarissimam, irruptionem armatorum in Trebonii domum, cum miser ille prius latronum gladios videret, quam, quæ res esset, audisset: furentis introitum Dolabellæ, vocem impuram atque os illud infame, vincula, verbera, eculeum, tortorem, carnificemque Samiarium. Quæ tulisse illum fortiter & patienter ferunt. Magna laus, meoque judicio omnium maxima. Est enim sapientis, quidquid homini accidere possit, id præmeditari ferendum modice esse, si venerit. Majoris omnino est consilii, providere, ne quid tale accidat: sed animi non minoris, fortiter ferre, si evenerit. Ac Dolabella (*b*) quidem tam fuit immemor humanitatis (quanquam ejus nunquam particeps fuerit) ut suam insatiabilem crudelitatem exercuerit non solum in vivo, sed etiam in mortuo: atque in ejus corpore lacerando atque vexando, cum animum satiare non posset, oculos paverit suos.

IV. O multo (*c*) miserior Dolabella, quam ille, quem tu miserrimum esse voluisti! Dolores

(*a*)

* Vulg. *est relicturus*.

ANALYSIS.

(a) *Ponite igitur*) Movet *Misericordam* ex Arist. l. 2. c. 8. tex. 92. nam & rem ipsam per *hypotyposim* quasi ob oculos ponit, & omnia constanter, patienterque tulisse Trebonium innuit.

(b) *Ac Dolabella*) Dolabellæ præterea non iram quidem, sed odium implacabile exaggerat, quippe in mortuum sævientis; Arist. l. 2. c. 3. t. 18.

(c) *O multo*) Per comparationem utriusque longe miseriorem esse probat Dolabellam, quam Trebonium; argumentum sumptum videtur *a Causis:*

Miserior est, qui cum sit perditis moribus, scelus admittit, quam qui vita innocens mortem crudelem patitur;

Sed Dolabella homo perditus scelus admisit, Trebonius vir innocens passus est.

Ergo longe miserior Dolabella, quam Trebonius.

(a) Trebonius pertulit magnos: multi ex morbi gravitate majores: quos tamen non miseros, sed laboriosos dicere solemus. Longus fuit dolor bidui; at compluribus, annorum sæpe multorum. Nec vero graviora sunt carnificum tormenta, quam interdum cruciamenta morborum. Alia sunt (b), alia, inquam, o perditissimi homines & amentissimi, multo miseriora. Nam, quo major vis est animi, quam corporis, hoc sunt graviora ea, quæ concipiuntur animo, quam illa, quæ corpore. Miserior igitur, qui suscipit in se scelus, quam is, qui alterius facinus subire cogitur. Cruciatus est (c) a Dolabella Trebonius, & quidem a Carthaginiensibus Regulus. Quare cum crudelissimi Pœni judicati sint in hoste, quid in cive Dolabella judicandus est (1)? An vero hoc conferendum est? aut dubitandum, uter miserior? isne, cujus mortem senatus, populusque Romanus ulcisci cupit, an is, qui cunctis senatus sententiis hostis est judicatus? Nam cæteris (d) quidem vitæ partibus, quis est, qui possit sine Trebonii maxima contumelia conferre vitam Trebonii cum Dolabellæ? Alterius consilium, ingenium, humanitatem, innocentiam, magnitudinem animi in patria liberanda quis ignorat? Alteri a puero pro deliciis crudelitas fuit: deinde ea libidinum turpitudo, ut in hoc sit sem-

(1) *Quid in cive de Dolabella judicandus est*) Victorius, Manut. Grut. ediderunt, *Quid in cive Dolabella judicandus est?* Lambinus, *Quid in cive de Dolabella judicandum?* Utrumvis legas, eandem habes sententiam. Malim tamen quod edidit Victorius. Illud *in hoste*, *in cive*, secutus est Virgilius, Æn. II. 541. *Talis in hoste fuit Priamo*. Olivet.

ANALYSIS.

(a) *Dolores*) Elevat Trebonii cruciatus *a Comparatione majorum*; ut & illius miseriam minuat.

(b) *Alia sunt*) *Propositionis* approbatio.

(c) *Cruciatus*) Ut supra Trebonii cruciatus elevavit, ita nunc Dolabellæ scelus amplificat *a Comparatione minorum*; unde illustratur *Assumptio*.

(d) *Nam cæteris*) Hæc est altera pars argumenti de vita utriusque.

per ipse lætatus, quod ea faceret, quæ sibi objici ne ab inimico quidem possent verecundo. Et hic (*a*). dii immortales! aliquando fuit meus (1). Occulta enim erant vitia non inquirenti. Neque nunc fortasse alienus ab eo essem, nisi ille vobis, nisi mœnibus patriæ, nisi huic urbi, nisi diis penatibus, nisi aris & focis omnium nostrum, nisi denique naturæ & humanitati inventus esset inimicus. A quo admoniti (*b*), diligentius & vigilantius caveamus Antonium.

V. Etenim Dolabella non ita multos secum habuit notos ac insignes latrones: at videtis, quos & quam multos habeat Antonius. Primum L. fratrem: quam facem, dii immortales? quod facinus? quod scelus? quem gurgitem? quam voraginem? quid eum non sorbere animo, quid non haurire cogitatione, cujus sanguinem non bibere censetis? in cujus possessiones atque fortunas non impudentissimos oculos spe & mente defigere? Quid Censorinum? qui se verbo

(1) *Et hic, Dii immortales! aliquando fuit meus*) Dolabella Tulliam in matrimonio habuerat Ciceronis filiam, & cum ipso arctissima fuerat familiaritate conjunctus. Ob hanc conjunctionem atrocior est Cicero in Antonii accusatione, quam Dolabellæ; etsi constat mitiorem altero fuisse Antonium. Hic quidem exarsit, sed Ciceronianis declamationibus & satyris inflammatus. *F. Ducæus*.

ANALYSIS.

(a) *Et hic*) Occurrit *Prolepsi*, cur Dolabellam perditis a puero moribus aliquando probaverit; & respondet, se illius vitia ignorasse, nunc sileri non posse, quæ non tam in C. Trebonium, quam in Remp. immanissime patraverat.

(b) *A quo admoniti*) Cum supra non una vice, tum hoc loco etiam a Dolabella ad Antonium orationem convertit, & in eundem, quem timendum magis putabat, ita Patres inflammat *a Comparatione minorum*:

Eum magis cavere debemus, qui plures habet scelerum ministros, quam qui multo pauciores;
Sed Antonius multo plures habet scelerum ministros, quam Dolabella, qui tamen hæc tanta fecit;
Ergo multo magis cavere debemus Antonium.

Propositio est apud Arist. cap. de *Metu*; *Assumptionem* fuse pertractat, enumerando quam plures ex Antonii satellitibus, cum stomacho, & increpatione.

bo prætorem esse urbanum cupere dicebat, re certe noluit (1). Quid Bestiam? qui consulatum in Bruti locum se petere profitetur. Atque hoc quidem detestabile omen avertat Jupiter! Quam absurdum autem, qui prætor fieri non potuerit, eum petere consulatum? nisi forte damnationem (2) pro prætura putat. Alter Cæsar, Vopiscus ille, homo summo ingenio, summa potentia, qui ex ædilitate consulatum petit (3). Solvatur legibus. Quanquam leges eum non tenent, propter eximiam, credo, dignitatem. At hic, me defendente, quinquies absolutus est. Sexta palma urbana, etiam in gladiatore difficilis (4). Sed hæc judicum culpa, non mea est. Ego defendi fide optima; illi debuerunt clarissimum & præstantissimum senatorem in civitate retinere (5). Qui tamen nunc

(1) *Re certè noluit*) Qui enim prætor urbanus esse potest, cum ab urbe discesserit? *Manut.* Hæc irrisio est non sine gratia ac lepore; Censorinus repulsam tulerat. Porro est operæ pretium animadvertere, qua arte Cicero in hac enumeratione auditorum satietati occurrat, ut aspergat jocos. *F. Duceus*.

(2) *Damnationem*) De ambitu ex petitione præturæ, defendente Cicerone. Vide ep. 3. lib. 11. ad Q. Frat.

(3) *Ex ædilitate consulatum petit*) In quo gradus honorum non servabat: nam cum primus honoris gradus esset Quæstura, secundus Tribunatus pl. deinde Ædilitas, post Prætura, extremo loco Consulatus: hic omissa Prætura, Consul fieri volebat. Quod erat ita extraordinarium, ut C. Cæsar æqualis ille Sulpicii idem cum tentasset, causa belli civilis fuerit. Declarat Asconius, cujus verba subscripsi, *C. Cæsar Ædilitius quidem occisus est, sed tantum in civitate potuit, ut causa belli civilis contentio ejus cum Sulpicio Trib. pleb. fuerit: nam & sperabat, & id agebat Cæsar, ut omissa Prætura Consul fieret: cui cum primis temporibus jure Sulpicius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum & ad arma processit*. De hac re Cicero in Bruto, cap. 48. *Ferrat.*

(4) *Sexta palma urbana, etiam in gladiatore difficilis*) Sexta, inquit, vice accusatus, me pariter defendente, non evasit, & damnatus est; neque id mirum esse debet, cum ne ipsi quidem gladiatores, si pugnare perseverent, ad sextam pervenire palmam facile possint. *Palmam urbanam* vocat absolutionem rei, vel oratoris victoriam. *Ferr.*

(5) *Sed hæc judicum culpa, non mea est. Ego defendi fide optima; illi debuerunt clarissimum & præstantissimum senatorem in civitate retinere*) Etiam cum sextum accusaretur Vopiscus, officio non defuit Cicero & bona fide defendit; judices autem nullo

nunc nihil aliud agere videtur, nisi ut intelligamus, illos, quorum res judicatas irritas fecimus, bene & e republica judicavisse (1).

Neque hoc in hoc uno est. Sunt alii in eisdem castris honeste condemnati, turpiter restituti. Quod horum consilium, qui omnibus bonis hostes sunt, nisi crudelissimum putatis fore? Accedit Saxa nescio quis, quem nobis Cæsar ex ultima Celtiberia tribunum plebis dedit, castrorum antea metator, nunc, ut sperat, urbis (2): a qua cum sit alienus (3), suo capiti, salvis nobis, ominetur. Cum hoc veteranus Capho, quo neminem veterani pejus oderunt. His, quasi præter dotem (4), quam in civilibus malis acceperant, agrum Campa-

nullo modo potuerunt adduci ut absolverent. Ea sententiæ pars, quæ spectat ad judices, apertam habet ironiam; nam æque bona fide Vopiscum sextum accusatum & Cicero defenderat, & judices condemnaverant. *Idem*.

(1) *Qui tamen nunc nihil aliud agere videtur, nisi ut intelligamus, illos, quorum res judicatas irritas fecimus, bene & e republica judicavisse*) C. Cæsar dictator cum alios multos, legibus in exilium pulsos, restituit, tum ipsum Vopiscum, adeoque res judicatas illorum judicum irritas fecerat, a quibus isti fuerant damnati. Quid deinde? Interfecto Cæsare, factum est senatusconsultum, ut leges, decreta, omnia denique acta Cæsaris rata essent, hic senatus etiam, præter alia quamplurima, illud probaverat, ut res antea judicatæ, irritæ forent, cum judicavit eos omnes, ad quos beneficium Cæsaris pertinuerat, jure fuisse restitutos. Vopiscus tamen ita vivebat, seque adeo sceleratum præstabat, ut quilibet intelligere posset, bene, & e republica judices illos judicavisse, qui civem perditissimum ex urbe ejecissent: *Idem*. Vulg. *illos judices*.

(2) *Castrorum antea metator, nunc, ut sperat, urbis*) Qui sibi videtur ex castrorum metatore factus esse metator ac divisor urbis: qui sperat, se Antonii castra in ipsa urbe Roma locaturum, eamque militibus pro voluntate distributurum. *Ducæus*.

(3) *A qua, cum sit alienus, &c.*) Cum ad ipsum, utpote extraneum, nihil pertineant nec bona urbis nostræ, nec mala, desinat nobis ominari, atque hæc ejus omina in ejus caput convertantur. *Idem*.

(4) *Quasi præter dotem*) Hic *dotem* appellat prædam, qua ditati a C. Julio Cæsare, per civilium bellorum licentiam fuerant... *Agrum Campanum est largitus Antonius*. Vide Phil. VIII. cap. 8. *Ut haberent reliquorum nutriculas prædiorum*. Hunc illis agrum dedit, ut haberent in illa ubertate, quo familias, reliquis in prædiis collocatas, alerent. *Idem*.

panum est largitus Antonius, ut haberent reliquorum nutriculas prædiorum: quibus utinam contenti essent! ferremus: etsi tolerabile non erat: sed quidvis patiendum fuit, ut hoc teterrimum bellum non haberemus.

VI. Quid? illa castrorum M. Antonii lumina nonne ante oculos proponitis? Primum duos collegas Antoniorum & Dolabellæ, Nuculam & Lentonem, Italiæ divisores (1) lege ea, quam senatus per vim latam judicavit? quorum alter commentatus est mimos, alter egit tragœdiam. Quid dicam de Apulo Domitio? cujus bona modo proscripta vidi (2): tanta procuratorum est negligentia. At hic nuper sororis filio infudit venenum, non dedit. Sed non possunt non prodige vivere (3), qui nostra bona sperant, cum effundunt sua. Vidi etiam P. Decii auctionem, clarissimi viri, qui majorum exempla persequens (4), pro alieno se ære devovit (5). Emptor tamen in ea auctione inventus est nemo. Hominem ridiculum, qui se exire ære alieno putet posse, cum vendat aliena.

Nam quid ego de Trebellio dicam? quem ultæ vi-

(1) *Italiæ divisores*) Vide Philipp. VI. cap. 5.

(2) *Cujus bona modo proscripta vidi*) In tabella publice proposita venalia: in auctione posita, propter æs alienum. *Tanta procuratorum est negligentia.* Sarcasmus, quasi non Domitii culpa hæc sit, sed eorum, qui ipsius absentis curant res domesticas. *Idem.*

(3) *Sed non possunt non prodige vivere*) Sarcasmus & irrisio. Perinde quasi in illa veneni infusione sit prodiga quædam liberalitas. *Idem.*

(4) *Qui majorum exempla persequens*) Trium Deciorum, qui se pro patria devoverunt. Pater bello Latino, an. U. C. 413. Filius, bello Gallico, 457. Nepos denique, bello in Pyrrhum Epiri regem, 474. *Idem.*

(5) *Pro alieno se ære devovit*) Hoc facere dixit, in carmen intuens, quo Decii usi erant in devotione sui, in quo hoc erat in extremo: *Sicut verbis nuncupavi, ita pro republica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones, auxiliaque hostium mecum Diis Manibus, Tellurique devoveo.* Ferrar. Vide Livium, VIII. 9.

videntur furiæ debitorum: vindicem (1) enim tabularum novarum novam tabulam vidimus. Quid de T. Planco? quem præstantissimus civis, Aquila, Pollentia expulit, & quidem crure fracto: quod utinam ante illi accidisset, ne huc redire potuisset! Lumen & decus illius exercitus pene prætorii, C. Annium * Cimbrum, Lysidici filium, Lysidicum ipsum Græco verbo, quoniam omnia jura dissolvit (2): nisi forte jure Germanum Cimber occidit (3).

Cum hanc, & hujus generis copiam tantam habeat Antonius, quod scelus omittet, cum Dolabella tantis se obstrinxerit parricidiis, nequaquam pari latronum manu & copia? Quapropter (*a*), ut invitus sæpe dissensi a Q. Fusio, ita sum ejus sententiæ libenter assensus. Ex quo judicare debetis, me non cum homine solere, sed cum causa dissidere. Itaque non assentior solum, sed etiam gratias ago Q. Fusio. Dixit enim severam, gravem, republica dignam sententiam: judicavit hostem

* Vulg. T. *Annium*.

(1) *Vindicem*) Proscripta Trebellii bona vidimus, ea tabula ulcisci videtur tabulas novas, quibus adversatus erat. Tabulam enim posuit, qui tabulas novas oppugnaverat. *Manut.*

(2) *Græco verbo, quoniam omnia jura dissolvit*) Vix persuadere mihi possum, hæc esse Ciceronis. In margine (sic quidem videtur) adscripta fuerant, explicandi causa, unde in contextum, per librariorum imperitam diligentiam sunt intrusa. *Lysidicus* est a verbo λύω, solvo, dissolvo, & nomine δίκη, jus, fas. *Lysidicus*, si latine velis dicere, est *legirupa*. In hoc membro, *Lysidici filium*, *Lysidicum ipsum*, idem nomen priore loco proprium est hominis, posteriore est appellativum. *P. Ducæus*.

(3) *Nisi forte jure Germanum Cimber occidit*) Correctio ridicula, & jocus mordax. Hic C. Annius Cimber fratrem occiderat. Latina vox *Germanus*, & fratrem significat, & hominem e Germania. Itidem *Cimber*, quod erat istius C. Annii cognomen, hominem designat oriundum e Cimbrica Chersoneso, aut, ut aliqui malunt, Cherroneso. Ex illa ambiguitate jocum Cicero captavit. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Quapropter*) Concludit hanc disputationem, eo tamen consilio a Cicerone hoc loco institutam, ut in Antonium Patres excitaret; nam Dolabella jam fuerat hesterno die hostis a Senatu judicatus, sententiæ auctore Q. Fusio Caleno.

ſtem Dolabellam: bona ejus cenſuit publice poſſidenda. Quo cum addi nihil poſſet, (quid enim atrocius potuit, quid ſeverius decernere?) dixit tamen, ſi quis eorum, qui poſt ſe rogati eſſent, graviorem ſententiam dixiſſet, in eam ſe iturum. Quam ſeveritatem quis poteſt non laudare?

CONFUTATIO.

VII. Nunc quoniam (*a*) hoſtis eſt judicatus Dolabella, bello eſt perſequendus. Neque enim quieſcit: habet legionem, habet fugitivos, habet ſceleratam impiorum manum: eſt ipſe confidens, potens, gladiatorio generi mortis addictus. Quamobrem, quoniam cum Dolabella heſterno die hoſte decreto bellum gerendum eſt, imperator eſt deligendus. Duæ dictæ (*b*) ſunt ſententiæ, quarum neutram probo: alteram, quia ſemper, niſi cum eſt neceſſe, periculoſam arbitror; alteram, quia alienam his temporibus exiſtimo. Nam (*c*) extraordinarium imperium populare, atque ventoſum eſt (1), minime noſtræ gravitatis, minime

(1) *Extraordinarium ſemper imperium populare, atque ventoſum eſt*) Popularis eſt levitatis, quæ qualibet aura movetur, & novis rebus gaudet, imperium decernere extraordinarium. Contra ſenatoriæ gravitatis eſt, antiquis ſtare inſtitutis ac legibus, ut per ordinarios magiſtratus ea fiant, ad quæ facienda ſunt creati. Rei enim publicæ omnis eſt exitioſa novitas. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Nunc quoniam*) Tandem accedit ad id, de quo referebatur; & oſtendit neceſſitatem deligendi Imperatoris contra Dolabellam, quod is non contemnendas copias haberet.

(b) *Duæ dictæ*) Duas, quæ dictæ fuerant, ſententias refellit; alteram quidem L. Cæſaris ad illud bellum deligentis P. Servilium Conſularem, hac ratione *ab Adjunctis*:

Id introduci in curiam non debet, quod eſt contra inſtituta majorum, & magnam habet ambitionem;
Sed imperia extraordinaria non ſolent dari a Senatu, eaque magnam habent ambitionem;
Ergo privato P. Servilio hoc imperium extraordinarium dare Senatus non debet.

(c) *Nam*) *Aſſumptio*, cujus prima pars ſtatim probatur *ab Exemplis*.

nime hujus ordinis. Bello Antiochino magno & gravi, cum L. Scipioni, Publii filio *, obvenisset Asia, parumque in eo putaretur esse animi, parum roboris, senatusque ad collegam ejus, C. Lælium, hujus Sapientis patrem, negotium deferret; surrexit P. Africanus, frater major L. Scipionis, & illam ignominiam familiæ deprecatus est: dixitque & in fratre suo summam virtutem esse, summumque consilium, neque se ei legatum id ætatis, iisque rebus gestis defuturum. Quod cum ab eo esset dictum, nihil est de Scipionis provincia commutatum; nec plus extraordinarium imperium ad id bellum quæsitum, quam duobus antea maximis Punicis bellis, quæ a consulibus, aut a dictatoribus gesta & confecta sunt, aut quam Pyrrhi, quam Philippi, quam post Achaico bello, quam Punico tertio, ad quod populus Romanus ita ipse sibi delegit idoneum ducem, P. Scipionem, ut eum tamen bellum gerere consulem vellet (1).

VIII. Cum Aristonico bellum gerendum fuit (2), L. Va-

* in vulg. deest *Publii filio*.

(1) *Ut eum tamen bellum gerere consulem vellet*) Maluit populus Romanus eum solvere legibus, & consulem creare extra ordinem, quam privato curam belli committere. *F. Ducæus*.

(2) *Cum Aristonico bellum gerendum fuit*) Cum Pergami rex Attalus, Eumenis filius, testamento populum Romanum reliquisset heredem bonorum omnium; Aristonicus, Eumenis, ex Ephesia quadam muliercula, filius, Asiam, ut paternum regnum, opibus multorum & favore adjutus invasit. Is cum bello persequendus esset, orta est inter consules de provinciis contentio. Erant tum consules P. Licinius Crassus, & L. Valerius Flaccus: ille pontifex maximus, hic flamen Martialis. Cum uterque Asiam habere vellet; Crassus, ut collegam ab ejus provinciæ ac belli administratione arceret, pro ea, qua pollebat, ut pontifex, in flamines auctoritate, multam Flacco dixit, si ab urbe, & a sacris discessisset. Neque finis certaminum fuit, donec ad populum ferri placuit, quem id bellum gerere juberet. De Crasso dubitabatur, ne pontificem maximum abire ex Italia contra religiones foret: dictæ erant sententiæ, ut potius pro consule aliquis mitteretur: aderat Africanus, qui posset mitti. Populus remisit multam flamini, eum tamen dicto audientem pontifici esse jussit: privatum ei bello præfici non placuit: duarum tantummodo tribuum puncta tulit Africanus: consuli P. Licinio Crasso provincia decreta est. *Idem*.

L. Valerio, P. Licinio consulibus. Rogatus est populus, quem id bellum gerere placeret: Crassus consul & pontifex maximus, Flacco collegæ, flamini Martiali, multam dixit, si a sacris discessisset. Quam multam populus remisit: pontifici tamen flaminem parere jussit. Sed ne tum quidem populus Romanus ad privatum detulit bellum. Quanquam erat Africanus, qui anno ante de Numantinis triumphaverat: qui cum longe omnes belli gloria & virtute superaret, duas tamen tribus solas tulit. Ita populus Romanus consuli potius Crasso, quam privato Africano bellum gerendum dedit. De Cn. Pompeji (*a*) imperiis, summi viri, atque omnium principis, tribuni plebis turbulenti tulerunt (1). Nam Sertorianum bellum a senatu privato datum est, quia consules recusabant: cum L. Philippus pro consulibus eum se mittere dixit, non pro consule (2).

Quæ igitur (*b*) hæc comitia (3)? aut quam

(1) *Tribuni plebis turbulenti tulerunt*) Gabinius & Manilius. Quam aliter de iisdem hic idem loquitur in suasione legis Maniliæ! At tum dicebat ad populum; & eloquentiæ est servire tempori, cum sit prudentiæ civilis quasi administra. *Ducæus*.

(2) *Cum L. Philippus pro consulibus eum se mittere dixit, non pro consule*) Hoc ipsum est in orat. *pro lege Manilia*, nisi quod supprimitur illic recusatio consulum, quæ obfuisset causæ; hic exprimitur, quoniam juvabat. Si decretum est Pompejo imperium extra ordinem, nihil mirum; nulli enim erant in republica consules, qui suscipere id vellent. *Idem*.

(3) *Quæ igitur hæc comitia*) Extraordinaria imperia populus in comitiis decernebat. Propterea cum L. Cæsar suaderet, ut senatus imperium mandaret extraordinarium, ait Cicero, ipsum comi-

ANALYSIS.

(a) *De Cn. Pompeji*) Occurrit *Prolepsis* de Pompejo, cui extra ordinem Senatus una tantum vice imperium dedit, sed ex necessitate, quia ipsi Consules in Hispaniam ire recusaverant.

(b) *Quæ igitur*) Secunda pars *Propositionis* approbata *a Dissimili*:

Ambitio locum habet in Comitiis;
Ergo non in Curia.

Simul autem probat, introduci ambitionem in Curiam, si de alicujus extraordinario imperio referatur, quod spectat ad *Assumptionem*.

quam ambitionem constantissimus & gravissimus civis, L. Cæsar, in senatum introduxit? Clarissimo viro atque innocentissimo decrevit imperium, privato tamen. In quo maximum nobis onus imposuit. Assensus ero? ambitionem induxero in curiam. Negavero? videbor suffragio meo, tanquam comitiis, honorem homini amicissimo denegavisse. Quod si comitia placet in senatu habere: petamus, ambiamus. Tabella modo detur nobis, sicut populo data est. Cur committis *, Cæsar, ut aut præstantissimus vir, si tibi non sit assensum, repulsam tulisse videatur, aut unusquisque nostrum præteritus, si, cum pari dignitate simus, eodem honore digni non putemur?

At enim (1) (*a*) (nam id exaudio) C. Cæsari adolescentulo imperium extraordinarium mea sententia dedi (2). Ille enim (*b*) mihi præsi-

comitia in curiam introducere: consecutura ostendit incommoda; in primis animorum offensiones, quæ saltem in comitiis nullæ sunt verendæ; quoniam populus tabellis suffragia committit; quo fit, ut ii, qui repulsam ferunt, scire nequeant, a quibusnam sint præteriti & neglecti. At in senatu, voce dicuntur sententiæ. Idcirco ait: Esto, agamus ut in campo & comitiis, ambiamus, prensemus, suffragemur, imitemur popularem levitatem, dummodo detur nobis, ut populo, tabella, quæ det eam libertatem, ut, quod velimus, faciamus. *Idem*.

* Vulg. *Cur comitiis Cæsar? ut aut*.

(1) *At enim*) Prolepsis. Occupat quod opponi poterat, & ostendit, quid inter L. Cæsaris pro Servilio sententiam, & suam pro Cæsare Octaviano intersit. *Idem*.

(2) *C. Cæsari adolescentulo imperium extraordinarium mea sententia dedi*) Ut adolescens vix annorum viginti exercitum regeret pro consulari potestate. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *At enim*) Alteri occurit *Prolepsi* de C. Cæsare adolescente, cui æque ac Pompejo datum ob necessitatem imperium extraordinarium contendit *a Congruo*:

Illi necessario extraordinarium dandum est imperium, qui extraordinarium tulit auxilium, & jam habet exercitum;
Sed C. Cæsar extraordinarium tulerat auxilium, & jam habebat exercitum;
Ergo illi dandum erat imperium extraordinarium.

(b) *Ille enim*) *Assumptionis* prima pars, cui subjicit interrogando *Complexionem*.

præſidium extraordinarium dederat. Cum dico mihi, ſenatui dico, populoque Romano. A quo reſpublica præſidium ne cogitatum quidem, tantum haberet, ut ſine eo ſalva eſſe non poſſet, huic extraordinarium imperium non darem? Aut exercitus (*a*) adimendus, aut imperium dandum fuit. Quæ eſt enim ratio, aut qui poteſt fieri, ut ſine imperio teneatur exercitus? Non igitur quod ereptum non eſt, id exiſtimandum eſt datum. Eripuiſſetis C. Cæſari, Patres Conſcripti, imperium, niſi dediſſetis. Milites veterani, qui illius auctoritatem, imperium, nomen ſecuti, pro republica arma ceperant, volebant ſibi ab illo imperari: legio Martia, legio quarta ita ſe contulerat ad auctoritatem ſenatus, populique Romani dignitatem, ut depoſcerent imperatorem, & ducem C. Cæſarem. Imperium Cæſari belli neceſſitas, faſces ſenatus dedit. Otioſo (1) vero & nihil agenti, privato, obſecro te, L. Cæſar, (cum peritiſſimo homine mihi res eſt) quando imperium ſenatus dedit?

IX. Sed de hoc quidem hactenus, ne refragari homini amiciſſimo, ac de me optime merito, videar. Etſi quis poteſt refragari non modo non petenti, verum etiam recuſanti? Illa vero (*b*), Patres Conſcripti, aliena conſulum dignitate, aliena

* Vulg. *Martia & quarta ... contulerant.*

(1) *Otioſo*) P. Servilium otioſum dicit eſſe, & nihil agentem hoc eſt, vere privatum: quia neque habebat exercitum, neque erat armatus, ut Cæſar, in Antonium. *Ferrat.*

ANALYSIS.

(a) *Aut exercitus*) Secunda pars approbata; vel enim adimendus erat illi exercitus, vel dandum imperium, cum haberi non poſſit exercitus ſine imperio: adimere autem C. Cæſari non erat utile Reipub. propter conſenſum militum, Cæſarem ducem poſtulantium.

(b) *Illa vero*) Alteram ſententiam refutat, eamque probat fore turpem, & inutilem; turpem quidem hoc argumento *ab Adjunctis*:

Turpe eſt Conſulibus provincias decernere, dum Conſul deſign. obſidetur, magno cum Reip. periculo.

Sed hoc tempore Conſul deſign. obſidetur, & in eo agitur ſalus Reip.;

Ergo turpe eſt Conſulibus provincias decernere.

temporum gravitate (1) sententia est, ut consules, Dolabellæ persequendi causa, Asiam & Syriam sortiantur. Dicam, cur inutilem reipublicæ; sed prius, quam turpe consulibus sit, videte. Cum consul (*a*) designatus obsideatur, in eoque * liberando salus sit posita reipublicæ, cumque a populo Romano pestiferi cives, parricidæque desciverint, cumque id bellum geramus, quo bello de dignitate, de libertate, de vita decernamus, &, si in potestatem quis Antonii venerit, proposita sint tormenta atque cruciatus, cumque harum rerum omnium decertatio consulibus optimis & fortissimis commissa & commendata sit, Asiæ & Syriæ mentio fiet, ut aut (*b*) suspicioni crimen (2), aut invidiæ materiam dedisse videamur?

At vero (*c*) ita decernunt (3), ut liberato Bruto: id enim restabat, ut relicto, deserto, prodito. Ego vero mentionem omnino provinciarum factam dico alienissimo tempore. Quamvis enim intentus animus tuus sit, C. Pansa, sicut est, ad fortissimum virum & omnium clarissimum liberandum,

* Vulg. *cum in eo liberando*.

(1) *Gravitate*) Molestia, difficultate, acerbitate. *Ducæus*.

(2) *Ut aut suspicioni crimen*) Hic *suspicioni* perinde est ac suspiciosis hominibus. *Crimen* est criminatio, causa criminandi. *Invidia*, odium. Quod explicabitur mox *cap*. 10. Ducæus.

(3) *At vero ita decernunt*) Prolepsis, cum irrisione. At decernunt, non ituros adversus Dolabellam, nisi cum liberatus obsidione Brutus fuerit. Benigne quidem, quod nolunt hunc relinqui, deseri, prodi. *Idem*.

ANALYSIS

(a) *Cum Consul*) *Propositio*.

(b) *Ut aut*) *Propositionis* prima approbatio *a Consequentibus*, ut patet.

(c) *At vero*) Secunda approbatio *ab Effectis*, quæ sic se habet:
Turpe est quippiam decernere, quod præsentibus rebus officiat;
Sed si decernimus Consulibus provincias, antequam Brutus obsidione liberetur, id nostris rebus maxime officit;
Ergo turpe est hoc tempore decernere Consulibus provincias.
Assumptio probatur, quia non poterunt Consules uno, eodemque tempore & opprimendo Antonio operam dare, & de persequendo Dolabella cogitare.

dum, tamen rerum natura cogit te necessario referre animum aliquando ad Dolabellam persequendum, & partem aliquam in Asiam & Syriam derivare curæ & cogitationis tuæ. Si autem fieri posset, vel plures te animos habere vellem, quos omnes ad Mutinam intenderes. Quod quoniam fieri non potest, istoc animo, quem habes præstantissimum atque optimum, nihil te volumus, nisi de Bruto cogitare. Facis tu id quidem, & eo maxime incumbis: duas tamen res, magnas præsertim, non modo agere uno tempore, sed ne cogitando quidem explicare quisquam potest. Incitare & inflammare tuum istud præstantissimum studium, non ad aliam ulla ex parte curam transferre debemus.

X. Adde istuc (*a*) sermones hominum, adde suspiciones, adde invidiam. Imitare me, quem tu semper laudasti: qui instructam ornatamque a senatu provinciam deposui (1), ut incendium patriæ, omissa omni cogitatione, restinguerem. Nemo erit (*b*), præter unum me, (quicum profecto, si quid interesse putasses tua, pro summa familiaritate nostra communicasses) qui credat, te invito provinciam tibi esse decretam. Hanc, quæso, pro tua singulari sapientia reprime famam, atque effice, ne id, quod non curas, cupere videare. Quod quidem eo vehementius tibi laborandum est, quia in eandem cadere suspicionem collega, vir clarissimus, non potest. Nihil horum scit, nihil suspicatur, bellum gerit, in

(1) *Qui instructam, ornatamque a Senatu provinciam deposui*) Confer orat. in Pison. cap. 2.

ANALYSIS.

(a) *Adde istuc*) Rursus attingit primam approbationem *a Consequentibus*, ac deinde tertiam subjicit *ab Exemplo* sui ipsius.

(b) *Nemo erit*) Hinc Pansam hortatur, ut deponat Provinciæ curam, ad evitandam invidiam; nam sicut Hirtius absens omni suspicione carebit, sic præsens Pansa concupivisse provinciam censebitur, nisi palam neget.

acie ſtat, de ſanguine, & de ſpiritu decertat: ante provinciam ſibi decretam audiet, quam potuerit tempus ei rei datum ſuſpicari.

Vereor, ne exercitus quoque noſtri, qui non delectus neceſſitate, ſed voluntariis ſtudiis ſe ad rempublicam contulerunt, tardentur animis, ſi quidquam aliud nobis, niſi de inſtanti bello, cogitatum putabunt. Quod ſi (*a*) provinciæ conſulibus expetendæ videntur, ſicut ſæpe multis clariſſimis viris expetitæ ſunt, reddite prius nobis Brutum, lumen & decus civitatis: qui ita conſervandus eſt, ut id ſignum, quod de cælo delapſum, Veſtæ cuſtodiis continetur (1): quo ſalvo, ſalvi ſumus futuri. Tunc vel in cælum vos, ſi fieri poterit, humeris noſtris tollemus: provincias certe digniſſimas vobis deligemus. Nunc quod agitur, agamus. Agitur autem, liberine vivamus, an mortem obeamus, quæ certe ſervituti anteponenda eſt.

Quid ſi etiam (*b*) affert tarditatem iſta ſententia, ad Dolabellam perſequendum? Quando enim veniet conſul? an id (*c*) expectamus, quo ne veſtigium quidem Aſiæ civitatum atque urbium relinquatur? At mittent (*d*) aliquem de ſuo numero. Valde mihi probari poteſt, qui paulo ante

(1) *Ut id ſignum, quod de cælo delapſum, Veſtæ cuſtodiis continetur*) Palladium, quod inter ſeptem imperii Romani pignora recenſet Servius, in *Æneid.* VII. 188, & in Veſtæ penetralibus cuſtodiebatur. *Idem*.

A N A L Y S I S.

(a) *Quod ſi*) Promittit autem provinciam, ubi victus fuerit Antonius.

(b) *Quid ſi etiam*) Secundo probat inutilem quoque hanc ſententiam futuram, *ab Adjunctis*:

Maxima celeritate Dolabellam perſequi debemus:
Sed Conſules non ſtatim poterunt proficiſci ex Italia;
Ergo inutile eſt Conſules deligere duces in Dolabellam.

(c) *An id*) *Propoſitionis* approbatio.

(d) *At mittent*) Hoc dixerat auctor illius ſententiæ; refellit Cicero, quia non eſt probandus delectus a Conſulibus, cum non ſit probandus Servilius a Senatu delectus, vir omnium digniſſimus.

te clarissimo viro privato imperium extra ordinem non dedi. At hominem dignum mittent. Num P. Servilio digniorem? at eum quidem civitas non habet. Quod ergo ipse (1) nemini putat dandum, ne a senatu quidem, id ego unius judicio delatum comprobem? Expedito (2) (*a*) nobis homine & parato, P. C. opus est, & eo, qui imperium legitimum habeat: qui præterea auctoritatem, nomen, exercitum, perspectum animum in republica liberanda.

XI. Quis igitur (*b*) * is est? aut M. Brutus, aut C. Cassius, aut uterque. Decernerem (*c*) plane, sicut multa (3), consulem alterum, ambosve,

* Lamb. *is est? Aut M. Brutum, aut C. Cassium, aut utrumque decernerem sicut multi consulem alterum &c.*

(1) *Ipse*) Servilius: qui munus illud recusaverat, dixeratque nemini dandum, ne a senatu quidem. Supra: *Quis potest refragari, non modo non petenti, verum etiam recusanti?* Manutius.

(2) *Expedito*) Nullis aliis negotiis impedito. *Fronto Ducæus.*

(3) *Decernerem plane, sicut multa*) Hunc locum perspicue mendosum, Faernus, & Muretus, a libro Vaticano, qui ab hoc loco mutilus est, destituti, intactum reliquerunt. Ego autem servata scriptura recepta, quoad ejus fieri potuit, sic restitui: *aut M. Brutus, aut C. Cassius, aut uterque. Utrumque decernerem plane, sicut multi*, &c. Quis non videt ortum esse mendum ex vocibus *uterque, utrumque*, ita junctis, nulla alia interposita, cum librarius, vel prudens, & sciens, vel imprudens, & errans, alteram præteriisset? *Lamb.*

ANALYSIS.

(a) *Expedito*) Refutatis aliorum sententiis, nunc jam suam de Cassio probat, tali ratione:

Expeditum ducem, & qui legitimum imperium habeat, mittere debemus in Dolabellam;
Sed tales sunt Brutus, & Cassius;
Ergo vel Brutus, vel Cassius mittendus est;
Non Brutus; Ergo Cassius.

Expedito) *Propositio*, quæ ex superioribus manifesta est; nam & celeriter bellum gerendum esse probaverat, & non esse quempiam extra ordinem mittendum.

(b) *Quis igitur*) *Assumptio.*

(c) *Decernerem*) *Subsumptum*, & confirmat non esse eligendum M. Brutum, tum quia illius sibi præsidium & Italia postulat, & Græcia, nondum pulso C. Antonio.

ve, ni Brutum colligassemus in Græcia (1), & ejus auxilium ad Italiam vergere, quam ad Asiam, maluissemus: non ut ex ea acie (2) respectum haberemus, sed ut ipsa acies subsidium haberet etiam transmarinum. Præterea, Patres Conscripti, M. Brutum retinet etiam nunc C. Antonius, qui tenet Apolloniam, magnam urbem & gravem, tenet, opinor, Byllsidem, tenet Amantiam, instat Epiro, urget Illyricum, habet aliquot cohortes, habet equitatum. Hinc si Brutus erit traductus ad aliud bellum, Greciam certe amiserimus. Est autem etiam de Brundusio, atque illa ora Italiæ providendum. Quamquam miror tandiu morari Antonium. Solet enim accipere ipse manicas (3), nec diutius obsidionis metum sustinere. Quod si confecerit (*a*) Brutus, & intellexerit plus se reipublicæ profuturum, si Dolabel-

(1) *Brutum colligassemus in Græcia*) Hoc dixit, propter senatusconsultum, quo senatus ei provinciam Macedoniam, Illyricum, cunctamque Græciam decreverat, mandaveratque, ut cum suis copiis proxime Italiam esset. *Ferrat.*

(2) *Non ut ex ea acie*) Explicat hunc locum egregie contra Gabr. Faernum Schottus noster, libro 1. Nodor. Cic. cap. 15. *Grut.* Locum hunc comploratum esse judico, nec sine meliore libro restitui, nec, ut nunc habet, explicari posse. Nam optimi Schotti interpretatio quam parum his, de quibus Cicero disputat, convenit. Hunc locum itaque comploratum, cui manus admovere vetat Hippocrates, mitto. Hanc quidem Ciceronis sententiam fuisse puto, quod & alii viderunt: Non ideo M. Brutum in Græcia retineri, ut ex ejus copiis haberent, quod in alias terras mitterent; sed ut respublica in illius exercitu haberet, ubi res exigeret, subsidium. Quæ Ciceronis verba fuerint ignoro. Nam *acies* simpliciter pro exercitu accipi, & quidem apud Tullium, nemo, qui Tullium legit, sibi persuaserit. *Græv.* Vulg. *non ut eo ex acie.*

(3) *Solet enim accipere ipse manicas*) Quas capiebant, credo, iter facturi, quibus brachia muniebant nuda contra injurias cæli, ut pileis capita. Id igitur Cicero innuit: Solet non diu morari in illis locis, ad quæ appropinquare audit sibi adversantes copias, sed celeriter adornare fugam, tamquam homo mollis & effeminatus. Horum enim erant manicæ, quæ viris apud Romanos vitio vertebantur. Mallem in sequentibus pro *diutius* scribere *diu*, nisi illud hac notione positum hic sit. *Idem.*

A N A L Y S I S.

(a) *Quod si confecerit*) Tum quia, pulso C. Antonio, id per se præstitisset Brutus, ut alia multa fecerat, non expectato Senatus decreto.

labellam persequatur, quam si in Græcia maneat, aget ipse per se, ut adhuc quoque fecit: neque in tot incendiis, quibus confestim succurrendum est, expectabit senatum. Nam & Brutus (1) (*a*), & Cassius multis jam in rebus ipse sibi senatus fuit. Necesse est enim in tanta conversione & perturbatione omnium rerum, temporibus potius parere, quam moribus. Nec enim nunc primum aut Brutus, aut Cassius salutem libertatemque patriæ, legem sanctissimam & morem optimum judicavit. Itaque si ad nos nihil referretur de Dolabella persequendo, tamen ego pro decreto putarem, cum essent tales virtute, auctoritate, nobilitate summi viri, quorum alterius jam notus nobis est exercitus, alterius auditus.

XII. Non igitur Brutus (*b*) expectavit decreta nostra, cum studia nosset. Neque enim est in provinciam suam Cretam profectus: in Macedoniam alienam advolavit: omnia sua putavit, quæ vos vestra esse velletis: legiones conscripsit novas, excepit veteres: equitatum ad se abduxit Dolabellæ, atque eum nondum tanto parricidio oblitum, hostem sua sententia judicavit. Nam ni ita esset, quo jure equitatum a consule abduceret? Quid? C. Cassius (*c*), pari magnitudine animi & consilii

(1) *Nam & Brutus*) Multa susceperant & confecerant privato consilio, nullaque publica auctoritate Brutus & Cassius. Quamobrem nunc eorum acta conatur hac sententia defendere. Quod cum aliqua perturbatio est orta reipublicæ, & extraordinarius tumultus concitatus, inusitata sunt etiam adhibenda remedia, & præsentissima; neque semper necesse est imperium expectare magistratuum, si, quod agendum est, videtur e republica futurum. *Ducæus*.

ANALYSIS.

(a) *Nam & Brutus*) *Assumptionis* approbatio de utroque primum, quos expeditos Duces, integros, & de Rep. bene sentientes esse ostendit.

(b) *Non igitur Brutus*) Mox singillatim de Bruto.

(c) *Quid? C. Cassius*) Tertio de Cassio, cujus consilium in occupanda Syria defendit argumento *ab Effectis*:

Id lege, & jure fit, quod est Reip. salutare;

Sed

filii præditus, nonne eo ex Italia consilio profectus est, ut prohiberet Syria Dolabellam? qua lege? quo jure? eo, quod Jupiter ipse sanxit, ut omnia, quæ reipublicæ salutaria essent, legitima & justa haberentur. Est enim lex nihil aliud, nisi recta & a numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria. Huic igitur legi paruit Cassius, cum est in Syriam profectus, alienam provinciam, si homines legibus scriptis uterentur, his vero oppressis, suam lege naturæ.

Sed ut ea (*a*) vestra quoque auctoritate firmetur censeo: „ CUM P. Dolabella, quique e-
„ jus crudelissimi & teterrimi facinoris ministri,
„ socii, adjutores fuerunt, hostes populi Romani
„ a senatu judicati sint, cumque senatus P. Do-
„ labellam bello persequendum censuerit, ut is,
„ qui omnia deorum hominumque jura novo, in-
„ audito, inexpiabili scelere polluerit, nefarioque
„ patriæ se parricidio obstrinxerit, pœnas diis ho-
„ minibusque meritas debitasque persolvat: sena-
„ tui placere, C. Cassium, proconsulem, provin-
„ ciam Syriam obtinere, uti qui eam optimo jure
„ provinciam obtinuerit: eumque a Q. Marcio
„ Crispo, proconsule, L. Statio Murco, proconsu-
„ le, A. Allieno, legato, exercitus accipere, eos-
„ que ei tradere: cumque his copiis, & si quas
„ præterea paraverit, bello P. Dolabellam terra
„ marique persequi: ejus belli gerendi causa, qui-
„ bus ei videatur, naves, nautas, pecuniam, cæ-
„ teraque, quæ ad id bellum gerendum perti-
„ neant, ut imperandi in Syria, Asia, Bithynia,
„ Pon-

ANALYSIS.

Sed utile est Reip. Cassium Syriæ præesse;
Ergo lege, & jure in Syriam provinciam profectus est Cassius.
Propositio probatur *a Definitione* legis.

(a) *Sed ut ea*) *Complexionis* loco suam affert sententiam, & quibus verbis de Cassio fieri velit S. C. quod tamen non obtinuit in argumento.

„ Ponto, jus potestatemque habeat: utque, quamcunque in provinciam ejus belli gerendi causa „ advenerit, ibi majus imperium C. Cassii pro- „ consulis sit, quam ejus erit, qui eam provin- „ ciam tum obtinebit, cum C. Cassius proconsul „ in eam provinciam venerit. Regem Dejotarum pa- „ trem, & regem Dejotarum filium, si, ut multis „ bellis sæpenumero imperium populi Romani ju- „ verint, item C. Cassium proconsulem copiis suis, „ opibusque juvissent, senatui, populoque Roma- „ no gratum esse facturos: itemque si cæteri re- „ ges, tetrarchæ, dynastæque fecissent, senatum, „ populumque Romanum eorum officii non imme- „ morem futurum: utique C. Pansa, A. Hirtius, „ consules, alter ambove, si eis videretur, repu- „ blica recuperata, de provinciis consularibus, præ- „ toriis, ad hunc ordinem primo quoque tempore „ referant: interea provinciæ ab iis, a quibus ob- „ tinentur, obtineantur, quoad cuique ex sena- „ tusconsulto successum sit.

XIII. Hoc senatusconsulto (*a*) ardentem inflammabitis, & armatum armabitis Cassium. Nec enim animum ejus potestis ignorare, nec copias. Animus is est, quem videtis; copiæ, quas audistis, fortis & constantis viri, qui ne vivo quidem Trebonio Dolabellæ latrocinium in Syriam penetrare sivisset. Allienus, familiaris & necessarius meus, post interitum Trebonii profectus, ne dici quidem se legatum Dolabellæ volet. Est Q. Cæcilii Bassi, privati illius quidem, sed fortis & præclari viri, robustus & victor exercitus.

Dejotari regis & patris, & filii, & magnus, & no-

ANALYSIS.

(a) *Hoc Senatusconsulto*) Excitat *Confidentiam* ex Arist. l. 2. c. 5. t. 59. copias enim extollit, & auxilia, ubi maxime Dejotarum laudat a fide, & constantia in Remp., & Cassium Ducem peritum, & fortem esse probat a rebus illius gestis.

nostro more instructus exercitus: summa in filio spes, summa ingenii indoles, summa virtus. Quid de patre dicam? cujus benevolentia in populum Romanum est ipsius æqualis ætati, qui non solum socius imperatorum nostrorum fuit in bellis, verum etiam dux copiarum suarum. Quæ de illo viro Sylla, quæ Murena, quæ Servilius, quæ Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quam graviter sæpe in senatu prædicaverunt? Quid de Cn. Pompejo loquar? qui unum Dejotarum in toto orbe terrarum ex animo amicum vereque benevolum, unum fidelem populo Romano judicavit. Fuimus imperatores ego & M. Bibulus in propinquis finitimisque provinciis. Ab eodem rege adjuti sumus & equitatu, & pedestribus copiis. Secutum est hoc acerbissimum & calamitosissimum civile bellum, in quo quid faciendum Dejotaro? Quid omnino rectius fuerit, dicere non est necesse: præsertim cum contra, ac Dejotarus sensit, victoria belli judicarit. Quo in bello si fuit error, communis ei fuit cum senatu: sin recta sententia, ne victa quidem causa vituperanda est. Ad has copias accedent alii reges, etiam delectus accedent. Neque vero classes deerunt: tanti Tyrii Cassium faciunt, tanti ejus in Syria nomen (1), atque Phœnice est.

XIV. Paratum habet imperatorem, C. Cassium, Patres Conscripti, respublica contra Dolabellam, nec paratum solum, sed peritum atque fortem. Magnas ille res gessit ante Bibuli summi viri adven-

(1) *Tanti Tyrii Cassium faciunt, tanti ejus in Syria nomen*) Quoniam erant mari propinquæ regiones, in quibus gerendum Cassius bellum habebat, opus ei erat navalibus copiis, quas dicit Cicero non defuturas; suppeditantibus, propter insignem viri famam atque existimationem, Tyriis, Syris, Phœnicibus: qui omnes rei nauticæ peritia, & navium multitudine commendati. Hieronymus Ferrarius reponendum censebat, *tantum ejus.... nomen*, ut esset illi simile, *quantum nomen ejus fuerit* in Orat. pro Dejot. cap. 4. *Idem*.

ventum, cum Pacori (1) nobilissimos duces, maximasque copias fudit, Syriamque immani Parthorum impetu liberavit. Maximam ejus & singularem laudem prætermitto. Cujus enim prædicatio nondum omnibus grata est, hanc memoriæ potius, quam vocis testimonio conservemus.

Animadverti (*a*), Patres Conscripti, dici jam a quibusdam, exornari etiam nimium a me Brutum, nimium Cassium ornari: Cassio vero sententia mea dominatum & principatum dari. Quos ego orno? nempe eos, qui ipsi sunt ornamenta reipublicæ. Quid? D. Brutum nonne omnibus sententiis semper ornavi? num igitur reprehenditis? an Antonios potius ornarem, non modo suarum familiarum, sed Romani nominis probra atque dedecora? an Censorinum ornem, in bello hostem, in pace sectorem? an cætera ex eodem latrocinio naufragia colligam? Ego vero istos otii, concordiæ, legum, judiciorum, libertatis inimicos tantum abest ut ornem, ut effici non possit, quin eos tam oderim, quam rempublicam diligo.

Vide, inquit, (*b*) ne veteranos offendas: hoc enim

(1) *Cum Pacori*) Parthos duce Pacore Regis Orodis filio Euphratem transiisse, fusosque a Cassio, cæsosque fuisse etiam ex Epist. ad Atticum apparet. *Ferrarius*. Vulg. *Parthorum*.

ANALYSIS.

(a) *Animadverti*) Ultimo occurrit cuidam *Prolepsi*; nimium ornari Brutum, & Cassium, & fore periculum, ne Veterani offendantur; primum illud sic refutat *ab Adjunctis*:

Viri boni, & moderati ornari possunt sine periculo;
Tales sunt Brutus, & Cassius;
Ergo eos tuto, & sine reprehensione ornare possumus.

Propositionem confirmat *a Pari*; nam eadem de causa sine ulla reprehensione D. Brutus etiam ornatus fuerat; & *a Contrariis*, quia non erat ornandus Antonius, ejusque satellites, homines perditi, & Reip. hostes.

(b) *Vide inquit,*) Alterum de Veteranis ita *per Distributionem* diluit:

Aut ii Veterani timendi sunt, qui sequuntur Cæsarem, aut qui pro neutris stant, aut qui sunt cum Antonio;
Sed nulli timendi sunt;
Ergo nullum est periculum, ne Veteranos offendamus.

enim vel maxime exaudio. Ego vero (*a*) veteranos tueri debeo; sed hos, quibus sanitas est certe timere non debeo. Eos veteranos, qui pro republica arma ceperunt, secutique sunt C. Cæsarem auctoritate beneficiorum paternorum, hodieque rempublicam defendunt cum magno periculo, non tueri solum, sed etiam commodis augere debeo. Qui autem quiescunt, ut sexta & octava legio, in magna gloria & laude ponendos puto. Comites vero Antonii, qui postquam beneficia Cæsaris comederunt, consulem designatum obsident, huic urbi ferro ignique minitantur, Saxæ se & Caphoni tradiderunt, ad facinus prædamque natis, num quis est, qui tuendos putet? Ergo aut boni sunt, quos etiam ornare; aut quieti, quos conservare debemus; aut impii, quorum contra furorem, & bellum, & justa arma cepimus.

XV. Quorum igitur (*b*) veteranorum animos ne offendamus, veremur? Eorumne, qui D. Brutum obsidione cupiunt liberare? quibus cum Bruti salus cara sit, qui possunt Cassii nomen odisse? An eorum, qui utrisque armis vacant? non vereor, ne acerbus civis quisquam istorum sit, qui otio delectantur. Tertio vero generi non militum veteranorum, sed importunissimorum hostium, cupio quam acerbissimum dolorem inurere. Quanquam (*c*), Patres Conscripti, quousque dicemus sententias veteranorum arbitratu? quod eorum tan-

ANALYSIS.

(a) *Ego vero*) Dividit in tria genera Veteranos, & ut unumquodque bene, vel male de Rep. mereatur, exponit.

(b) *Quorum igitur*) *Assumptionis* approbatio.

(c) *Quanquam*) Tandem esse turpe ait, omnia ad eorum nutum agere; probatque pluris faciendos esse Tyrones milites, quam Veteranos, *ab Adjunctis*:

Ii pluris faciendi sunt, qui vincunt numero, ætate, & auctoritate;

Tyrones plures sunt, & juniores, adeoque plus valent, quam Veterani;

Ergo pluris faciendi sunt Tyrones, quam Veterani.

:antum fastidium est, quæ tanta arrogantia, ut ad arbitrium illorum imperatores etiam deligamus? Ego autem (dicendum est enim, Patres Conscripti, quod sentio) non tam veteranos intuendos nobis arbitror, quam quid tirones milites, flos Italiæ, quid novæ legiones, ad liberandam patriam paratissimæ, quid cuncta Italia de vestra gravitate sentiat. Nihil enim (*a*) semper floret: ætas succedit ætati. Diu legiones Cæsaris viguerunt; nunc vigent Pansæ, vigent Hirtii, vigent Cæsaris filii, vigent Planci: vincunt numero, vincunt ætatibus: nimirum etiam auctoritate vincunt. Id enim bellum gerunt, quod ab omnibus gentibus comprobatur. Itaque (*b*) his præmia promissa sunt, illis persoluta. Fruantur his illi, persolvantur his, quæ spopondimus. Id enim deos immortales spero æquissimum judicare.

Quæ cum ita sint, eam, quam dixi, sententiam, vobis, Patres Conscripti, censeo comprobandam.

ANALYSIS.

(a) *Nihil enim*) Id autem confirmatur a conditione rerum humanarum, ut minus progressu temporis valeat, quod plus aliquando valebat.

(b) *Itaque*) *Conclusio* quoad *Prolepsim*, cui statim subjicit universalem etiam totius Orationis *Conclusionem*.



IN

IN
M. ANTONIUM
PHILIPPICA XII.
ARGUMENTUM.

Retulerat Pansa consul de legatis iterum ad Antonium de pace mittendis: legati decreti era P. Servilius, & ipse Cicero. Legationem non mo supervacaneam esse, cum ab Antonio pacem spera non liceat, sed inutilem etiam, ac turpem, multi argumentis Cicero docet: quod si rursus agendum d pace cum Antonio sit, minime tamen omnium se le gatum deligi oportere; nec tamen in ea re vitæ su majorem quam reipublicæ, quam semper defenderit, rationem habere velle. MAN.

PHILIPPICÆ XII. SYNOPSIS.

HÆc Oratio est in genere *Deliberativo*, an iterum mittendi sint legati ad Antonium; Partes vero omnino duæ, *Exordium*, & *Contentio*.

In *Exordio* excusat suum errorem, quod assensus fuerat S. C. de legatis mittendis, *a Caussis: Nam cum duo Consulares*; & malitiose ab amicis Antonii probat factam mentionem pacis: *Negat Piso scire se*.

In *Contentione* ostendit in primis *a Genere*, licet factum fuerit S. C. de missione legatorum, tamen contrarium decerni posse: *At non est integrum*.

Legationem de pace reprehendit *a Consequentibus*, quippe bello gerendo perniciosam: *Quid enim, per Deos immortales!* Cum Antonio nullam fieri posse

posse pacem *ab Adjunctis* personæ probat: *Quid, si ne potest;* & Pisonis dictum quoddam cavillatur cum adhortatione ad Consulem: *L. Pisonis amplissimi viri.*

Si mittendi sint legati, se minime legatum esse debere ostendit *ab Adjunctis* personæ; tum quia ipse Cicero erat inimicus Antonii, & dissuasor pacis: *Quod si habenda*; tum quia multas ab Antonio, ejusque satellitibus injurias acceperat: *Quod si de Antonio non laboratis.*

Probat *a Comparatione minorum*, se cum evidenti vitæ periculo legationem illam suscepturum: *Hic, cum in urbe essem*; timiditatis suspicionem avertit *a Causis*: *Timide hoc dicam*. Congressum ipsum cum Antonio probat *ab Adjunctis* loci sibi esse periculosum, Reip. inutile: *Sed effugi insidias*; ultimo subjicit *Conclusionem* totius Orationis: *Hæc cum ita sint.*

EXORDIUM.

I. ETsi (*a*) minime decere videtur, Patres Conscripti, falli, decipi, errare eum, cui vos maximis sæpe de rebus assentiamini, consolor me tamen, quoniam vobiscum pariter, & una cum sapientissimo consule erravi (1). Nam cum duo

(1) *Erravi*) Cum Pisoni, & Caleno, legatis, spem pacis afferentibus, credidi. *Man.*

ANALYSIS.

(*a*) *Etsi*) In *Exordio* duo præstat, accusat se ipse, quod S. C. de mittendis legatis assensus fuerat, probatque malitiose ab amicis Antonii factam mentionem pacis; excusatio quidem sic se habet *a Causis*:

Antonii amicissimis credere debui de Antonio, & Consuli hortatori;

Sed familiares Antonii pacem offerebant, hortabatur Consul, probabant Patres;

Ergo & Cicero debuit credere, sincere agi de pace.

duo (*a*) consulares spem honestæ pacis nobis attulissent, quod erant familiares M. Antonii, quod domestici, nosse aliquod ejus vulnus, quod nobis ignotum esset, videbantur. Apud alterum (1) uxor, liberi: alter (2), quotidie literas mittere, accipere, aperte favere Antonio.

Hi subito hortari ad pacem, quod jamdiu non fecissent, non sine causa videbantur. Accessit consul hortator. At qui consul? si prudentiam quærimus, qui minime falli posset; si virtutem, qui nullam pacem probaret, nisi Antonio cedente, atque victo; si magnitudinem animi, qui *præferret* mortem servituti. Vos autem, Patres Conscripti, non tam immemores vestrorum gravissimorum decretorum videbamini, quam spe allata * deditionis, quam amici pacem appellarent, de imponendis, non de accipiendis legibus cogitare. Auxerat autem meam quidem spem, credo item vestram, quod domum Antonii afflictam mœstitia audiebam, lamentari uxorem. Hic etiam fautores Antonii, quorum in vultu habitant oculi mei, tristiores videbam. Quod si non ita est, cur a Pisone & a Caleno potissimum, cur hoc tempore, cur tam improviso, cur tam repente pacis est facta mentio? Negat Piso (*b*) se scire, negat audisse quidquam: negat Calenus rem ullam novam allatam esse.

* Grut. (*deditionem quam amici, pacem appellarent alieni*)
(1) *Alterum*) Calenum. *Idem*.
(2) *Alter*) Piso. *Idem*.

A N A L Y S I S.

(a) *Nam cum duo*) *Propositionis* approbatio, ideo enim putabam facere eos mentionem pacis, quod Antonium viderent perditum iri, si bellum gereretur; amplificat autem *ab Adjunctis* personarum, & mœstæ domus Antonii.

(b) *Negat Piso*) Malitiose factam mentionem pacis ab amicis Antonii, sic ostendit:

Malitiose agit, qui negat se scire, quod antea affirmavit;
Sed post factum S. C. de mittendis legatis, negant, quod, ut illud fieret, pro certo affirmabant;
Ergo malitiose mentionem pacis fecerunt.

Negat Piso) *Assumptio*, quam infra etiam clarius exponit.

esse. Atque id nunc negant, posteaquam nos pacificatoria legatione implicatos putant. Quid ergo (*a*) opus est novo consilio, si in re nihil omnino novi est?

II. Decepti, decepti, inquam, sumus, Patres Conscripti: Antonii est acta causa ab amicis ejus, non publica. Quod videbam (*b*) equidem, sed quasi per caliginem. Præstrinxerat aciem animi D. Bruti salus. Quod si in bello dari vicarii solerent, libenter me, ut D. Brutus emitteretur, pro illo includi paterer. Atque hac voce Q. Fufii capti sumus: *Ne si a Mutina quidem recesserit, audiamus** *Antonium? ne si in senatus quidem potestate futurum se dixerit?* Durum videbatur. Itaque fracti sumus; cessimus. Recedit igitur a Mutina? Nescio. Paret senatui? Credo, inquit Calenus: sed ita, ut teneat dignitatem. Valde hercule vobis laborandum est, Patres Conscripti, ut vestram dignitatem amittatis, quæ maxima est: Antonii, quæ neque est ulla, neque esse potest, retineatis: ut eam per vos recuperet, quam per se perdidit. Si jacens (*c*) vobiscum ** aliquid ageret, audirem fortasse: quanquam... sed hoc malo dicere, audirem. Stanti resistendum est, aut concedenda una cum dignitate libertas.

CONTENTIO.

At non est (*d*) integrum. Constituta legatio

 est.

* Vulg. *audiemus*. ** Vulg. *si jacens id nobiscum ageret*.

ANALYSIS.

(a) *Quid ergo*) *Complexio*.

(b) *Quod videbam*) Ad conciliandam *benevolentiam*, suum in D. Brutum amorem attestatur.

(c) *Si jacens*) *Propositio* Orationis; nullos esse mittendos ad Antonium legatos.

(d) *At non est*) Antequam probet, nullos esse mittendos legatos, occurrit cuidam *Prolepsi*, quasi, facto jam S. C. de legatione,

est. Quid autem (*a*) integrum non est sapienti, quod restitui potest? Cujusvis hominis est errare: nullius, nisi insipientis, in errore perseverare. Posteriores enim cogitationes (ut ajunt) sapientiores solent esse. Discussa est (*b*) illa caligo, quam paulo ante dixi: diluxit, patet, videmus omnia, neque per nos solum, sed admonemur a nostris. Attendistis paulo ante, præstantissimi viri quæ esset oratio. *Mœstam*, inquit, *domum offendi*, *conjugem*, *liberos*: *admirabantur boni viri*, *accusabant amici*, *quod spe pacis legationem suscepissem*. Nec mirum, P. Servili. Tuis enim verissimis gravissimisque sententiis omnis est, non dico dignitate, sed etiam spe salutis spoliatus Antonius.

Ad eum ire te legatum quis non miraretur? De me experior: cujus idem consilium, quod tuum, sentio quam reprehendatur. Nos reprehendimur soli? quid? vir fortissimus Pansa sine causa tam accurate paulo ante locutus est tamdiu? quid egit, nisi uti falsam proditionis * a se suspicionem depelleret? Unde autem est ista suspicio? Ex pacis patrocinio repentino, quod subito suscepit, eodem captus errore, quo nos. Quod si est (*c*) erratum, Patres Conscripti, spe falsa atque fallaci, redeamus in viam. Optimus est portus pœnitenti mutatio consilii.

III.

* in Vulg. deest *proditionis*.

ANALYSIS.

ne, contrarium decerni amplius non posset; respondet autem Cicero, & argumentatur *a Genere:*

Ubi est erratum, satius est pœnitere, quam in errore perseverare;
Sed a nobis erratum est;
Ergo mutare consilium debemus, non perseverare in errore.

(a) *Quid autem*) *Propositio*, quæ veteris Poetæ testimonio confirmatur.

(b) *Discussa est*) *Assumptionis* approbatio; neque enim reprehenderentur Servilius, & Cicero, quod ire vellent ad Antonium legati; neque se Consul purgaret, illius auctor sententiæ, nisi erratum fuisset in legatione decernenda.

(c) *Quod si est*) *Complexio*.

III. Quid enim (*a*), per deos immortales! potest reipublicæ prodesse nostra legatio? Prodesse dico? quid si etiam obfutura est? Obfutura? quid si jam obfuit? An vos acerrimam illam & fortissimam populi Romani libertatis recuperandæ cupiditatem, non imminutam ac debilitatam putatis legatione pacis audita? Quid municipia censetis? quid colonias? quid cunctam Italiam? futuram eodem studio, quo contra commune incendium exarserat? an non putamus fore, ut eos pœniteat professos esse, & præ se tulisse odium in Antonium, qui pecunias polliciti sunt, qui arma, qui se totos & animis, & corporibus in salutem reipublicæ contulerunt? Quemadmodum vestrum hoc consilium Capua probabit, quæ temporibus his Roma altera est? illa impios cives judicavit, ejecit, exclusit. Illi, illi, inquam, urbi fortissime conanti e manibus est ereptus (1) Antonius.

Quid? legionum nostrarum nervos nonne his consiliis incidimus? quis est enim, qui ad bellum inflammato animo sit futurus, spe pacis oblata? Ipsa illa Martia, cælestis & divina legio, hoc nuntio languescet, & mollietur, atque illud pulcherrimum nomen Martium amittet: excident gladii: fluent arma de manibus. Senatum enim secuta, non arbitrabitur se graviori odio in Anto-

(1) *E manibus est ereptus*) Philip. II. *Quemadmodum illinc abieris, vel potius pene non abieris, scimus.* Manut. Vide Philip. II. 39.

ANALYSIS.

(a) *Quid enim*) Jam vero legationem de pace improbat *a Consequentibus:*

Id nullo modo pati debemus, quo frangi possunt animi omnium, qui pugnant contra Antonium;

Sed hac missa legatione, frangentur omnium animi, qui pugnant contra Antonium;

Ergo nullo modo hanc iterum legationem mittere nos debemus.

Assumptio fuse amplificatur, enumeratis omnibus, qui vel armis, vel studiis favebant Senatui in bello contra M. Antonium, ut legenti patebit.

nium esse debere, quam senatum. Pudet hujus legionis, pudet quartæ, quæ pari virtute nostram auctoritatem probans, non ut consulem & imperatorem suum, sed ut hostem & oppugnatorem patriæ reliquit Antonium: pudet optimi exercitus qui conjunctus est ex duobus (1): qui jam lustratus (2), qui profectus ad Mutinam est: qui si pacis, id est, timoris nostri, nomen audiverit ut non referat pedem, insistet certe. Quis enim revocante, & receptui canente senatu, properet dimicare?

IV. Quid autem hoc injustius, quam nos, inscientibus iis, qui bellum gerunt, de pace decernere? nec solum inscientibus, sed etiam invitis? An vos A. Hirtium, præclarissimum consulem, C. Cæsarem, deorum beneficio natum ad hæc tempora, quorum epistolas, spem victoriæ declarantes, in manu teneo, pacem velle censetis? Vincere illi expetunt: pacisque dulcissimum & pulcherrimum nomen non pactione, sed victoria concupierunt. Quid? Galliam quo tandem animo hanc rem audituram putatis? Illa enim hujus belli propulsandi, administrandi, sustinendi principatum tenet. Gallia D. Bruti nutum ipsum, ne dicam imperium, secuta, armis, viris, pecunia, belli principia firmavit: eadem crudelitati M. Antonii suum totum corpus objecit: exhauritur, vastatur, uritur. Omnes æquo animo belli patitur injurias, dummodo repellat periculum servitutis. Et, ut omittam reliquas partes Galliæ, (nam sunt omnes pares) Patavini alios excluserunt, alios ejecerunt, missos ab Antonio: pecunia, militibus, &, quod maxime deerat, armis, nostros duces adjuverunt. Fecerunt idem reliqui, qui quondam in eadem causa

(1) *Ex duobus*) Exercitum Hirtii significat, cum Cæsaris exercitu conjunctum. *Idem*.

(2) *Lustratus*) Lustrari, id est, expiari exercitus mos fuit, prius quam in expeditionem educerentur. *Idem*.

caussa erant, & propter multorum annorum injurias alienati a senatu putabantur. Quos minime mirum est, communicata cum his republica, fideles esse, qui etiam expertes ejus, fidem suam semper præstiterunt.

V. His igitur (*a*) omnibus victoriam sperantibus pacis nomen afferemus, id est, desperationem victoriæ? Quid, si (*b*) ne potest quidem ulla esse pax? Quæ enim est conditio pacis, in qua ei, cum quo pacem facias, nihil concedi potest? Multis rebus (*c*) a nobis ad pacem est invitatus Antonius: bellum tamen maluit. Missi legati, repugnante me, sed tamen missi. Delata mandata: non paruit. Denuntiatum est, ne Brutum obsideret, a Mutina discederet: oppugnavit etiam vehementius. Et ad eum legatos de pace mittemus, qui pacis nuntios repudiavit? Verecundioremne coram putamus in postulando fore, quam fuerit tum, cum misit mandata ad senatum? Atqui tum (*d*) ea petebat, * quæ videbantur improba omnino, sed tamen aliquo modo posse concedi: nondum erat vestris tam gravissimis, tamque multis judiciis, ignominiisque concisus: nunc ea petit, quæ dare nullo modo possumus, nisi prius volumus nos bello victos confiteri. Senatusconsulta falsa delata ab eo judicavimus: num ea vera possumus judicare? Leges statuimus per vim & con-

* Vulg. *postulabat*.

ANALYSIS.

(a) *His igitur*) *Complexio*.

(b) *Quid, si*) Pacem deinde fieri non posse, ita in primis *ab Adjunctis* ostendit:

Cum eo fieri pax non potest, qui pacem recusavit, cui nihil potest remitti, & homo est immanissimus;
M. Antonius pacem recusavit, nihil remitti illi potest, & homo est immanissimus;
Ergo nulla pax fieri potest cum Antonio.

(c) *Multis rebus*) *Assumptionis* prima pars.

(d) *Atqui tum*) Secunda; notandum est autem, Antonium, cum primi legati missi sunt, postulasse, ut suamet acta confirmarentur, Phil. 8. quæ postea Senatus resciderat.

contra auspicia latas, iisque nec populum, nec plebem teneri: num eas restitui posse censetis? Sestertium septies millies avertisse Antonium pecuniæ publicæ judicavistis: num fraude poterit carere peculatus? Immunitates ab eo civitatibus, sacerdotia, regna venierunt: num figentur rursus eæ tabulæ, quas vos decretis vestris refixistis?

VI. Quod si ea (*a*), quæ decrevimus, obruere, num etiam memoriam rerum delere possumus? Quando enim obliviscetur ulla posteritas, cujus scelere in hac vestitus fœditate fuerimus? Ut centurionum legionis Martiæ Brundusii profusus sanguis eluatur, num elui prædicatio crudelitatis potest? Ut media prætercam; quæ vetustas tollet operum circa Mutinam tetra monumenta, sceleris indicia, latrociniique vestigia?

Huic igitur importuno atque impuro parricidæ quid habemus, per deos immortales! quod remittamus? An Galliam (*b*) ultimam, & exercitum? Quid est aliud (*c*), non pacem facere, sed differre bellum? nec solum prorogare bellum, sed concedere etiam victoriam? An ille non (*d*) vicerit, quacunque conditione in hanc urbem cum suis venerit? Armis nunc omnia tenemus: auctoritate valemus

ANALYSIS.

(a) *Quod si ea*) Tertia pars de crudelitate Antonii.

(b) *An Galliam*) Ne Galliam quidem ulteriorem concedendam esse Antonio probat, aut reditum in urbem, ducto argumento a *Consequentibus*:

Neque differre bellum debemus, neque Civitatem in extremum discrimen adducere;

Si demus Galliam ulteriorem Antonio, differtur bellum, non tollitur; si reditum in urbem, Civitas in extremum discrimen adducitur;

Ergo neutrum Antonio concedendum est.

(c) *Quid est aliud*) Primum membrum de Gallia ulteriori, quod sæpe etiam alibi tractatur; Phil. 7. 8. 13.

(d) *An ille non*) Alterum membrum *Assumptionis* confirmatur *a majori ad minus*:

Nunc armati vix resistimus paucis improbis, qui sunt in Urbe;

Ergo simul omnibus minus resistemus, ubi arma posuerimus.

lemus plurimum: absunt tot perditi cives, nefarium secuti ducem. Tamen eorum ora, sermones, qui in urbe ex eo numero relicti sunt, ferre non possumus. Quid censetis, cum tot uno tempore irruperint, nos arma posuerimus, illi non posuerint? nonne nos nostris consiliis victos in perpetuum fore?

Ponite ante oculos M. Antonium consularem: sperantem consulatum Lucium adjungite: supplete cæteros, neque nostri ordinis solum honores & imperia meditantes: nolite ne Tirones quidem, Numisios, & Mustelas, Saxasve * contemnere. Cum his facta pax, non erit pax, sed pactio servitutis. L. Pisonis (a), amplissimi viri, præclara vox a te non solum in hoc ordine, Pansa, sed etiam in concione jure laudata est. Excessurum se ex Italia dixit, deos penates & sedes patriam relicturum, si (quod dii omen averterint) rempublicam oppressisset Antonius.

VII. Quæro igitur a te, Piso, nonne oppressam rempublicam putes, si tot, tam impii, tam audaces, tam facinorosi recepti sint? Quos nondum tantis parricidiis contaminatos vix ferebamus, hos nunc omni scelere coopertos, tolerabiles censes civitati fore? Aut isto tuo, mihi crede, consilio erit utendum, ut cedamus, abeamus, vitam inopem & vagam persequamur, aut cervices latronibus dandæ, atque in patria cadendum est.

Ubi sunt, C. Pansa, illæ cohortationes pulcherrimæ tuæ, quibus a te excitatus senatus, inflammatus populus Romanus non solum audivit, sed etiam didicit, nihil esse homini Romano fœdius servitute? Idcircone saga sumpsimus, arma cepimus,

* Vulg. *Sejosve*.

ANALYSIS.

(a) *L. Pisonis*) Hinc dictum quoddam L. Pisonis cavillatur, & vehementi cohortatione Pansam Consulem inflammat ad bellum fortiter, constanterque gerendum.

mus, juventutem omnem ex tota Italia excussimus, * ut exercitu florentissimo & maximo legati ad pacem mitterentur? Si postulandam, quid timemus? (1) si accipiendam, cur non rogamur? In hac ego (*a*) legatione sim, aut ad id consilium (2) admiscear, in quo, ne si dissensero quidem a cæteris, sciturus populus Romanus sit! Ita fiet, ut, si quid remissum aut concessum sit, meo semper periculo peccet Antonius, cum ei peccandi potestas a me concessa videatur.

Quod si habenda cum M. Antonii latrocinio pacis ratio fuit, mea tamen persona ad istam pacem conciliandam minime fuit deligenda. Ego nunquam (*b*) legatos mittendos censui: ego ante legatorum reditum ausus sum dicere, pacem ipsam si afferrent, quoniam sub nomine pacis bellum

* Vulg. *excivimus*.

(1) *Si postulandam, quid timemus?*) In antiquo libro & omnibus scriptis, hæc quæ jam posuimus verba sequuntur infra scripta: *Si accipiendam, cur non rogamur?* ubi in impressis hæc duo membra præpostero ordine collocata sunt. Nos collocationem antiquam admittimus hoc sensu. Si legati hi, quos ad pacem mittere cogitatis, idcirco mittuntur, ut ab his nostro nomine pacem accipiat Antonius, cur ab eo non rogamur? Quasi dicat, rogandi essemus, si modo ille pacem cuperet accipere. Si vero eunt, ut pacem nobis ab Antonio postulent, quid timemus? Non enim debemus timere, tot exercitibus præsidiisque muniti. *Faernus*.

(2) *Ad id consilium*) In eorum numero sim, qui agant cum Antonio de pace? Nam si quid indulgenter concessum fuerit Antonio, dissentiente me, populus tamen existimabit, me quoque assensum dedisse. *Ferr*.

ANALYSIS.

(a) *In hac ego*) Transitus hic est ad alteram partem *Contentionis:* si enim postulandæ sunt conditiones pacis ab Antonio, ego nunquam assentiar, neque tamen sciet populus Rom. me non fuisse assensum; adeoque certa mihi imminet infamia, si fuero Legatus. Sed multis etiam rationibus id pertractat; 1. quidem *ab Adjunctis*:

Ille non est mittendus legatus de pace ad Antonium, qui illius est inimicissimus, & pacem semper dissuasit;
Sed ego inimicissimus Antonii sum, & semper dissuasi pacem;
Ergo non sum ego mittendus legatus ad Antonium de pace.

(b) *Ego nunquam*) *Assumptio*, quam infra confirmat a confessione adversariorum, qui unum maxime Ciceronem, ut dissuasorem pacis, odio semper habuerant.

bellum lateret, repudiandam. Ego princeps sagorum, ego semper illum hostem appellavi, cum alii adversarium, semper hoc bellum, cum alii tumultum. Nec hæc in senatu solum, eadem ad populum semper egi: nec solum in ipsum, sed in ejus socios facinorum, & ministros, & præsentes, & eos, qui una sunt, in totam denique M. Antonii domum sum semper invectus. Itaque, ut alacres & læti, spe pacis oblata, inter se impii cives, quasi vicissent, gratulabantur, sic me iniquum ejurabant (1): de me querebantur. Diffidebant etiam Servilio: meminerant, ejus sententiis confixum Antonium. L. Cæsarem, fortem quidem illum & constantem senatorem, avunculum tamen: Calenum, procuratorem, Pisonem, familiarem, te ipsum, Pansa, vehementissimum & fortissimum consulem, factum jam putant leniorem: non quo ita sit, aut esse possit, sed mentio a te facta pacis suspicionem multis attulit immutatæ voluntatis. Inter has personas me interjectum amici Antonii moleste ferunt: quibus gerendus (*a*) mos est, quoniam semel liberales esse cœpimus (2).

VIII. Proficiscantur legati optimis ominibus: sed ii proficiscantur *, in quibus non offendatur Antonius. Quod si de (*b*) Antonio non laboratis, mihi certe, Patres Conscripti, consulere debetis.

* In vulg. deest *proficiscantur*.

(1) *Ejurabant*) Ejurare, est jurejurando recusare aliquem, ut sibi iniquum & suspectum. *Idem*.

(2) *Liberales esse cœpimus*) Mittendis iterum legatis. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Quibus gerendus*) *Complexio*.

(b) *Quod si de*) 2. Sibi maximo dolori fore colloquium cum M. Antonio probat, pariter *ab Adjunctis*:

Cum iis congredi sine dolore non possum, qui me multis injuriis affecerunt, & Remp. semper oppugnarunt;

Sed Antonii fratres eorumque satellites me semper, & Remp oppugnarunt;

Ergo cum iis congredi sine summo dolore non possum.

mus, juventutem omnem ex tota Italia excussimus, * ut exercitu florentissimo & maximo legati ad pacem mitterentur? Si postulandam, quid timemus? (1) si accipiendam, cur non rogamur? In hac ego (a) legatione sim, aut ad id consilium (2) admiscear, in quo, ne si dissensero quidem a cæteris, sciturus populus Romanus sit! Ita fiet, ut, si quid remissum aut concessum sit, meo semper periculo peccet Antonius, cum ei peccandi potestas a me concessa videatur.

Quod si habenda cum M. Antonii latrocinio pacis ratio fuit, mea tamen persona ad istam pacem conciliandam minime fuit deligenda. Ego nunquam (b) legatos mittendos censui: ego ante legatorum reditum ausus sum dicere, pacem ipsam si afferrent, quoniam sub nomine pacis bellum

* Vulg. *excivimus*.

(1) *Si postulandam, quid timemus?*) In antiquo libro & omnibus scriptis, hæc quæ jam posuimus verba sequuntur infra scripta: *Si accipiendam, cur non rogamur?* ubi in impressis hæc duo membra præpostero ordine collocata sunt. Nos collocationem antiquam admittimus hoc sensu. Si legati hi, quos ad pacem mittere cogitatis, idcirco mittuntur, ut ab his nostro nomine pacem accipiat Antonius, cur ab eo non rogamur? Quasi dicat, rogandi essemus, si modo ille pacem cuperet accipere. Si vero eunt, ut pacem nobis ab Antonio postulent, quid timemus? Non enim debemus timere, tot exercitibus præsidiisque muniti. *Faernus.*

(2) *Ad id consilium*) In eorum numero sim, qui agant cum Antonio de pace? Nam si quid indulgenter concessum fuerit Antonio, dissentiente me, populus tamen existimabit, me quoque assensum dedisse. *Ferr.*

ANALYSIS.

(a) *In hac ego*) Transitus hic est ad alteram partem *Contentionis:* si enim postulandæ sunt conditiones pacis ab Antonio, ego nunquam assentiar, neque tamen sciet populus Rom. me non fuisse assensum; adeoque certa mihi imminet infamia, si fuero Legatus. Sed multis etiam rationibus id pertractat; 1. quidem *ab Adjunctis:*

Ille non est mittendus legatus de pace ad Antonium, qui illius est inimicissimus, & pacem semper dissuasit;
Sed ego inimicissimus Antonii sum, & semper dissuasi pacem;
Ergo non sum ego mittendus legatus ad Antonium de pace.

(b) *Ego nunquam*) *Assumptio*, quam infra confirmat a confessione adversariorum, qui unum maxime Ciceronem, ut dissuasorem pacis, odio semper habuerant.

bellum lateret, repudiandam. Ego princeps sagorum, ego semper illum hostem appellavi, cum alii adversarium, semper hoc bellum, cum alii tumultum. Nec hæc in senatu solum, eadem ad populum semper egi: nec solum in ipsum, sed in ejus socios facinorum, & ministros, & præsentes, & eos, qui una sunt, in totam denique M. Antonii domum sum semper invectus. Itaque, ut alacres & læti, spe pacis oblata, inter se impii cives, quasi vicissent, gratulabantur, sic me iniquum ejurabant (1): de me querebantur. Diffidebant etiam Servilio: meminerant, ejus sententiis confixum Antonium. L. Cæsarem, fortem quidem illum & constantem senatorem, avunculum tamen: Calenum, procuratorem, Pisonem, familiarem, te ipsum, Pansa, vehementissimum & fortissimum consulem, factum jam putant leniorem: non quo ita sit, aut esse possit, sed mentio a te facta pacis suspicionem multis attulit immutatæ voluntatis. Inter has personas me interjectum amici Antonii moleste ferunt: quibus gerendus (*a*) mos est, quoniam semel liberales esse cœpimus (2).

VIII. Proficiscantur legati optimis ominibus: sed ii proficiscantur *, in quibus non offendatur Antonius. Quod si de (*b*) Antonio non laboratis, mihi certe, Patres Conscripti, consulere debetis.

* In vulg. deest *proficiscantur*.

(1) *Ejurabant*) Ejurare, est jurejurando recusare aliquem, ut sibi iniquum & suspectum. *Idem*.

(2) *Liberales esse cœpimus*) Mittendis iterum legatis. *Idem*.

A N A L Y S I S.

(a) *Quibus gerendus*) *Complexio*.

(b) *Quod si de*) 2. Sibi maximo dolori fore colloquium cum M. Antonio probat, pariter *ab Adjunctis*:

Cum iis congredi sine dolore non possum, qui me multis injuriis affecerunt, & Remp. semper oppugnarunt;

Sed Antonii fratres eorumque satellites me semper, & Remp oppugnarunt;

Ergo cum iis congredi sine summo dolore non possum.

betis. Parcite oculis ſaltem meis, & aliquam veniam juſto dolori date. Quo enim adſpectu videre potero, (mitto hoſtem patriæ, ex quo mihi odium in illum commune vobiſcum eſt) ſed quomodo adſpiciam mihi uni crudeliſſimum hoſtem, ut declarant ejus de me acerbiſſimæ conciones! Adeone me ferreum putatis, ut cum eo congredi, aut illum adſpicere poſſim? qui nuper, cum in concione donaret eos, qui ei de parricidis audaciſſimi videbantur, mea bona donare ſe dixit Petiſſio Urbinati, qui ex naufragio luculenti patrimonii ad hæc Antoniana ſaxa projectus eſt.

An L. Antonium adſpicere potero? cujus ego crudelitatem effugere non potuiſſem, niſi me mœnibus, & portis, & ſtudio municipii mei defendiſſem. Atque idem hic mirmillo Aſiaticus, latro Italiæ, collega Lentonis & Nuculæ, cum Aquilæ primipili (1) nummos aureos daret, de meis bonis ſe dare dixit. Si enim de ſuis dixiſſet, ne aquilam quidem ipſam credituram putavit. Non ferent, inquam, oculi *Saxam*, *Caphonem*, non duo prætores, non tribunum plebis, non duo deſignatos tribunos, non *Beſtiam*, non Trebellium, non Plancum. Non poſſum animo æquo videre tot, tam importunos, tam ſceleratos hoſtes: nec id fit * faſtidio meo, ſed caritate reipublicæ.

Sed

* In vulg. deeſt *fit*.

(1) *Aquilæ primipili*) Eſt primipili centurioni. *Integra locutio* legitur in v. ad Atticum: *At ille cohortem primam totam perdidit centurionemque primipili nobilem ſui generis*, ubi quoque MSS. *primipuli*. Poſtea ludit in ambigua voce *Aquilæ*, quæ centurionis nomen erat, & totius legionis. Non probo qui exponunt *Aquilæ* militibus primi ordinis, qui ſub ea aquila, quæ ſignum fuit Romanorum, militabant. Aquila ſervabatur olim quidem a triariis, ſed a tempore Marii translata erat ad cohortem primam, in qua etiam primipili; ſed erat tamen Aquila totius legionis ſignum. Præterea *aquilæ primipili dare nummos*, pro primæ cohortis militibus, aut triariis nummos dare, quis ferat in Floro, aut Apuleio, aut inepto quodam declamatore, nedum in diſertiſſimo Romuli nepotum? *Græv.*

Sed vincam (*a*) animum, mihique imperabo: dolorem justissimum, si non potero frangere, occultabo. Quid? vitæ censetisne, Patres Conscripti, habendam mihi aliquam esse rationem? quæ mihi quidem minime cara est, præsertim cum Dolabella fecerit (1), ut optanda mors esset, modo sine cruciatu atque tormentis: vobis tamen & populo Romano vilis esse spiritus meus non debet. Is enim sum, nisi forte me fallo, qui vigiliis, curis, sententiis, periculis etiam, quæ plurima adii propter acerbissimum omnium in me odium impiorum, perfecerim, ut non obstarent reipublicæ, ne quid arrogantius videar dicere. Quod cum ita sit, nihilne mihi de periculo meo cogitandum putatis?

IX. Hic cum essem in urbe ac domi, tamen multa sæpe tentata sunt, ubi me non solum amicorum fidelitas, sed etiam universæ civitatis oculi custodiunt. Quid censetis, cum iter ingressus ero, longum præsertim? nullasne insidias pertimescendas*? Tres viæ (*b*) sunt ad Mutinam, quo festinat animus, ut quam primum illud pignus libertatis populi Romani D. Brutum adspicere possim: cujus in complexu libenter extremum vitæ spiritum ediderim, cum omnes actiones horum mensium, omnes sententiæ meæ pervenerint ad eum,

* Vulg. *extimescendas*.

(1) *Cum Dolabella fecerit*) Dolabella, interfecto crudeliter Trebonio, effecit, ut optabilis mors esset sine cruciatibus. *Ferr.*

A N A L Y S I S.

(a) *Sed vincam*) 3. Certissimum imminere vitæ periculum, quam non tam sibi, quam populo Rom. conservare debebat, sic ostendit *a Comparatione minorum*:

Multo minus in urbe mihi timendum est, quam longo suscepto itinere;
Sed in Urbe præsidio amicorum, & populi vix me tueor;
Ergo longum iter ingressus inimicorum manus nullo modo effugiam.

(b) *Tres viæ*) Quod confirmat *a Distributione* viarum, quibus iter erat faciendum; Cassiam Lento Cesenius obsidebat, Flaminiam Ventidius, Aureliam P. Clodii familia.

eum, qui mihi fuit propositus, exitum. Tres ergo, ut dixi, viæ: a supero mari, Flaminia (1); ab infero, Aurelia (2); media, Cassia (3).

Nunc, quæso, attendite, num aberret a conjectura suspicio periculi mei. Etruriam discriminat Cassia. Scimusne igitur, Pansa, quibus in locis nunc sit Lentonis Cesenii septemviralis auctoritas (4)? Nobiscum nec animo certe est, nec corpore. Si autem aut domi est, aut non longe a domo, certe in Etruria est, id est, in via. Quis igitur mihi præstat, Lentonem uno capite (5) esse contentum? Dic mihi præterea, Pansa, Ventidius ubi sit, cui fui semper amicus, antequam ille reipublicæ bonisque omnibus tam aperte est factus inimicus. Possum Cassiam vitare; tenere Flaminiam. Quid, si Anconam, ut dicitur, Ventidius venerit? poterone Ariminum tuto accedere? Restat Aurelia. Hic quidem etiam præsidia habebo *. Possessiones enim sunt P. Clodii. Tota familia occurret: hospitio invitabit propter familiaritatem notissimam.

X. Hisce ego (*a*) me viis committam, qui Ter-

* Vulg. *habeo*.

(1) *Flaminia*) Ejus initium a porta Flumentana, quæ & Flaminia postea dicta, nunc Populi, & extendebatur usque ad Ariminum ad mare Hadriaticum. *Manut*.

(2) *Aurelia*) Incipit a ponte Sublicio, sive a porta Aurelia, quæ nunc Pancratiana dicitur, & extenditur per Etruriam Pisas usque, sive potius in Galliam, ut Peirescius observavit. Hæc fuit Aurelia vetus. Nam & alia nova. De his viis in primis videndus Nardinus de vetere Roma, & Raphael Fabrettus de aquis & aquæ ductibus, Differt. 1. n. 92. *Grævius*.

(3) *Cassia*) Ab Auctore Cassio sic dicta est. Fuit ramus viæ Flaminiæ, quæ cum ea cohæret ad pontem Milvium, qui hodie *Ponte Mole* dicitur. Vide N. Bergerum de viis militaribus, lib. III. 2. *Idem*.

(4) *Septemviralis auctoritas*) Unus septemvirum, qui ab Antonio dividendis agris præfecti fuerant. *Cæl. Sec*.

(5) *Uno capite*) Sola morte esse contentum: non autem me cum cruciatu interficere velle, ut Dolabella Trebonium. *Ferr*.

A N A L Y S I S.

(a) *Hisce ego*) *Assumptio* repetita cum *Complexione*; a se avertit suspicionem timiditatis, rebus suis gestis commemoratis.

Terminalibus (1) nuper in suburbium, ut eodem die reverterer, ire non sum ausus? Domesticis me parietibus vix tueor sine amicorum custodiis. Itaque in urbe maneo: si licebit *, manebo. Hæc mea sedes est, hæc vigilia, hæc custodia, hoc præsidium stativum. Teneant alii castra, regna, res bellicas: ** oderint hostem: nos, ut dicimus, semperque fecimus, urbem & res urbanas vobiscum pariter tuebimur. Neque vero recuso munus hoc: quanquam populum Romanum video pro me recusare. Nemo me minus timidus, nemo cautior. Res declarat. Vigesimus annus est, cum omnes scelerati me unum petunt. Itaque ipsi, ne dicam mihi, reipublicæ pœnas dederunt: me salvum adhuc respublica conservavit sibi. Timide hoc (*a*) dicam: scio enim quidvis homini accidere posse: veruntamen semel (2) *** circumsessus lectis valentissimorum hominum viribus cecidi sciens, ut honestissime possem exurgere.

Possumne igitur satis videri cautus, satis providus, si me huic itineri tam infesto, tamque periculoso commisero? Gloriam in morte debent ii, qui in republica versantur, non culpæ reprehensionem, & stultitiæ vituperationem relinquere. Quis bonus (*b*) non luget Mortem Trebonii? quis non

* Vulg. *si sic licebit*.

(1) *Terminalibus*) Die, qui Termino deo dicatus erat, XI. nimirum Kalendas Martii, de quo Ovid. II. Fast. *Cal. Secundus*.

** Lamb. *fuderint*.

(2) *Semel*) Clodianis temporibus.

*** Lamb. *circumseptus*.

A N A L Y S I S.

(a) *Timide hoc*) Ad evitandam timiditatis suspicionem, quam supra attigit, hoc argumento se *a Causis* tuetur:

Debemus in morte gloriam relinquere, non culpæ, & stultitiæ reprehensionem;

Sed ego stultitiæ reprehendar, si me certissimæ morti exponam;

Ergo evidens mortis periculum evitare debeo.

(b) *Quis bonus*) *Propositionis* approbatio ab exemplo Trebonii, quem reprehendebant quidam, utpote incautum, & *a Congruo*.

est. Quid autem (*a*) integrum non est sapienti, quod restitui potest? Cujusvis hominis est errare: nullius, nisi insipientis, in errore perseverare. Posteriores enim cogitationes (ut ajunt) sapientiores solent esse. Discussa est (*b*) illa caligo, quam paulo ante dixi: diluxit, patet, videmus omnia, neque per nos solum, sed admonemur a nostris. Attendistis paulo ante, præstantissimi viri quæ esset oratio. *Mœstam*, inquit, *domum offendi, conjugem, liberos: admirabantur boni viri, accusabant amici, quod spe pacis legationem suscepissem*. Nec mirum, P. Servili. Tuis enim verissimis gravissimisque sententiis omnis est, non dico dignitate, sed etiam spe salutis spoliatus Antonius.

Ad eum ire te legatum quis non miraretur? De me experior: cujus idem consilium, quod tuum, sentio quam reprehendatur. Nos reprehendimur soli? quid? vir fortissimus Pansa sine causa tam accurate paulo ante locutus est tamdiu? quid egit, nisi uti falsam proditionis * a se suspicionem depelleret? Unde autem est ista suspicio? Ex pacis patrocinio repentino, quod subito suscepit, eodem captus errore, quo nos. Quod si est (*c*) erratum, Patres Conscripti, spe falsa atque fallaci, redeamus in viam. Optimus est portus pœnitenti mutatio consilii.

III.

* in Vulg. deest *proditionis*.

ANALYSIS.

ne, contrarium decerni amplius non posset; respondet autem Cicero, & argumentatur *a Genere:*

Ubi est erratum, satius est pœnitere, quam in errore perseverare;
Sed a nobis erratum est;
Ergo mutare consilium debemus, non perseverare in errore.

(a) *Quid autem*) *Propositio*, quæ veteris Poetæ testimonio confirmatur.

(b) *Discussa est*) *Assumptionis* approbatio; neque enim reprehenderentur Servilius, & Cicero, quod ire vellent ad Antonium legati; neque se Consul purgaret, illius auctor sententiæ, nisi erratum fuisset in legatione decernenda.

(c) *Quod si est*) *Complexio*.

III. Quid enim (*a*), per deos immortales! potest reipublicæ prodesse nostra legatio? Prodesse dico? quid si etiam obsutura est? Obsutura? quid si jam obsuit? An vos acerrimam illam & fortissimam populi Romani libertatis recuperandæ cupiditatem, non imminutam ac debilitatam putatis legatione pacis audita? Quid municipia censetis? quid colonias? quid cunctam Italiam? futuram eodem studio, quo contra commune incendium exarserat? an non putamus fore, ut eos pœniteat professos esse, & præ se tulisse odium in Antonium, qui pecunias polliciti sunt, qui arma, qui se totos & animis, & corporibus in salutem reipublicæ contulerunt? Quemadmodum vestrum hoc consilium Capua probabit, quæ temporibus his Roma altera est? illa impios cives judicavit, ejecit, exclusit. Illi, illi, inquam, urbi fortissime conanti e manibus est ereptus (1) Antonius.

Quid? legionum nostrarum nervos nonne his consiliis incidimus? quis est enim, qui ad bellum inflammato animo sit futurus, spe pacis oblata? Ipsa illa Martia, cælestis & divina legio, hoc nuntio languescet, & mollietur, atque illud pulcherrimum nomen Martium amittet: excident gladii: fluent arma de manibus. Senatum enim secuta, non arbitrabitur se graviori odio in Antonium

(1) *E manibus est ereptus*) Philip. II. *Quemadmodum illinc abieris, vel potius pene non abieris, scimus.* Manut. Vide Philip. II. 39.

ANALYSIS.

(a) *Quid enim*) Jam vero legationem de pace improbat *a Consequentibus:*

Id nullo modo pati debemus, quo frangi possunt animi omnium, qui pugnant contra Antonium;

Sed hac missa legatione, frangentur omnium animi, qui pugnant contra Antonium;

Ergo nullo modo hanc iterum legationem mittere nos debemus.

Assumptio fuse amplificatur, enumeratis omnibus, qui vel armis, vel studiis favebant Senatui in bello contra M. Antonium, ut legenti patebit.

nium esse debere, quam senatum. Pudet hujus legionis, pudet quartæ, quæ pari virtute nostram auctoritatem probans, non ut consulem & imperatorem suum, sed ut hostem & oppugnatorem patriæ reliquit Antonium: pudet optimi exercitus, qui conjunctus est ex duobus (1): qui jam lustratus (2), qui profectus ad Mutinam *est*: qui si pacis, id est, timoris nostri, nomen audiverit, ut non referat pedem, insistet certe. Quis enim, revocante, & receptui canente senatu, properet dimicare?

IV. Quid autem hoc injustius, quam *nos*, inscientibus iis, qui bellum gerunt, de pace decernere? nec solum inscientibus, sed *etiam invitis?* An vos A. Hirtium, præclarissimum consulem, C. Cæsarem, deorum beneficio natum ad *hæc* tempora, quorum epistolas, spem victoriæ declarantes, in manu teneo, pacem velle *censetis? Vincere* illi expetunt: pacisque dulcissimum & pulcherrimum nomen non pactione, sed victoria concupierunt. Quid? Galliam quo tandem animo hanc rem audituram putatis? Illa enim hujus belli propulsandi, administrandi, sustinendi *principatum* tenet. Gallia D. Bruti nutum ipsum, ne dicam imperium, secuta, armis, viris, pecunia, *belli principia* firmavit: eadem crudelitati M. Antonii suum totum corpus objecit: exhauritur, vastatur, uritur. Omnes æquo animo belli patitur injurias, dummodo repellat periculum servitutis. Et, ut omittam reliquas partes Galliæ, (nam sunt omnes pares) Patavini alios excluserunt, alios ejecerunt, missos ab Antonio: pecunia, militibus, &, quod maxime deerat, armis, nostros duces adjuverunt. Fecerunt idem reliqui, qui quondam *in eadem*

causa

(1) *Ex duobus*) Exercitum Hirtii significat, cum Cæsaris exercitu conjunctum. *Idem*.

(2) *Lustratus*) Lustrari, id est, expiari exercitus mos fuit, prius quam in expeditionem educerentur. *Idem*.

causa erant, & propter multorum annorum injurias alienati a senatu putabantur. Quos minime mirum est, communicata cum his republica, fideles esse, qui etiam expertes ejus, fidem suam semper præstiterunt.

V. His igitur (*a*) omnibus victoriam sperantibus pacis nomen afferemus, id est, desperationem victoriæ? Quid, si (*b*) ne potest quidem ulla esse pax? Quæ enim est conditio pacis, in qua ei, cum quo pacem facias, nihil concedi potest? Multis rebus (*c*) a nobis ad pacem est invitatus Antonius: bellum tamen maluit. Missi legati, repugnante me, sed tamen missi. Delata mandata: non paruit. Denuntiatum est, ne Brutum obsideret, a Mutina discederet: oppugnavit etiam vehementius. Et ad eum legatos de pace mittemus, qui pacis nuntios repudiavit? Verecundioremne coram putamus in postulando fore, quam fuerit tum, cum misit mandata ad senatum? Atqui tum (*d*) ea petebat, * quæ videbantur improba omnino, sed tamen aliquo modo posse concedi: nondum erat vestris tam gravissimis, tamque multis judiciis, ignominiisque concisus: nunc ea petit, quæ dare nullo modo possumus, nisi prius volumus nos bello victos confiteri. Senatusconsulta falsa delata ab eo judicavimus: num ea vera possumus judicare? Leges statuimus per vim & con-

* Vulg. *postulabat*.

ANALYSIS.

(a) *His igitur*) *Complexio*.

(b) *Quid, si*) Pacem deinde fieri non posse, ita in primis *ab Adjunctis* ostendit:

Cum eo fieri pax non potest, qui pacem recusavit, cui nihil potest remitti, & homo est immanissimus;

M. Antonius pacem recusavit, nihil remitti illi potest, & homo est immanissimus;

Ergo nulla pax fieri potest cum Antonio.

(c) *Multis rebus*) *Assumptionis* prima pars.

(d) *Atqui tum*) Secunda; notandum est autem, Antonium, cum primi legati missi sunt, postulasse, ut suamet acta confirmarentur, Phil. 8. quæ postea Senatus resciderat.

contra auspicia latas, iisque nec populum, nec plebem teneri: num eas restitui posse censetis? Sestertium septies millies avertisse Antonium pecuniæ publicæ judicavistis: num fraude poterit carere peculatus? Immunitates ab eo civitatibus, sacerdotia, regna venierunt: num figentur rursus eæ tabulæ, quas vos decretis vestris refixistis?

VI. Quod si ea (*a*), quæ decrevimus, obruere, num etiam memoriam rerum delere possumus? Quando enim obliviscetur ulla posteritas, cujus scelere in hac vestitus fœditate fuerimus? Ut centurionum legionis Martiæ Brundusii profusus sanguis eluatur, num elui prædicatio crudelitatis potest? Ut media præteream; quæ vetustas tollet operum circa Mutinam tetra monumenta, sceleris indicia, latrociniique vestigia?

Huic igitur importuno atque impuro parricidæ quid habemus, per deos immortales! quod remittamus? An Galliam (*b*) ultimam, & exercitum? Quid est aliud (*c*), non pacem facere, sed differre bellum? nec solum prorogare bellum, sed concedere etiam victoriam? An ille non (*d*) vicerit, quacunque conditione in hanc urbem cum suis venerit? Armis nunc omnia tenemus: auctoritate valemus

ANALYSIS.

(a) *Quod si ea*) Tertia pars de crudelitate Antonii.

(b) *An Galliam*) Ne Galliam quidem ulteriorem concedendam esse Antonio probat, aut reditum in urbem, ducto argumento *a Consequentibus*:

Neque differre bellum debemus, neque Civitatem in extremum discrimen adducere;

Si demus Galliam ulteriorem Antonio, differtur bellum, non tollitur; si reditum in urbem, Civitas in extremum discrimen adducitur;

Ergo neutrum Antonio concedendum est.

(c) *Quid est aliud*) Primum membrum de Gallia ulteriori, quod sæpe etiam alibi tractatur; Phil. 7. 8. 13.

(d) *An ille non*) Alterum membrum *Assumptionis* confirmatur *a majori ad minus*:

Nunc armati vix resistimus paucis improbis, qui sunt in Urbe;
Ergo simul omnibus minus resistemus, ubi arma posuerimus.

lemus plurimum: absunt tot perditi cives, nefarium secuti ducem. Tamen eorum ora, sermones, qui in urbe ex eo numero relicti sunt, ferre non possumus. Quid censetis, cum tot uno tempore irruperint, nos arma posuerimus, illi non posuerint? nonne nos nostris consiliis victos in perpetuum fore?

Ponite ante oculos M. Antonium consularem: sperantem consulatum Lucium adjungite: supplete cæteros, neque nostri ordinis solum honores & imperia meditantes: nolite ne Tirones quidem, Numisios, & Mustelas, Saxasve * contemnere. Cum his facta pax, non erit pax, sed pactio servitutis. L. Pisonis (*a*), amplissimi viri, præclara vox a te non solum in hoc ordine, Pansa, sed etiam in concione jure laudata est. Excessurum se ex Italia dixit, deos penates & sedes patriam relicturum, si (quod dii omen averterint) rempublicam oppressisset Antonius.

VII. Quæro igitur a te, Piso, nonne oppressam rempublicam putes, si tot, tam impii, tam audaces, tam facinorosi recepti sint? Quos nondum tantis parricidiis contaminatos vix ferebamus, hos nunc omni scelere coopertos, tolerabiles censes civitati fore? Aut isto tuo, mihi crede, consilio erit utendum, ut cedamus, abeamus, vitam inopem & vagam persequamur, aut cervices latronibus dandæ, atque in patria cadendum est.

Ubi sunt, C. Pansa, illæ cohortationes pulcherrimæ tuæ, quibus a te excitatus senatus, inflammatus populus Romanus non solum audivit, sed etiam didicit, nihil esse homini Romano fœdius servitute? Idcircone saga sumpsimus, arma cepimus,

* Vulg. *Sejosve*.

A N A L Y S I S.

(a) *L. Pisonis*) Hinc dictum quoddam L. Pisonis cavillatur, & vehementi cohortatione Pansam Consulem inflammat ad bellum fortiter, constanterque gerendum.

mus, juventutem omnem ex tota Italia excussimus, * ut exercitu florentissimo & maximo legati ad pacem mitterentur? Si postulandam, quid timemus? (1) si accipiendam, cur non rogamur? In hac ego (a) legatione sim, aut ad id consilium (2) admiscear, in quo, ne si dissensero quidem a cæteris, sciturus populus Romanus sit? Ita fiet, ut, si quid remissum aut concessum sit, meo semper periculo peccet Antonius, cum ei peccandi potestas a me concessa videatur.

Quod si habenda cum M. Antonii latrocinio pacis ratio fuit, mea tamen persona ad istam pacem conciliandam minime fuit deligenda. Ego nunquam (b) legatos mittendos censui: ego ante legatorum reditum ausus sum dicere, pacem ipsam si afferrent, quoniam sub nomine pacis bellum

* Vulg. *excivimus*.

(1) *Si postulandam, quid timemus?*) In antiquo libro & omnibus scriptis, hæc quæ jam posuimus verba sequuntur infra scripta: *Si accipiendam, cur non rogamur?* ubi in impressis hæc duo membra præpostero ordine collocata sunt. Nos collocationem antiquam admittimus hoc sensu. Si legati hi, quos ad pacem mittere cogitatis, idcirco mittuntur, ut ab his nostro nomine pacem accipiat Antonius, cur ab eo non rogamur? Quasi dicat, rogandi essemus, si modo ille pacem cuperet accipere. Si vero eunt, ut pacem nobis ab Antonio postulent, quid timemus? Non enim debemus timere, tot exercitibus præsidiisque muniti. *Faernus*.

(2) *Ad id consilium*) In eorum numero sim, qui agant cum Antonio de pace? Nam si quid indulgenter concessum fuerit Antonio, dissentiente me, populus tamen existimabit, me quoque assensum dedisse. *Ferr*.

ANALYSIS.

(a) *In hac ego*) Transitus hic est ad alteram partem *Contentionis*: si enim postulandæ sunt conditiones pacis ab Antonio, ego nunquam assentiar, neque tamen sciet populus Rom. me non fuisse assensum; adeoque certa mihi imminet infamia, si fuero Legatus. Sed multis etiam rationibus id pertractat; 1. quidem *ab Adjunctis*:

Ille non est mittendus legatus de pace ad Antonium, qui illius est inimicissimus, & pacem semper dissuasit;
Sed ego inimicissimus Antonii sum, & semper dissuasi pacem;
Ergo non sum ego mittendus legatus ad Antonium de pace.

(b) *Ego nunquam*) *Assumptio*, quam infra confirmat a confessione adversariorum, qui unum maxime Ciceronem, ut dissuasorem pacis, odio semper habuerant.

bellum lateret, repudiandam. Ego princeps sagorum, ego semper illum hostem appellavi, cum alii adversarium, semper hoc bellum, cum alii tumultum. Nec hæc in senatu solum, eadem ad populum semper egi: nec solum in ipsum, sed in ejus socios facinorum, & ministros, & præsentes, & eos, qui una sunt, in totam denique M. Antonii domum sum semper invectus. Itaque, ut alacres & læti, spe pacis oblata, inter se impii cives, quasi vicissent, gratulabantur, sic me iniquum ejurabant (1): de me querebantur. Diffidebant etiam Servilio: meminerant, ejus sententiis confixum Antonium. L. Cæsarem, fortem quidem illum & constantem senatorem, avunculum tamen: Calenum, procuratorem, Pisonem, familiarem, te ipsum, Pansa, vehementissimum & fortissimum consulem, factum jam putant leniorem: non quo ita sit, aut esse possit, sed mentio a te facta pacis suspicionem multis attulit immutatæ voluntatis. Inter has personas me interjectum amici Antonii moleste ferunt: quibus gerendus (*a*) mos est, quoniam semel liberales esse cœpimus (2).

VIII. Proficiscantur legati optimis ominibus: sed ii proficiscantur *, in quibus non offendatur Antonius. Quod si de (*b*) Antonio non laboratis, mihi certe, Patres Conscripti, consulere debetis.

* In vulg. deest *proficiscantur*.

(1) *Ejurabant*) Ejurare, est jurejurando recusare aliquem, ut sibi iniquum & suspectum. *Idem*.

(2) *Liberales esse cœpimus*) Mittendis iterum legatis. *Idem*.

A N A L Y S I S.

(a) *Quibus gerendus*) *Complexio*.

(b) *Quod si de*) 2. Sibi maximo dolori fore colloquium cum M. Antonio probat, pariter *ab Adjunctis*:

Cum iis congredi sine dolore non possum, qui me multis injuriis affecerunt, & Remp. semper oppugnarunt;

Sed Antonii fratres eorumque satellites me semper, & Remp oppugnarunt;

Ergo cum iis congredi sine summo dolore non possum.

betis. Parcite oculis ſaltem meis, & aliquam veniam juſto dolori date. Quo enim adſpectu videre potero, (mitto hoſtem patriæ, ex quo mihi odium in illum commune vobiſcum eſt) ſed quomodo adſpiciam mihi uni crudeliſſimum hoſtem, ut declarant ejus de me acerbiſſimæ conciones? Adeone me ferreum putatis, ut cum eo congredi, aut illum adſpicere poſſim? qui nuper, cum in concione donaret eos, qui ei de parricidis audaciſſimi videbantur, mea bona *donare ſe dixit* Petiſſio Urbinati, qui ex naufragio luculenti patrimonii ad hæc Antoniana ſaxa *projectus eſt*.

An L. Antonium adſpicere potero? cujus ego crudelitatem effugere non potuiſſem, *niſi me mœnibus*, & portis, & ſtudio municipii mei defendiſſem. Atque idem hic mirmillo Aſiaticus, latro Italiæ, collega Lentonis & Nuculæ, cum Aquilæ primipili (1) nummos aureos daret, de meis bonis ſe dare dixit. Si enim de ſuis dixiſſet, ne aquilam quidem ipſam credituram putavit. Non ferent, inquam, oculi Saxam, Caphonem, non duo prætores, non tribunum plebis, non duo deſignatos tribunos, non Beſtiam, non Trebellium, non Plancum. Non poſſum animo æquo videre tot, tam importunos, tam *ſceleratos* hoſtes: nec id fit * faſtidio meo, ſed caritate reipublicæ.

Sed

* In vulg. deeſt *fit*.

(1) *Aquilæ primipili*) Eſt primipili centurioni. *Integra* locutio legitur in v. ad Atticum: *At ille cohortem primam totam perdidit centurionemque primipili nobilem ſui generis*, ubi quoque MSS. *primipuli*. Poſtea ludit in ambigua voce *Aquilæ*, quæ centurionis nomen erat, & totius legionis. Non probo qui exponunt *Aquilæ* militibus primi ordinis, qui ſub ea aquila, quæ ſignum fuit Romanorum, militabant. Aquila ſervabatur olim quidem a triariis, ſed a tempore Marii translata erat ad cohortem primam, in qua etiam primipili; ſed erat tamen Aquila totius legionis ſignum. Præterea *aquilæ primipili dare nummos*, pro primæ cohortis militibus, aut triariis nummos dare, quis ferat in Floro, aut Apulejo, aut inepto quodam declamatore, nedum in diſertiſſimo Romuli nepotum? *Græv.*

Sed vincam (*a*) animum, mihique imperabo: dolorem justissimum, si non potero frangere, occultabo. Quid? vitæ censetisne, Patres Conscripti, habendam mihi aliquam esse rationem? quæ mihi quidem minime cara est, præsertim cum Dolabella fecerit (1), ut optanda mors esset, modo sine cruciatu atque tormentis: vobis tamen & populo Romano vilis esse spiritus meus non debet. Is enim sum, nisi forte me fallo, qui vigiliis, curis, sententiis, periculis etiam, quæ plurima adii propter acerbissimum omnium in me odium impiorum, perfecerim, ut non obstarent reipublicæ, ne quid arrogantius videar dicere. Quod cum ita sit, nihilne mihi de periculo meo cogitandum putatis?

IX. Hic cum essem in urbe ac domi, tamen multa sæpe tentata sunt, ubi me non solum amicorum fidelitas, sed etiam universæ civitatis oculi custodiunt. Quid censetis, cum iter ingressus ero, longum præsertim? nullasne insidias pertimescendas *? Tres viæ (*b*) sunt ad Mutinam, quo festinat animus, ut quam primum illud pignus libertatis populi Romani D. Brutum adspicere possim: cujus in complexu libenter extremum vitæ spiritum ediderim, cum omnes actiones horum mensium, omnes sententiæ meæ pervenerint ad eum,

* Vulg. *extimescendas*.

(1) *Cum Dolabella fecerit*) Dolabella, interfecto crudeliter Trebonio, effecit, ut optabilis mors esset sine cruciatibus. *Ferr.*

A N A L Y S I S.

(a) *Sed vincam*) 3. Certissimum imminere vitæ periculum, quam non tam sibi, quam populo Rom. conservare debebat, sic ostendit *a Comparatione minorum*:

Multo minus in urbe mihi timendum est, quam longo suscepto itinere;

Sed in Urbe præsidio amicorum, & populi vix me tueor;

Ergo longum iter ingressus inimicorum manus nullo modo effugiam.

(b) *Tres viæ*) Quod confirmat *a Distributione* viarum, quibus iter erat faciendum; Cassiam Lento Cesenius obsidebat, Flaminiam Ventidius, Aureliam P. Clodii familia.

betis. Parcite oculis ſaltem meis, & aliquam veniam juſto dolori date. Quo enim adſpectu videre potero, (mitto hoſtem patriæ, ex quo mihi odium in illum commune vobiſcum eſt) ſed quomodo adſpiciam mihi uni crudeliſſimum hoſtem, ut declarant ejus de me acerbiſſimæ conciones? Adeone me ferreum putatis, ut cum eo congredi, aut illum adſpicere poſſim? qui nuper, cum in concione donaret eos, qui ei de parricidis audaciſſimi videbantur, mea bona donare ſe dixit Petiſſio Urbinati, qui ex naufragio luculenti patrimonii ad hæc Antoniana ſaxa projectus eſt.

An L. Antonium adſpicere potero? cujus ego crudelitatem effugere non potuiſſem, niſi me mœnibus, & portis, & ſtudio municipii mei defendiſſem. Atque idem hic mirmillo Aſiaticus, latro Italiæ, collega Lentonis & Nuculæ, cum Aquilæ primipili (1) nummos aureos daret, de meis bonis ſe dare dixit. Si enim de ſuis dixiſſet, ne aquilam quidem ipſam credituram putavit. Non ferent, inquam, oculi Saxam, Caphonem, non duo prætores, non tribunum plebis, non duo deſignatos tribunos, non Beſtiam, non Trebellium, non Plancum. Non poſſum animo æquo videre tot, tam importunos, tam ſceleratos hoſtes: nec id fit * faſtidio meo, ſed caritate reipublicæ.

Sed

* In vulg. deeſt *fit*.

(1) *Aquilæ primipili*) Eſt primipili centurioni. Integra locutio legitur in v. ad Atticum: *At ille cohortem primam totam perdidit centurionemque primipili nobilem ſui generis*, ubi quoque MSS. *primipuli*. Poſtea ludit in ambigua voce *Aquilæ*, quæ centurionis nomen erat, & totius legionis. Non probo qui exponunt *Aquilæ* militibus primi ordinis, qui ſub ea aquila, quæ ſignum fuit Romanorum, militabant. Aquila ſervabatur olim quidem a triariis, ſed a tempore Marii translata erat ad cohortem primam, in qua etiam primipili; ſed erat tamen Aquila totius legionis ſignum. Præterea *aquilæ primipili dare nummos*, pro primæ cohortis militibus, aut triariis nummos dare, quis ferat in Floro, aut Apuleio, aut inepto quodam declamatore, nedum in diſertiſſimo Romuli nepotum? *Græv.*

Sed vincam (*a*) animum, mihique imperabo: dolorem justissimum, si non potero frangere, occultabo. Quid? vitæ censetisne, Patres Conscripti, habendam mihi aliquam esse rationem? quæ mihi quidem minime cara est, præsertim cum Dolabella fecerit (1), ut optanda mors esset, modo sine cruciatu atque tormentis: vobis tamen & populo Romano vilis esse spiritus meus non debet. Is enim sum, nisi forte me fallo, qui vigiliis, curis, sententiis, periculis etiam, quæ plurima adii propter acerbissimum omnium in me odium impiorum, perfecerim, ut non obstarent reipublicæ, ne quid arrogantius videar dicere. Quod cum ita sit, nihilne mihi de periculo meo cogitandum putatis?

IX. Hic cum essem in urbe ac domi, tamen multa sæpe tentata sunt, ubi me non solum amicorum fidelitas, sed etiam universæ civitatis oculi custodiunt. Quid censetis, cum iter ingressus ero, longum præsertim? nullasne insidias pertimescendas *? Tres viæ (*b*) sunt ad Mutinam, quo festinat animus, ut quam primum illud pignus libertatis populi Romani D. Brutum adspicere possim: cujus in complexu libenter extremum vitæ spiritum ediderim, cum omnes actiones horum mensium, omnes sententiæ meæ pervenerint ad eum,

* Vulg. *extimescendas*.

(1) *Cum Dolabella fecerit*) Dolabella, interfecto crudeliter Trebonio, effecit, ut optabilis mors esset sine cruciatibus. *Ferr.*

A N A L Y S I S.

(a) *Sed vincam*) 3. Certissimum imminere vitæ periculum, quam non tam sibi, quam populo Rom. conservare debebat, sic ostendit *a Comparatione minorum*:

Multo minus in urbe mihi timendum est, quam longo suscepto itinere;
Sed in Urbe præsidio amicorum, & populi vix me tueor;
Ergo longum iter ingressus inimicorum manus nullo modo effugiam.

(b) *Tres viæ*) Quod confirmat *a Distributione* viarum, quibus iter erat faciendum; Cassiam Lento Cesenius obsidebat, Flaminiam Ventidius, Aureliam P. Clodii familia.

eum, qui mihi fuit propositus, exitum. Tres ergo, ut dixi, viæ: a supero mari, Flaminia (1); ab infero, Aurelia (2); media, Cassia (3).

Nunc, quæso, attendite, num aberret a conjectura suspicio periculi mei. Etruriam discriminat Cassia. Scimusne igitur, Pansa, quibus in locis nunc sit Lentonis Cesenii septemviralis auctoritas (4)? Nobiscum nec animo certe est, nec corpore. Si autem aut domi est, aut non longe a domo, certe in Etruria est, id est, in via. Quis igitur mihi præstat, Lentonem uno capite (5) esse contentum? Dic mihi præterea, Pansa, Ventidius ubi sit, cui fui semper amicus, antequam ille reipublicæ bonisque omnibus tam aperte est factus inimicus. Possum Cassiam vitare, tenere Flaminiam. Quid, si Anconam, ut dicitur, Ventidius venerit? poterone Ariminum tuto accedere? Restat Aurelia. Hic quidem etiam præsidia habebo *. Possessiones enim sunt P. Clodii. Tota familia occurret: hospitio invitabit propter familiaritatem notissimam.

X. Hisce ego (*a*) me viis committam, qui Ter-

* Vulg. *habeo*.

(1) *Flaminia*) Ejus initium a porta Flumentana, quæ & Flaminia postea dicta, nunc Populi, & extendebatur usque ad Ariminum ad mare Hadriaticum. *Manut.*

(2) *Aurelia*) Incipit a ponte Sublicio, sive a porta Aurelia, quæ nunc Pancratiana dicitur, & extenditur per Etruriam Pisas usque, sive potius in Galliam, ut Peirescius observavit. Hæc fuit Aurelia vetus. Nam & alia nova. De his viis in primis videndus Nardinus de vetere Roma, & Raphael Fabrettus de aquis & aquæ ductibus, Differt. 1. n 92. *Grævius*.

(3) *Cassia*) Ab Auctore Cassio sic dicta est. Fuit ramus viæ Flaminiæ, quæ cum ea cohæret ad pontem Milvium, qui hodie *Ponte Mole* dicitur. Vide N. Bergerum de viis militaribus, lib. III. 2. *Idem*.

(4) *Septemviralis auctoritas*) Unus septemvirum, qui ab Antonio dividendis agris præfecti fuerant. *Cæl. Sec.*

(5) *Uno capite*) Sola morte esse contentum: non autem me cum cruciatu interficere velle, ut Dolabella Trebonium. *Ferr.*

ANALYSIS.

(*a*) *Hisce ego*) *Assumptio* repetita cum *Complexione*; a se avertit suspicionem timiditatis, rebus suis gestis commemoratis.

Terminalibus (1) nuper in suburbium, ut eodem die reverterer, ire non sum ausus? Domesticis me parietibus vix tueor sine amicorum custodiis. Itaque in urbe maneo: si licebit *, manebo. Hæc mea sedes est, hæc vigilia, hæc custodia, hoc præsidium stativum. Teneant alii castra, regna, res bellicas: ** oderint hostem: nos, ut dicimus, semperque fecimus, urbem & res urbanas vobiscum pariter tuebimur. Neque vero recuso munus hoc: quanquam populum Romanum video pro me recusare. Nemo me minus timidus, nemo cautior. Res declarat. Vigesimus annus est, cum omnes scelerati me unum petunt. Itaque ipsi, ne dicam mihi, reipublicæ pœnas dederunt: me salvum adhuc respublica conservavit sibi. Timide hoc (*a*) dicam: scio enim quidvis homini accidere posse: veruntamen semel (2) *** circumsessus lectis valentissimorum hominum viribus cecidi sciens, ut honestissime possem exurgere.

Possumne igitur satis videri cautus, satis providus, si me huic itineri tam infesto, tamque periculoso commisero? Gloriam in morte debent ii, qui in republica versantur, non culpæ reprehensionem, & stultitiæ vituperationem relinquere. Quis bonus (*b*) non luget Mortem Trebonii? quis non

* Vulg. *si sic licebit*.

(1) *Terminalibus*) Die, qui Termino deo dicatus erat, XI. nimirum Kalendas Martii, de quo Ovid. II. Fast. *Cel. Secundus*.

** Lamb. *fuderint*.

(2) *Semel*) Clodianis temporibus.

*** Lamb. *circumseptus*.

A N A L Y S I S.

(a) *Timide hoc*) Ad evitandam timiditatis suspicionem, quam supra attigit, hoc argumento se *a Causis* tuetur:

Debemus in morte gloriam relinquere, non culpæ, & stultitiæ reprehensionem;

Sed ego stultitiæ reprehendar, si me certissimæ morti exponam;

Ergo evidens mortis periculum evitare debeo.

(b) *Quis bonus*) *Propositionis* approbatio ab exemplo Trebonii, quem reprehendebant quidam, utpote incautum, & *a Congruo*.

non dolet interitum talis & civis, & viri? At sunt qui dicant (dure illi quidem, sed tamen dicunt) minus dolendum, quod ab homine impuro nefarioque non caverit. Etenim qui multorum custodem se profiteatur, eum sapientes sui primum capitis ajunt custodem esse oportere. Cum septus (*a*) sis legibus & judiciorum metu, non sunt omnia timenda, neque ad omnes insidias præsidia quærenda. Quis enim audeat luci, quis in militari via, quis bene comitatum, quis illustrem aggredi? Hæc neque hoc tempore, neque in me valent. Non modo enim pœnam non extimescet, qui mihi vim attulerit, sed etiam gloriam sperabit a latronum gregibus, & præmia.

XI. Hæc ego in urbe prævideo: facilis est circumspectus, unde exeam, quo progrediar, quid ad dexteram, quid ad sinistram sit. Num idem in Apennini tramitibus facere potero? in quibus, etiam si non erunt insidiæ, quæ facillime esse poterunt, animus tamen erit sollicitus, ut nihil possit de officiis legationis attendere. Sed effugi (*b*) insidias, perrupi Apenninum. Nempe in Antonii congressum colloquiumque veniendum est. Quinam locus capietur? Si extra castra (*c*), cæteri viderint. Ego mortem actutum futuram puto. Novi hominis furorem, novi effrenatam violentiam. Cujus acerbitas morum, immanitasque naturæ ne vino

no

A N A L Y S I S.

(a) *Cum septus*) Ad *Assumptionem* confirmandam proponit *Prolepsin*, eamque diluit, quod impune interfici poterat ab Antonii satellitibus, neque erat difficile insidias struere in Apennino.

(b) *Sed effugi*) Rursus arguit *ab Adjunctis* loci hac ratione.

Aut extra castra, aut in castris quisque suis per literas rem agemus;

Sed extra castra mihi periculosum est, in castris per literas Reip. etiam inutile;

Ergo nullo modo ad hoc colloquium mittendus sum.

(c) *Si extra castra*) *Assumptionis* prima pars approbata in primis ab odio, & crudelitate Antonii; deinde *ab Exemplis dissimilibus*.

no quidem permiſta temperari ſolet: hic ira dementiaque inflammatus, adhibito fratre Lucio, teterrima bellua, nunquam profecto a me ſacrilegas manus atque impias abſtinebit.

Memini colloquia & cum acerrimis hoſtibus, & cum graviſſime diſſentientibus civibus. Cn. Pompejus, Sexti filius, conſul, me præſente, cum eſſem tiro in ejus exercitu, cum P. Vettio Scatone *, duce Marſorum, inter bina caſtra collocutus eſt. Quo quidem memini Sex. Pompejum, fratrem conſulis, ad colloquium ipſum Roma venire, doctum virum atque ſapientem: quem cum Scato ſalutaſſet, Quem te appellem? inquit. At ille, Voluntate, hoſpitem; neceſſitate, hoſtem. Erat in illo colloquio æquitas: nullus timor, nulla ſuberat ſuſpicio: mediocre etiam odium. Non enim ut eriperent nobis ſocii civitatem, ſed ut in eam reciperentur, petebant. Sylla cum Scipione inter Cales & Teanum, cum alter nobilitatis florem, alter belli ſocios adhibuiſſet, de auctoritate ſenatus, de ſuffragiis (1) populi, & de jure civitatis, leges inter ſe, conditiones (2), contulerunt. Non tenuit omnino colloquium illud fidem (3): a vi tamen, periculoque abſuit.

XII. Poſſumuſne igitur in Antonii latrocinio æque eſſe tuti? non poſſumus: aut ſi cæteri poſſunt, me poſſe diffido. Quod ſi (*a*) non extra caſtra

* Vulg. *Catone*.

(1) *De ſuffragiis*) Populi, quibus non admiſceri libertinos, ſed in quatuor tantum urbanis tribubus, ut antea, ſuffragium ferre, Sylla volebat: Mariani contra, ſuffragii lationem eis eſſe in omnibus xxxv. tribubus. *Manut.*

(2) *Conditiones*) Forte delendum, tanquam interpretatio vocis *leges*, quæ ex margine in contextum irrepſit. Vulg. *legis inter ſe conditiones*.

(3) *Non tenuit omnino colloquium illud fidem*) Quia Scipionis exercitus, a Sylla corruptus, ducem ſuum reliquit: quem tamen Sylla, cum poſſet interficere, dimiſit incolumem. Epitome, lib. LXXXV. Plutarchus in Sylla.

A N A L Y S I S.

(a) *Quod ſi*) Secundam partem comprobat, quia referendo omnia

castra congrediemur, quæ ad colloquium castra sumentur? in nostra ille nunquam veniet, multo minus nos in illius. Reliquum est, ut & accipiantur, & remittantur postulata per literas. Ergo erimus in castris. Mea ad omnia postulata una sententia: quam cum hic, vobis audientibus, dixero, isse & redisse me putatote: legationem confecero. Omnia ad senatum mea sententia rejiciam, quæcunque postulabit Antonius. Neque enim licet aliter, neque permissum est nobis ab hoc ordine, ut, bellis confectis, decem legatis (1) permitti solet more majorum: neque ulla omnino a senatu mandata accepimus. Quæ cum agam in consilio, nonnullis, ut arbitror, repugnantibus, nonne metuendum est, ne imperita militum multitudo per me pacem distineri putet?

Facite, hoc meum consilium legiones novas non improbare. Nam Martiam & quartam, nihil præter dignitatem & decus, comprobaturas esse certe scio *. Quid? veteranos non veremur? nam timeri se ne ipsi quidem volunt. Sed quonam modo accipient severitatem meam? Multa enim falsa de me audierunt: multa ad eos improbi detulerunt; quorum commoda, ut vos optimi testes estis, semper ego sententia, auctoritate, oratione firmavi. Sed credunt improbis, credunt turbulentis, credunt suis. Sunt autem fortes illi quidem, sed propter memoriam rerum, quas gesserunt pro populi Romani libertate & salute reipublicæ, nimis

* Al. *nihil cogitetis præter dignitatem & decus comprobaturas esse: certo scio.*

(1) *Decem legatis*) Qui mittebantur, ut victis gentibus leges darent, eaque regio, quæ redacta armis esset in populi Romani potestatem, provinciæ formam acciperet. Nobis, inquit, non idem, quod illis permissum est: sed nostra sententia nihil constituere, ad senatum rejicere omnia debemus. *Idem.*

A N A L Y S I S.

omnia ad Senatum, nullam pacem fieri patietur sine illius auctoritate; in se vero omnis culpa recidet non factæ pacis, maxime apud malevolos Veteranos.

mis feroces, & ad suam vim omnia nostra consilia revocantes. Horum ego cogitationem non vereor, impetum pertimesco.

Hæc quoque (*a*) pericula tanta si effugero, satisne tutum reditum putatis fore? Cum enim & vestra auctoritate, & meo me more defendero, & meam fidem reipublicæ constantiamque præstitero, tum erunt mihi non hi solum, qui me oderunt, sed illi etiam, qui invident, extimescendi. Custodiatur (*b*) igitur mea vita reipublicæ, eaque, quoad vel dignitas, vel natura patietur, patriæ reservetur: mors autem * necessitatem habeat fati, aut, si ante oppetenda est, oppetatur cum gloria.

Hæc cum ita sint, etsi hanc legationem respublica, ut levissime dicam (1), non desiderat, tamen, si tuto licebit ire, proficiscar. Omnino, Patres Conscripti, totum hujusce rei consilium non periculo meo, sed utilitate reipublicæ metiar. De qua mihi quoniam liberum est spatium, multum etiam atque etiam considerandum puto, idque potissimum faciendum, quod maxime interesse reipublicæ judicavero.

* Vulg. *mors aut*.

(1) *Ut levissime dicam*) Possem dicere: Rejicit, odit, utpote quæ damnum potius, quam fructum afferet: sed hoc tantum dico: Non desiderat, quasi minime necessariam. *Idem*.

ANALYSIS.

(a) *Hæc quoque*) Nunc reditus etiam pericula recenset.

(b) *Custodiatur*) Conclusio hujus secundæ partis *Contentionis*, quam totius orationis conclusio statim sequitur.

IN M. ANTONIUM PHILIPPICA XIII.

ARGUMENTUM.

Sententia de mittendis iterum legatis jam abjecta, pacem laudat, sed eam cum Antonio negat ullam esse posse. Recitat, & interpretatur Antonii literas ad Hirtium Cæsaremque missas. Servilii sententiam probat de mandatis literisque M. Lepidi, ad pacem cohortantis. Sext. Pompejum, quod suam eorumque quos secum haberet, operam senatui populoque Romano pollicitus esset, vel eo S. C. quod in Servilii sententiam de Lepidi literis fieret, vel proprio laudandum esse censet. Et hæc absente Pansa consule, qui ad collegam Hirtium & Cæsarem cum iis copiis, quas ipse ex delectu compararat, profectus erat. MANUTIUS.

PHILIPPICÆ XIII. SYNOPSIS.

Genus hujus Orationis est *Deliberativum*, an facienda sit pax cum Antonio; Partes tres, *Exordium*, *Contentio*, & *Conclusio*.

In *Exordio* parat *attentionem* a rei magnitudine: *A principio hujus*; & *benevolentiam* a laude pacis: *Dulce enim nomen*.

In *Contentione* probat nullam cum Antonio pacem fieri posse *ab Exemplis dissimilibus*: *Pacem cum Scipione*; quod confirmat a sceleribus Antonii, ejusque satellitum: *Hoc vero quid est?* & *a Causis* occurrit *Prolepsi* de periculo mortis: *At incertus exitus*.

A M. Lepido non esse petendum ostendit *ab*

Ad-

Adjunctis, ut restituantur Antonii scelerati homines, sicut Pompejus: *At enim nos*; & paterna bona Pompejo esse restituenda, quem præterea laudat: *Deinde obsecro vos*. Rursus *ab Effectis* Lepidi consilium coarguit pacem suadentis: *Atque etiam hoc M. Lepido*; nullum tamen ab eo periculum imminere Reip. contendit, ut supra: *At periculum est*.

Enumerat Antonii scelera, adeoque probat nullam cum eo pacem fieri posse: *Qui si reliquis flagitiis*; recitat etiam eodem consilio Antonii Epistolam ad Hirtium, & Cæsarem, de qua multa disputat: *Quod si quis adhuc*.

Conclusio brevis habet sententiam Ciceronis, tum de M. Lepidi literis, tum etiam de Sex. Pompejo: *Quæ cum ita sint*.

EXORDIUM.

I. A Principio (*a*) hujus belli, Patres Conscripti, quod cum impiis civibus consceleratisque suscepimus, timui, ne conditio insidiosa pacis, libertatis recuperandæ studia restingueret. Dulce enim (*b*) etiam nomen est pacis, res vero ipsa cum jucunda, tum salutaris. Nam nec privatos focos, nec publicas leges videtur, nec libertatis jura cara habere, quem discordiæ, quem cædes civium, quem bellum civile delectat: eumque ex numero hominum ejiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto. Itaque sive Sylla, sive Marius, sive uterque, sive Octavius, sive Cinna, sive iterum Sylla, sive alter Marius & Carbo, sive quis alius civile bellum optavit, eum detestabilem civem reipublicæ natum judico. Nam

ANALYSIS.

(a) *A principio*) *Attentionem* parat a rei, & periculi magnitudine; quid enim magis incredibile, quam amore pacis libertatem amittere? Arist. l. 3. c. 14. t. 104.

(b) *Dulce enim*) Hinc ad *benevolentiam* conciliandam, pacem laudat, quippe gratam omnibus, eosque vituperat, qui bella civilia appetiverunt.

quid ego de proximo dicam, cujus acta defendimus, cum ipsum * jure cæsum fateamur? Nihil igitur hoc cive, nihil hoc homine tetrius: si aut civis, aut homo habendus est, qui civile bellum concupiscit. Sed hoc primum (*a*) videndum est, Patres Conscripti, cum omnibusne pax esse possit, an sit aliquod bellum inexpiabile, in quo pactio pacis lex sit servitutis.

CONTENTIO.

II. Pacem cum (*b*) Scipione Sylla sive faciebat, sive simulabat; non erat desperandum, si convenisset **, fore aliquem tolerabilem statum civitatis. Cinna si concordiam cum Octavio confirmare voluisset, hominum *** in republica sanitas remanere potuisset. Proximo bello si aliquid de summa gravitate Pompejus, multum de cupiditate Cæsar remisisset, & pacem stabilem, & aliquam rempublicam nobis habere licuisset. Hoc vero (*c*) quid est? cum Antoniis pax potest esse? cum Censorino, Ventidio, Trebellio, Bestia, Nucula, Munatio, Lentone, Saxa? Exempli causa, paucos nominavi: genus infinitum, immanitatemque ipsi cernitis reliquorum. Addite illa naufragia Cæsaris ami-

* Vulg. *cum auctorem ipsum*. ** Vulg. *convenissent*.
*** Al. *omnino*.

ANALYSIS.

(a) *Sed hoc primum*) Postquam suam dissuasionem hoc speciosissimo *Exordio* artificiose munivit, descendit ad *Propositionem*; pacem cum Antonio nullam fieri posse.

(b) *Pacem cum*) Sic igitur argumentatur *ab Exemplis dissimilibus* :

Inter cæteros bellorum civilium Duces pax futura erat Reip. utilis ;

Sed pax cum Antonio Reip. affert interitum ;

Ergo cum illo nulla pax fieri debet.

(c) *Hoc vero*) *Assumptio*, quæ confirmatur a multitudine sceleratorum civium, qui facta pace redibunt in urbem, & omnia divina, atque humana perturbabunt.

amicorum, Barbas, Cassios (1), Barbatios (2), Polliones: addite Antonii collusores & sodales, Eutrapelum (3), Melam, Cælium, Pontium, Crassicium, Tironem, Mustelam, Petissium: comitatum relinquo, duces nomino. Huc accedunt Alaudæ, cæterique veterani, seminarium judicum tertiæ decuriæ (4), qui suis rebus exhaustis, beneficiis Cæsaris devoratis, fortunas nostras concupiverunt.

O fidam dexteram Antonii, qua ille plurimos cives trucidavit! o ratum religiosumque fœdus, quod cum Antoniis fecerimus! hoc si Marcus violare conabitur, Lucii eum sanctitas a scelere revocabit. Illis locus si in hac urbe fuerit, urbi ipsi locus non erit. Ora vobis (*a*) eorum ponite ante oculos, & maxime Antoniorum, incessum, adspectum, vultum, spiritum, latera tegentes alios, sequentes alios, alios prægredientes amicos. Quem vini anhelitum? quas contumelias fore censetis minasque verborum? nisi forte eos pax ipsa leniet, maximeque cum in hunc ordinem venerint: salutabunt benigne, comiter appellabunt unumquemque nostrum.

Vv 3 III.

(1) *Barbas, Cassios*) Intervalli nota fortasse delenda est: nam Barbam Cassium fuisse ex familiaribus Cæsaris, apparet ex XIII. lib. epist. ad Attic. in extremo, *Ac mihi Barba Cassius subvenit: custodes dedit*. Ferr. Hanc tamen intervalli notam apponunt Muretus, Rob. Stephanus, Lambinus, Gruterus, M. Ant. Ferratius, &c.

(2) *Barbatios*) Opinor legendum esse *Barbatos*: fuit enim *Barbatus* Antonii Quæstor, ut ex inscriptione antiqui denarii colligitur, & Appiano in libris bellorum civilium. *F. Ursinus*.

(3) *Eutrapelum*) Volumnium, ad quem sunt epistolæ duæ lib. VIII. Famil. *Manut.*

(4) *Seminarium judicum tertiæ decuriæ*) Vide Phil. I. *Idem*.

A N A L Y S I S.

(*a*) *Ora vobis*) Per *hypotyposin* quasi ob oculos Patrum ponit Antoniorum habitum, & arrogantiam; atque ita deinde concludit *ab Adjunctis*:

Nulla nobis in Urbe cum eo pax erit, quem tot injuriis, & contumeliis affecimus;
Sed Antonium multis affecimus injuriis, & contumeliis;
Ergo nulla cum eo nobis in Urbe pax erit.

III. Non recordamini, per deos immortales! quas in eos sententias dixeritis? Acta Antonii rescidistis, leges refixistis, per vim & contra auspicia latas decrevistis totius Italiæ delectus excitastis, collegam (1) & socium scelerum omnium, hostem judicavistis; cum hoc quæ pax potest esse? Hostis si esset (a) externus, tamen id ipsum vix (2), talibus factis, posset aliquo modo. Maria*, montes, regionum magnitudines interessent, odisses eum, quem non videres. Hi in oculis hærebunt, &, cum licebit, in faucibus: quibus enim septis tam immanes belluas continebimus?

At incertus (b) exitus belli est. Est omnino fortium virorum, quales vos esse debetis, virtutem præstare: tantum enim possunt**: fortunæ culpam non extimescere. Sed quoniam ab hoc ordine non fortitudo solum, verum etiam sapientia postulatur, quanquam vix videntur hæc posse sejungi, sejungamus tamen. Fortitudo dimicare jubet, justum odium incendit, ad confligendum impellit, vocat ad periculum. Quid sapientia? cautioribus utitur consiliis, in posterum providet, est omni ratione protectior. Quid igitur censet? Parendum est enim: at-

* Vulg. *Sed si maria.*
** Vulg. *virtute præstare tantum, ut possint fortunæ culpam non extimescere.*
(1) *Collegam*) Dolabellam, post interfectum Trebonium.
(2) *Tamen id ipsum vix*) Pax fieri aliquo modo posset, *tamen*, si talia præcessissent facta, qualia & ab Antonio contra senatum, & a senatu contra Antonium, *id ipsum* fieri vix posset. *Anonymus.*

ANALYSIS.

(a) *Hostis si esset*) *Propositionis* approbatio *a Comparatione minorum.*
(b) *At incertus*) *Prolepsis* de incerto bellorum exitu, cui respondet *a Causis*:
Æque fortes, & sapientes esse debemus;
Sed fortitudo, & Sapientia præscribunt, pluris faciendam esse patriam, & libertatem, quam vitam;
Ergo vitæ periculo præponere debemus patriam, & libertatem.
Manifestum est legenti quam ingeniose utramque *Assumptionis* partem pertractet Orator.

atque id optimum judicandum, quod sit sapientissime constitutum. Si hoc præcipit, ne quid vita existimem antiquius, ne decernam capitis periculo, fugiam omne discrimen; quæram ex ea, etiamne si erit, cum id fecero, serviendum? Si annuerit: næ ego sapientiam istam, quamvis sit erudita, non audiam. Sin responderit, Tu vero ita vitam corpusque servato, ita fortunas, ita rem familiarem, ut hæc posteriora libertate ducas, itaque his uti velis, si libera republica * possis, nec pro his libertatem, sed pro libertate hæc projicias, tanquam pignora injuriæ (1); tum sapientiæ vocem audire videar, eique, uti deo, paream. Itaque si, receptis illis, possumus esse liberi, vincamus odium, pacemque patiamur: sin otium, incolumibus his, nullum esse potest, lætemur decertandi oblatam esse fortunam. Aut enim, victis his (2), fruemur victrice republica, aut oppressi, (quod omen avertat Jupiter) si non spiritu, at virtutis laude vivemus.

IV. At enim (*a*) nos M. Lepidus, imperator iterum, pontifex maximus, optime proximo civili bello de republica meritus, ad pacem adhortatur. Nullius apud me, Patres Conscripti, auctoritas major est, quam M. Lepidi, vel propter ipsius virtutem,

* Vulg. *si liberare remp. possis*.

(1) *Tanquam pignora injuriæ*) Tanquam ea, quæ si malis retinere, quam libertatem, injuste facias. Projice igitur, quibus projectis, nullam jam pati injuriam possumus. *Ferratius*.

(2) *Aut enim victis his*) Pro eo quod Ferrarius ex suis vetustis libris reposuit *victis his*, noster antiquus habet *interfectis illis*, alii *illis interfectis*: quæ tanta varietas plurium non modo vocum, sed etiam collocationis nos in hanc sententiam adduxit, ut arbitremur neutram vocem, id est nec *victis* nec *interfectis*, hic locum habere, sed ea omnino deleta legendum, *aut enim illis fruemur*; *illis* vero, id est vita, corpore, fortunis, re familiari, quæ supra commemoravit; ut totus locus ita legatur: *Aut enim illis fruemur, victrice rep. aut oppressa, quod omen avertat jupiter, si non spiritu, at virtutis laude vivemus*. Faernus.

ANALYSIS.

(*a*) *At enim*) Maximam sibi esse Lepidi auctoritatem probat a mutuis acceptis, collatisque beneficiis, quæ commemorat.

tem, vel propter familiæ dignitatem. Accedunt eodem multa privata, magna ejus in me merita, mea quædam officia in illum. Maximum vero ejus beneficium numero, quod hoc animo in rempublicam est, quæ mihi vita mea semper fuit carior. Nam cum Magnum Pompejum, clarissimum adolescentem, præstantissimi viri filium, auctoritate adduxit ad pacem, remque publicam sine armis maximo civilis belli periculo liberavit, tum me ejus beneficio plus quam pro virili parte obligatum puto. Itaque ei & honores decrevi, quos potui amplissimos, in quibus vos mihi estis assensi, nec unquam de illo & sperare optime, & loqui destiti. Magnis & multis (*a*) pignoribus M. Lepidum respublica illigatum tenet. Summa nobilitas est hominis*, summi honores, amplissimum sacerdotium, plurima urbis ornamenta, ipsius, fratris, majorumque monumenta: probatissima uxor, optatissimi liberi, res familiaris cum ampla, tum casta a cruore civili. Nemo ab eo civis violatus, multi beneficio & misericordia liberati. Talis igitur (*b*) vir & civis opinione labi potest, voluntate a republica dissidere nullo pacto potest.

Pa-

* Vulg. *nobilitas est, omnes honores.*

A N A L Y S I S.

(a) *Magnis, & multis*) Deinde eundem abesse a suspicione pravæ in Remp. voluntatis, ita ostendit *ab Adjunctis*, quo Patrum timorem tollat:

Ille non est male animatus in Remp., qui dives est, & cum dignitate;
Sed M. Lepidus & summam dignitatem obtinet, & bona fortunæ habet amplissima;
Ergo in Remp. male animatus esse non potest.

(b) *Talis igitur*) Tandem, postquam amovit culpam voluntatis, eum labi opinione, & ex ignorantia contendit *a Comparatione dissimilium*:

Ita sunt dissimiles Pompejus, & Antonius, ut virtus opponitur vitio;
Sed in restituendo Pompejo magnum honorem Lepidus adeptus est;
Ergo in restituendo Antonio vituperabitur; adeoque labitur opinione, cum velit pacem cum Antonio facere.

Pacem vult (*a*) M. Lepidus. Præclare: si talem potest efficere, qualem nuper effecit: qua pace Cn. Pompeji filium respublica adspiciet, suoque sinu complexuque recipiet: neque solum illum, sed cum illo seipsam sibi restitutam putabit. Hæc caussa fuit, cur decerneretis statuam in Rostris cum inscriptione præclara, cur absenti triumphum. Quanquam enim magnas res bellicas gesserat, & triumpho dignas, non erat tamen ei tribuendum, quod nec L. Æmilio, nec Æmiliano Scipioni, nec superiori Africano, nec Mario, nec Pompejo, qui majora bella gesserunt: sed, quod silentio civile bellum confecerat, cum primum licuit, honores in eum maximos contulistis.

V. Existimasne (*b*) igitur, M. Lepide, qualem Pompejum respublica habitura sit civem, tales futuros in republica Antonios? In altero pudor, gravitas, moderatio, integritas; in illis (& cum hos compello, prætereo animo * ex grege latrocinii neminem) libidines, scelera, ad omne facinus immanis audacia. Deinde (*c*) obsecro vos, Patres Conscripti, quis hoc vestrum non videt, quod Fortuna ipsa, quæ dicitur cæca, vidit? salvis enim actis Cæsaris, quæ concordiæ causa defendimus, Pompejo sua domus patebit, eamque non minoris, quam emit Antonius, redimet: redimet, inquam, Cn. Pompeji domum filius. O rem acerbam! Sed hæc satis diu multumque defleta

* Vulg. *omnino*.

ANALYSIS.

(a) *Pacem vult*) *Assumptio*, & honorem Statuæ Equestris amplificat, quippe singularem.

(b) *Existimasne*) *Propositio* cum *Complexione* conjuncta.

(c) *Deinde*) Fore ait, ut per Senatum bona paterna consequatur Pompejus, per Populum honores, & auguratum Patris. Sed quoddam hic latet argumentum, quod artificiose Cicero non expressit; tale autem est:

Debet Pompejus paterna bona recuperare;

Sed nunquam recuperabit, si Antonius Romæ sit, qui in ea bona invasit;

Ergo ut Antonius, facta pace, Romæ sit pati non debemus.

flecta sunt. Decrevistis tantam pecuniam Pompejo, quantam ex bonis patriis in prædæ dissipatione inimicus victor redegisset.

Sed hanc mihi dispensationem (1) pro paterna necessitudine & conjunctione deposco. Redimet hortos, ædes, urbana quædam, quæ possidet Antonius. Nam argentum, vestem, supellectilem, vinum amittet æquo animo, quæ ille helluo dissipavit. Albanum, Firmanum a Dolabella recuperabit: etiam ab Antonio Tusculanum: hique, qui nunc Mutinam oppugnant, D. Brutum obsident, de Falerno (2) Anseres depellentur. Sunt alii plures fortasse, sed mea memoria dilabuntur. Ego etiam eos dico, qui hostium numero non sunt, Pompejanas possessiones, quanti emerint, filio reddituros.

Satis inconsiderati fuit, ne dicam audacis, rem ullam ex illis attingere: retinere vero quis poterit, clarissimo domino restituto? An is (3) non reddet, qui domini patrimonium circumplexus, quasi thesaurum draco, Pompeji servus, libertus Cæsaris, agri Lucani possessiones occupavit? Atque illud septies millies, quod adolescenti, Patres Conscripti, spopondistis (4), ita describite, ut videatur

(1) *Dispensationem*) Tantum pecuniæ decretum fuerat a senatu Pompejo, quantum redegisset Cæsar ex venditione eorum bonorum: sibi Cicero petebat hoc munus solvendæ Pompejo pecuniæ. *Ferr.*

(2) *De Falerno*) Fundo Cn. Pompeji quem Antonius poetæ cuidam, qui Anser vocabatur, eratque cum ipso Antonio in castris, dono dedit. Servius. *Manut.* Anseribus non facile quidquam edacius invenitur, inquit S. Augustinus lib. contra epist. Manich. cap. 35. An hæc fortasse ratio est cur Antonianos, qui Pompeji in agro Falerno villas possessionesque obtinebant, *Anseres* nominet Cicero? *Anonymus*.

(3) *An is*) Opinantur hic notari Demetrium, Pompeji servum, qui hero trucidato, muneribus placavit Cæsarem, & inter ejus libertos numerari obtinuit. Ejus de insolentia quædam refert Plutarchus in Pompejo. *Anonymus*.

(4) *Spopondistis*) Non, spopondistis illud septies millies adolescenti: sed, quod vos esse facturos adolescenti spopondistis. Refertur enim ad illud, *ita describite*. Man. Alii omnes, *ita describetur*.

tur a vobis Cn. Pompeji filius in patrimonio suo collocatus. Hæc senatus. Reliqua populus Romanus in ea familia, quam vidit amplissimam, persequetur: in primis paternum auguratus locum, in quem ego eum, ut, quod a patre accepi, filio reddam, mea nominatione cooptabo. Utrum igitur augurem Jovis optimi maximi, cujus interpretes internuntiique constituti sumus, utrum populus Romanus libentius sanciet, Pompejum, an Antonium? Mihi quidem numine deorum immortalium videtur hoc fortuna voluisse, ut actis Cæsaris firmis ac ratis Cn. Pompeji filius posset, & dignitatem & fortunas patrias recuperare.

VI. Ac ne illud (*a*) quidem silentio, Patres Conscripti, prætereundum puto, quod clarissimi viri legati, L. Paulus, Q. Thermus, C. Fannius, quorum habetis cognitam voluntatem in rempublicam, eamque perpetuam atque constantem, nuntiant, se Pompeji conveniendi causa divertisse Massiliam, eumque cognovisse paratissimo animo, ut cum suis copiis iret ad Mutinam, ni vereretur veteranorum animos offendere. Est vero ejus patris filius, qui sapienter faciebat non minus multa, quam fortiter. Itaque intelligitis & animum ei præsto fuisse, nec consilium defuisse.

Atque etiam hoc (*b*) M. Lepido providendum est, ne quid arrogantius, quam ejus mores ferunt, facere videatur. Si enim nos (*c*) exercitu terret, non meminit, illum exercitum senatus, populique Ro-

ANALYSIS.

(a) *Ac ne illud*) Pompejum etiam laudat, quod optimo animo in Remp. sit.

(b) *Atque etiam hoc*) Lepidi vero consilium de pace hoc Dilemmate refellit:

Lepidus in suadenda pace aut armorum terrore utitur, aut auctoritate sine armis;
Illud turpe, & arrogans est, hoc minime necessarium;
Ergo nullam facere debet mentionem pacis.

(c) *Si enim nos*) *Assumptionis* prima pars approbata, quia nihil turpius, quam uti contra Patriam iis copiis, quibus Patriam tueri debeas.

Romani, atque universæ reipublicæ esse, non suum. At uti potest pro suo. Quid tum? omniane viris bonis, quæ facere possunt, facienda sunt? etiamne si turpia, si perniciosa erunt? si facere omnino non licebit? Quid autem turpius, aut fœdius, aut quod minus deceat, quam contra senatum, contra cives, contra patriam exercitum ducere? quid vero magis vituperandum, quam id facere, quod non liceat? Licet autem nemini contra patriam ducere exercitum: si quidem licere id dicimus, quod legibus, quod more majorum institutisque conceditur. Neque enim, quod quisque potest, id ei licet, nec, si non obstatur, propterea etiam permittitur. Tibi enim exercitum, Lepide, tanquam majoribus tuis, patria pro se dedit. Hoc tu arcebis hostem, fines imperii propagabis; senatui populoque Romano parebis, si quam ad aliam rem te forte traduxerit.

VII. Hæc si cogitas, es, M. Lepide *, pontifex maximus, M. Lepidi, pontificis maximi, pronepos. Sin hominibus tantum licere judicas, quantum possunt, vide, ne alienis exemplis, iisque recentibus, uti, quam & antiquis & domesticis malle videare. Quod si (*a*) auctoritatem interponis sine armis, magis equidem laudo; sed vide ne hoc ipsum non sit necesse. Quanquam enim est tanta in te auctoritas, quanta debet in homine nobilissimo, tamen senatus se ipse non contemnit. Nec vero fuit unquam gravior, constantior, fortior. Incensi omnes rapimur ad libertatem recuperandam: non potest ullius auctoritate tantus senatus populique Romani ardor extingui. Odimus: irati pugnamus: ex-

* Vulg. *es M. Lepidus*.

ANALYSIS.

(a) *Quod si*) Secunda etiam pars confirmatur a constantia Senatus, qui omnino pugnare volebat pro libertate, & ab apparatu rerum omnium, quæ bello prospere gerendo necessariæ erant; unde *Confidentia*, ex Arist. l. 2. c. 5. t. 59.

extorqueri de manibus arma non possunt: receptui signum, aut revocationem a bello audire non possumus: speramus optima: pati vel difficillima malumus, quam servire. Cæsar confecit invictum exercitum: duo fortissimi consules adsunt cum copiis: L. Planci consulis designati varia & magna auxilia non desunt: de D. Bruti salute certatur. Unus furiosus gladiator cum teterrimorum latronum manu contra patriam, contra deos penates, contra aras & focos, contra quatuor consules gerit bellum. Huic cedamus? (*a*) hujus conditiones audiamus? cum hoc pacem fieri posse credamus?

VIII. At periculum (*b*) est, ne ab hoc opprimamur. Non metuo, ne is, qui suis amplissimis fortunis, nisi bonis salvis, frui non potest, prodat salutem suam. Bonos cives primum natura efficit, adjuvat deinde fortuna. Omnibus enim bonis expedit, salvam esse rempublicam. Sed in iis, qui fortunati sunt, magis id apparet. Quis fortunatior Lepido, ut ante dixi? quis eodem sanior? Vidit ejus mœstitiam atque lacrymas populus Romanus Lupercalibus: vidit, quam abjectus, quam confectus esset, cum Cæsari diadema imponens Antonius, servum se illius, quam collegam, esse malebat. Qui si reliquis flagitiis & sceleribus se abstinere potuisset, tamen unum ob hoc factum dignum illum omni pœna putarem. Nam, si ipse servire poterat, nobis dominum cur imponebat? &, si ejus pueritia pertulerat libidines eorum, qui erant in eum tyranni, etiamne in nostros liberos dominum & tyrannum comparabat? Itaque illo in-

ANALYSIS.

(a) *Huic cedamus?*) *Complexio.*

(b) *At periculum*) Lepidum rursus hoc loco liberat suspicione pravæ in Remp. voluntatis, argumento *ab Adjunctis*, ut supra; Antonium porro tyrannidem affectare, nullamque proinde cum eo pacem esse posse, ab insectatione illius vitæ ostendit.

interfecto, qualem eum in nos esse voluit, talis ipse in cæteros extitit.

Qua enim in barbaria quisquam tam teter, tam crudelis tyrannus, quam in hac urbe armis barbarorum stipatus Antonius? Cæsare dominante, veniebamus in senatum, si non libere, attamen tuto. Hoc archipirata, (quid enim dicam tyranno?) hæc subsellia ab Ithyreis occupabantur. Prorupit subito Brundusium, ut inde agmine quadrato ad urbem accederet: lautissimum oppidum, nunc municipium, honestissimorum quondam colonorum, Suessam, fortissimorum militum sanguine implevit: Brundusii in sinu non modo avarissimæ, sed etiam crudelissimæ uxoris, delectos Martiæ legionis centuriones trucidavit. Inde se quo furore, quo ardore, ad urbem, id est, ad cædem optimi cujusque rapiebat? Quo tempore dii immortales ipsi præsidium improvisum, nec opinantibus nobis obtulerunt.

IX. Cæsaris enim incredibilis ac divina virtus, latronis impetus crudeles ac furibundos retardavit: quem tum ille demens lædere se putabat edictis, ignorans, quæcunque falso is diceret in sanctissimum adolescentem, ea vere recidere in memoriam pueritiæ suæ. Ingressus urbem est, quo comitatu, vel potius agmine? cum dextra, sinistra, gemente populo Romano, minaretur dominis, notaret domos, divisurum se urbem palam suis polliceretur. Rediit ad milites, ibi pestifera illa Tibure concio. Inde ad urbem cursus: senatus in Capitolium: parata de circumscribendo adolescente sententia consularis: cum repente (nam Martiam legionem Albæ consedisse sciebat) affertur ei de quarta nuntius: quo perculsus, abjecit consilium referendi ad senatum de Cæsare. Egressus est non viis, sed tramitibus, paludatus: eoque die ipso innumerabilia senatus consulta fecit: quæ quidem omnia citius delata, quam scripta sunt.

Ex

Ex eo non iter, ſed curſus & fuga in Galliam. Cæſarem ſequi arbitrabatur cum legione Martia, cum quarta, cum veteranis: quorum ille nomen præ metu ferre non poterat: eique in Galliam penetranti D. ſe Brutus objecit, qui ſe totius belli fluctibus circumiri, quam illum aut regredi, aut progredi maluit, Mutinamque illi exultanti tanquam frenos furoris injecit. Quam cum operibus munitionibuſque ſepſiſſet, nec eum florentiſſimæ coloniæ dignitas, neque conſulis deſignati majeſtas a parricidio deterreret, tum, me (teſtor & vos, & populum Romanum, & omnes deos, qui huic urbi præſident) invito & repugnante, legati miſſi tres conſulares ad latronem M. Antonium, gladiatorum ducem.

Quis tam barbarus unquam? tam immanis? tam ferus? Non audivit, non reſpondit: neque eos ſolum præſentes, ſed multo magis nos, a quibus illi erant miſſi, ſprevit & pro nihilo putavit. Poſtea, quod ſcelus, quod facinus parricida non edidit? circumſedit colonos veſtros, exercitum populi Romani, imperatorem, conſulem deſignatum: agros divexat civium optimorum: hoſtis teterrimus omnibus bonis cruces ac tormenta minitatur.

X. Cum hoc, M. Lepide, pax eſſe quæ poteſt? cujus ne ſupplicio quidem ullo ſatiari videtur poſſe populus Romanus. Quod ſi quis (*a*) adhuc dubitare potuit, quin nulla ſocietas huic ordini, populoque Romano cum illa importuniſſima bellua poſ-

ANALYSIS.

(a) *Quod ſi quis*) Ultimo ex Epiſtola Antonii, quam ille ad Hirtium, & Cæſarem miſerat, concludit nullam cum illo pacem fieri poſſe, hoc modo:

Cum eo pax fieri non poteſt, qui peſſime ſentit de Rep., deque omnibus bonis;
Sed Antonius peſſime ſentit de Rep., & de bonis omnibus;
Ergo cum eo nulla pax fieri poteſt.

Aſſumptio patet ex recitatione ipſius Epiſtolæ; *Complexionem* deinde ſubjicit, & amplificat.

possit esse, desinat profecto dubitare, his cognitis literis, quas mihi missas ab Hirtio consule modo accepi. Eas dum recito, dumque de singulis sententiis breviter disputo, velim, Patres Conscripti, ut adhuc fecistis, me attente audiatis. ANTONIUS HIRTIO ET CÆSARI. Neque se imperatorem, neque Hirtium consulem, nec proprætore Cæsarem. Satis hoc quidem scite. Deponere alienum nomen ipse maluit, quam illis suum reddere. *Cognita morte C. Trebonii, non plus gavisus sum, quam dolui*. Videte quid se gavisum, quid doluisse dicat: facilius de pace deliberabitis. *Dedisse pœnas sceleratum cineri atque ossibus clarissimi viri, & apparuisse numen deorum intra finem anni vertentis* (1), *aut jam soluto supplicio parricidii, aut impendente, lætandum est*. O Spartace! quem enim te potius appellem? cujus propter nefaria scelera tolerabilis fuisse videtur Catilina: lætandum esse ausus es scribere, Trebonium dedisse pœnas? sceleratum Trebonium? quo scelere, nisi quod te idibus Martiis a debita tibi peste seduxit (2)?

Age, hoc lætaris: videamus, quid moleste feras. *Hostem judicatum hoc tempore Dolabellam, eo quod sicarium occiderit; & videri cariorem populo Romano filium scurræ, quam C. Cæsarem, patriæ parentem, ingemiscendum est*. Quid ingemiscis hostem Dolabellam judicatum? quid? te non intelligis delectu tota Italia habito, consulibus missis, Cæsare ornato, sagis denique sumptis, hostem judicatum? Quid est autem, scelerate, quod gemas, hostem Dolabellam judicatum a senatu? quem tu ordinem omnino esse nullum putas: sed eam tibi cau-

(1) *Anni vertentis*) Completi. Interfecto enim Cæsare Id. Mart. anni superioris, Trebonius interierat ante Id. Mart. hujus anni. *Ferrat*.

(2) *Seduxit*) Ep. ad Trebonium, lib. x. *Quod vero a te, viro optimo, seductus est, tuoque beneficio adhuc vivit hæc pestis: interdum, quod mihi vix fas est, tibi subirascor*. Manut.

causam belli gerendi proponis, ut senatum funditus deleas: reliqui boni & locupletes omnes summum ordinem subsequantur. At scurræ filium appellat. Quasi vero ignotus nobis fuerit splendidus eques Romanus Trebonii pater. Is autem humilitatem despicere audet cujusquam, qui ex Fadia (1) sustulerit liberos?

XI. *Acerbissimum vero est, te, A. Hirti, ornatum esse beneficiis Cæsaris, & talem ab eo relictum, qualem ipse miraris.* Equidem negare non possum, a Cæsare Hirtium ornatum: sed illa ornamenta in virtute & industria posita lucent. Tu vero, qui te ab eodem Cæsare ornatum negare non potes, quid esses, si tibi ille non tam multa tribuisset? ecquo te tua virtus provexisset? ecquo genus? in lustris, popinis, alea, vino, tempus ætatis omne consumpsisses, ut faciebas, cum in gremiis mimarum mentum mentemque deponeres. *Et te, o puer.* Puerum appellat, quem non modo virum, sed etiam fortissimum virum sensit, & sentiet. Est istuc quidem nomen ætatis, sed ab eo minime usurpandum, qui suam amentiam puero huic præbet ad gloriam.

Qui omnia ejus nomini debes. Debet vero, solvitque præclare. Si enim ille patriæ parens est, ut tu appellas (ego, quid sentiam, videro) cur non hic parens verior, a quo certe vitam habemus, e tuis facinorosissimis manibus ereptam? *id agere, ut jure damnatus sit Dolabella?* Turpem vero actionem, qua defenditur amplissimi auctoritas ordinis contra crudelissimi gladiatoris amentiam! *& ut venefica hæc liberetur obsidione?* Veneficam audes appellare eum virum, qui tuis veneficiis remedia invenit? quem ita obsides, nove Annibal, aut si

(1) *Ex Fadia*) Libertini hominis filia. Phil. 2. & 3. *Idem*.

quis acutior (1) imperator fuit, ut te ipse obsideas, neque te istinc, si cupias, possis explicare. Recesseris: undique omnes insequentur. Manseris: hærebis. Nimirum recte veneficam appellas, a quo tibi præsentem pestem vides comparatam. *Ut quam potentissimus sit Cassius, atque Brutus?* Putes Censorinum dicere, aut Ventidium, aut etiam ipsos Antonios. Cur autem nolint potentes esse non modo optimos & nobilissimos viros, sed secum etiam in reipublicæ defensione conjunctos? *Nimirum eodem modo hæc adspicitis, ut priora* (2). Quæ tandem? *Castra Pompeji senatum appellatis.*

XII. An vero tua castra potius senatum appellaremus? in quibus tu es videlicet consularis, cujus totus consulatus est ex omni monumentorum memoria revulsus: duo prætores sine causa diffisi se aliquid habituros: nos enim Cæsaris beneficia defendimus: prætorii, Philadelphus Annius, & innocens Gallius: ædilitii, Coricus (3) laterum & vocis meæ, Bestia & fidei patronus: fraudator creditorum Trebellius, & homo diruptus, dirutusque, Q. Cælius, columenque amicorum Antonii, Cotyla Varius; quos * Antonius deliciarum causa loris in

* Vulg. *quem*.

(1) *Si quis acutior*) Ironia. Vocat autem Annibalem, quia ille etiam inter montium angustias a Fabio Dictatore circumsessus, vix inde se explicaverat. *Ferrat.*

(2) *Ut priora*) Eodem modo sinitis potentes fieri Brutum & Cassium, quo Dolabellam hostem judicari a senatu passi estis. *Idem*.

(3) *Ædilitii, Coricus*) Non displicet lectio vulgata *C. Oricus*, totumque locum quamvis continentem historiam mihi obscuram, ita interpungo: *C. Oricus, laterum & vocis meæ; Bestia, & fidei patronus*. Ut C. Oricum forte ab eo defensum, appellet patronum laterum & vocis suæ: id est, ipsius Ciceronis. Bestiam vero etiam fidei suæ patronum. Antonius Augustinus existimat quidem nobiscum hos duos fuisse a Cicerone defensos: sed alterum damnatum, alterum absolutum. *Faernus*. Omnino verbum aliquod, & fortasse *testis*, desiderari crediderim: ut sit: *Laterum, & vocis meæ testis Bestia*. Deinde, *fidei patronus*, de Trebellio dictum: qui cum oppugnanda lege de tabulis novis, quam Dolabella tribunus plebis ferebat, fidei se patronum professus esset, postea creditores ipse fraudavit. Phil. 6. cap. 4. *Manut.*

in convivio cædi jubebat a servis publicis: Septemvirales, Lento, Nucula: tum deliciæ atque amores populi Romani L. Antonius: tribuni primum duo designati, Tullus Hostilius, qui suo jure in porta (1) nomen inscripsit: qui cum prodere imperatorem suum (2) non posset, reliquit. Alter est designatus, Visejus nescio qui, fortis (ut ajunt) latro: quem tamen temperantem fuisse ferunt Pisauri * balneatorem (3). Sequuntur alii, tribunitii, T. Plancus (4) in primis, qui si senatum dilexisset, nunquam curiam incendisset. Quo scelere damnatus in eam urbem rediit armis, e qua excesserat legibus. Sed hoc ei commune cum plurimis dissimillimis. Illud tamen verum, quod in hoc Planco proverbii loco dici solet, perire eum non posse, nisi ei crura fracta essent. Fracta sunt, & vivit. Hoc tamen, ut alia multa, Aquilæ (5) fertur acceptum.

XIII. Est etiam ibi Decius, ab illis, ut opinor, Muribus Deciis. Itaque Cæsaris munere, Deciorum quidem multo intervallo per hunc præclarum virum memoria renovata est. Saxam vero Decidium præterire qui possum, hominem deductum ex ultimis gentibus, ut eum tribunum ple-

 bis

* Vulg. *Isauri*.

(1) *In porta*) Quæ Hostilia dicebatur. Jure igitur quodam suo in porta nomen suum inscripsit. *Idem*.

(2) *Imperatorem suum*) Cæsarem adolescentem, aut D. Brutum potius, quam Hirtium. *Idem*.

(3) *Quem tamen temperantem fuisse ferunt Pisauri balneatorem*) Jocus est in voce *temperantem*. Cum enim dicere videatur σώφρονα, ad balneatorum munus respicit, quorum est aquam temperare. Horatius: *Quo Chium pretio cadum Mercemur, quis aquam temperet ignibus*. Muret.

(4) *T. Plancus*) Tribunus pl. fuit Plancus, quo anno Clodius a Milone occisus est: auctorque fuit, ut Clodii corpus in curia plebs cremaret: quo incendio curia quoque ipsa conflagravit. Eo crimine lege Pompeja de vi damnatum Cæsar restituit. Phil. x. xi. *Manut*.

(5) *Aquilæ*) Qui eum, crure fracto, Pollentia expulit. Phil. xi. *Idem*.

bis videremus, quem civem nunquam videramus? Est quidem alter Saserna: sed omnes tamen tantam habent similitudinem inter se, ut in eorum prænominibus errem. Nec vero Exitius, Philadelphi frater, quæstor, prætermittendus est, ne, si de clarissimo adolescente siluero, invidisse videar Antonio. Est etiam Asinius quidam senator voluntarius, lectus ipse a se. Apertam curiam vidit post Cæsaris mortem: mutavit calceos: Pater Conscriptus repente factus est. Non novi Sex. Albedium: sed tamen neminem tam maledicum offendi, qui illum negaret dignum Antonii senatu. Arbitror me aliquos præteriisse: de iis tamen, qui occurrebant, tacere non potui. Hoc igitur fretus senatu, Pompejanum senatum despicit, in quo decem fuimus consulares: qui si omnes viverent, bellum omnino hoc non fuisset, auctoritati cessisset audacia. Sed quantum præsidii fuerit in cæteris, hinc intelligi potest, quod ego unus, relictus e multis, contudi & fregi, adjuvantibus vobis, exultantis prædonis audaciam.

XIV. Quod si fortuna nobis modo non eripuisset Serv. Sulpicium, ejusque collegam ante Marcellum, quos cives? quos viros? si duos consules (1), amicissimos patriæ, simul ex Italia ejectos, si L. Afranium, summum ducem, si P. Lentulum, civem cum in cæteris rebus, tum in salute mea singularem, si Bibulum, cujus est in rempublicam merito semper laudata constantia, si L. Domitium, præstantissimum civem, si Appium Claudium, pari nobilitate & voluntate præditum, si P. Scipionem, clarissimum virum, majorumque suorum simillimum, respublica tenere potuisset: certe his consularibus non esset Pompejanus despiciendus senatus. Utrum igitur æquius, utrum melius

(1) *Duos Consules*) C. Marcellum, L. Lentulum, Pompeii comites, urbem primum, deinde Italiam relinquentis. *Manut.*

lius reipublicæ fuit, Cn. Pompejum, an sectorem Cn. Pompeji vivere Antonium? Qui vero prætorii? quorum princeps M. Cato, idemque omnium gentium virtute princeps. Quid reliquos clarissimos viros commemorem? nostis omnes. Magis vereor, ne longum me in enumerando, quam ne ingratum in prætereundo putetis. Qui ædilitii? qui tribunitii? qui quæstorii? Quid multa? talis senatorum & dignitas, & multitudo fuit, ut magna excusatione opus iis sit, qui illa in castra non venerunt.

XV. Nunc reliqua attendite. *Victum Ciceronem ducem habuistis*. Eo libentius ducem audio, quod certe ille dicit invitus. Nam de victo nihil laboro. Fatum enim meum est, sine republica nec vinci posse, nec vincere. *Macedoniam munitis exercitibus*. Et quidem fratri tuo, qui a vobis nihil degenerat, extorsimus. *Africam commisistis Varo bis capto* (1). Hic cum C. fratre putat se litigare. *In Syriam Cassium misistis*. Non igitur sentis, huic causæ orbem terræ parere, te, extra munitiones tuas, vestigium ubi imprimas non habere? *Cascam* (2) *tribunatum gerere passi estis*. Quid ergo? ut Marullum, ut Cæsetium (3) a republica removeremus, eum, per quem, ut neque idem hoc (4) posthac, neque multa hujusmodi accidere possent, consecuti sumus? *Vectigalia*

(1) *Varo bis capto*) Quintilium Varum bis ceperat Cæsar: primum Corfinii cum L. Domitio, deinde in Africa, cui provinciæ præfuerat. Vide Orat. pro Ligario. *Ferrat.*

(2) *Cascam*) Servilium Cascam, unum e Cæsaris percussoribus. *Manut.*

(3) *Ut Marullum, ut Cæsetium*) Tribunos pl. quos Cæsar a rep. removerat, quia, cum statuæ suæ coronam lauream fascia candida præligatam nescio quis e turba imposuisset, fasciam detrahi, hominemque duci in vincula jussissent. Sueton. Plut. Appian. Dio. *Idem.*

(4) *Ut neque idem hoc*) Ne accidere posset id, quod acciderat Marullo, & Cæsetio, quos Cæsar potestate privaverat. *Idem.*

Juliana Lupercis ademiſtis (1). Lupercorum mentionem facere audet? neque illius diei memoriam perhorreſcit, quo auſus eſt, obrutus vino, unguentis oblitus, nudus, gementem populum Romanum ad ſervitutem cohortari? *Veteranorum colonias, deductas lege & ſenatuſconſulto, ſuſtuliſtis*. Nos ſuſtulimus, an contra lege comitiis centuriatis lata ſanximus? vide ne tu veteranos, tamen eos, qui erant perditi, perdideris, in eumque locum deduxeris, ex quo ipſi jam ſentiunt ſe nunquam exituros. *Maſſilienſibus jure belli adepta reddituros vos pollicemini*. Nihil diſputo de jure belli. Magis facilis diſputatio eſt, quam neceſſaria. Illud tamen animadvertite, Patres Conſcripti, quam ſit huic reipublicæ natus hoſtis Antonius, qui tantopere eam civitatem oderit, quam ſcit huic reipublicæ fuiſſe amiciſſimam.

XVI. *Neminem Pompejanum, qui vivat, teneri lege Hirtia* (2) *dignitates*? Qui, quæſo, jam legis Hirtiæ mentionem facit? cujus non minus arbitror latorem ipſum, quam eos, de quibus lata eſt, pœnitere. Omnino, mea quidem ſententia, legem illam appellare fas non eſt: &, ut ſit lex, non debemus illam Hirtii legem putare (3). *Apulejana pecunia Brutum* (4) *ſubornaſtis*. Quid, ſi omnibus ſuis copiis excellentem virum reſpublica armaſſet? quem tandem bonum pœniteret? nec enim ſine pecunia exercitum alere, nec ſine exercitu fratrem tuum capere potuiſſet.

Securi percuſſos Pætum & Menedemum, civitate dona-

(1) *Vectigalia Juliana Lupercis ademiſtis*) Lupercis vectigal Cæſar dederat, eo mortuo ſenatus ademit. *Idem*.

(2) *Lege Hirtia*) Hanc legem tulerat Hirtius Tribunus pl. ſeu Prætor, ne Pompejani magiſtratus petere poſſent. Sic etiam Sylla tulerat de Proſcriptorum filiis: quam tamen legem ne Cæſar quidem ipſe ſervavit. *Ferrat*.

(3) *Non debemus illam Hirtii legem putare*) Sed Cæſaris, cujus eam juſſu tulerit Hirtius prætor. *Ferrat*.

(4) *Brutum*) Marcum. De Apulejo, vide Philipp. X. 10.

donatos, & hospites Cæsaris, laudastis. Non laudamus, quod ne audivimus quidem. Valde enim nobis in tanta perturbatione reipublicæ de duobus nequissimis Græculis cogitandum fuit. *Theopompum, nudum, expulsum a Trebonio, confugere Alexandriam neglexistis.* Magnum crimen senatus. De Theopompo, summo homine, neglexsimus: qui ubi terrarum sit, quid agat, vivat denique, an mortuus sit, quis aut scit, aut curat? *Serv. Galbam* (1) *eodem pugione* (2) *succinctam in castris videtis.* Nihil tibi de Galba respondeo, fortissimo & constantissimo cive: coram aderit: præsens tibi & ipse, & ille, quem insimulas, pugio respondebit. *Milites aut meos, aut veteranos contraxistis, tanquam ad exitium eorum, qui Cæsarem occiderant: & eosdem necopinantes ad quæstoris sui* (3), *aut imperatoris* (4), *aut commilitonum suorum pericula impulistis.* Scilicet verba dedimus, decepimus, ignorabat legio Martia, quarta, ignorabant veterani quid ageretur. Non illi senatus auctoritatem, non libertatem populi Romani sequebantur: Cæsaris mortem ulcisci volebant, quam omnes fatalem fuisse arbitrabantur: te videlicet salvum, beatum, florentem esse cupiebant.

XVII. O miser cum re, tum hoc ipso, quod non sentis, quam miser sis! Sed maximum crimen audite. *Denique quid non aut probavistis, aut fecistis? quid faciat, si reviviscat....* quis? credo enim, afferet aliquod scelerati hominis exemplum.

Xx 4 Cn.

(1) *Serv. Galbam*) Unum ex iis qui Cæsarem occiderunt, Sulpitiæ gentis, proavum, teste Suetonio, Galbæ imperatoris. Ejus exstat lib. x. ad Ciceronem epistola de prælio ad Mutinam commisso. *Idem.*

(2) *Eodem pugione*) Quo Cæsarem percussit. *Idem.*

(3) *Quæstoris sui*) Quæstor Cæsaris Antonius fuerat in Gallia. Phil. 2. *Idem.*

(4) *Imperatoris*) Dux eorum civili bello fuerat Antonius: cui Pharsalica etiam pugna sinistrum cornu Cæsar præbuit. *Idem.*

Cn. Pompejus ipse? O nos turpes, si quidem Cn. Pompejum imitaturi sumus! *aut filius ejus, si domi esse possit?* Poterit, mihi crede: nam paucis diebus & in domum, & in hortos paternos immigrabit. *Postremo negatis pacem posse fieri, nisi aut emisero Brutum, aut frumento juvero.* Alii istuc negant: ego vero, ne si ista quidem feceris, unquam tecum pacem huic civitati futuram puto. *Quid? hoc placetne veteranis istis? quibus adhuc omnia integra sunt* (1). Nihil vidi tam integrum, quam ut oppugnare imperatorem incipiant, quem tanto studio consensuque offenderint.

Quoniam vos assentationibus & venenatis muneribus (2) *venistis.* Depravati an * corrupti sunt, quibus persuasum est, fœdissimum hostem justissimo bello persequi? *At militibus inclusis opem fertis. Nihil moror eos salvos esse, & ire quo jubetis:* ** *si tamen patiuntur perire eum, qui meruit.* Quam benigne! denique usi liberalitate Antonii milites imperatorem (3) reliquerunt, & se ad hostem metu perterriti contulerunt: per quos si non stetisset, non Dolabella prius imperatori suo (4), quam Antonius etiam collegæ parentasset.

Concordiæ factam esse mentionem scribitis in senatu, & legatos esse consulares quinque. Difficile est credere, eos, qui me præcipitem egerint, æquissimas con-

* Vulg. *aut.* ** *quo lubet, si tantummodo.*

(1) *Quibus adhuc omnia integra sunt*) Nondum enim contra me in aciem descenderunt: licet iis, utram velint, partem adhuc sequi. Refellit hoc Cicero, & ostendit, iis qui Antonium tanto studio consensuque reliquerint; integra jam omnia non esse: unum quidem illud vere integrum iis esse, ut ipsum Antonium oppugnare incipiant, quem jam transeuntes ad Cæsarem *offenderint.* Sic enim lego: non, ut alii *defenderint.* Quod ad Brutum referri non potest: quem veterani armis defendere nondum cœperant. Nondum enim Mutinam pervenerant. *Idem.*

(2) *Venenatis muneribus*) Honoribus, qui exitio vobis erunt. *Idem.*

(3) *Imperatorem*) D. Brutum. *Reliquerunt*, Ironia. *Idem.*

(4) *Non Dolabella prius imperatori suo*) Non prius Dolabella imperatori suo Cæsari Trebonii nece parentasset, quam Antonius eidem Cæsari, collegæ suo, D. Bruto interfecto. *Idem.*

conditiones ferentem, & tamen ex his aliquid remittere cogitantem, putare aliquid moderate aut humane esse facturos. Vix etiam verisimile est, qui judicaverint hostem Dolabellam ob rectissimum facinus, eosdem nobis parcere posse, idem sentientibus. Parumne videtur, omnium facinorum sibi cum Dolabella societatem initam confiteri? nonne cernitis, ex uno fonte omnia scelera manare? Ipse denique fatetur, hoc quidem satis acute, non posse eos, qui hostem Dolabellam judicaverint ob rectissimum facinus, (ita enim videtur Antonio) sibi parcere, idem sentienti.

XVIII. Quid huic facias, qui hæc literis memoriæque mandarit, ita sibi convenisse cum Dolabella, ut ille Trebonium, &, si posset, etiam Brutum, Cassium, discruciatos necaret, eademque inhiberet * supplicia nobis? Conservandus civis cum tam pio justoque fœdere. Is etiam queritur conditiones suas repudiatas, æquas quidem & verecundas, ut haberet Galliam ultimam, aptissimam ad bellum renovandum instruendumque provinciam: ut Alaudæ in tertia decuria judicarent, id est, ut perfugium scelerum esset cum turpissimis reipublicæ sordibus: ut acta sua rata essent, cujus nullum remanet consulatus vestigium. Cavebat etiam L. Antonio, qui fuerat æquissimus agri privati & publici decempedator, Nucula & Lentone collega.

Quamobrem vos potius animadvertite, utrum sit elegantius, & partibus utilius, Trebonii mortem persequi, an Cæsaris: & utrum sit æquius, concurrere nos, quo facilius reviviscat Pompejanorum causa, toties jugulata, an consentire, ne ludibrio simus inimicis. Si esset jugulata, nunquam exurgeret: quod tibi, tuisque contingat! *Utrum*, inquit, *elegantius*. Atqui hoc bello de elegantia quæritur. *Et partibus utilius*. Partes, furiose, dicuntur in foro, in curia. Bellum contra patriam nefarium su-

* Vulg. *adhiberet*,

suscepisti: oppugnas Mutinam: circumsedes * consulem designatum: bellum contra te duo consules gerunt, cumque his pro prætore Cæsar: cuncta contra te Italia armata est. Istas tu partes potius quam a populo Romano defectionem vocas? *Potius Trebonii mortem, quam Cæsaris persequamur?* ** Trebonii satis persecuti sumus, hoste judicato Dolabella: Cæsaris mors facillime defenditur oblivione & silentio. Sed videte, quid moliatur. Cum mortem Cæsaris ulciscendam putat, mortem proponit non iis solum, qui illam rem gesserunt, sed iis etiam, qui non moleste tulerunt.

XIX. *Quibus utri nostrum ceciderint lucro futurum est. Quod spectaculum adhuc ipsa fortuna vitavit, ne videret unius corporis duas acies, lanista Cicerone* (1), *dimicantes: qui usque eo felix est, ut iisdem ornamentis deceperit vos, quibus deceptum Cæsarem gloriatus est*. Pergit in mea maledicta, quasi vero ei pulcherrime priora processerint: quem ego inustum verissimis maledictorum notis tradam hominum memoriæ sempiternæ. Ego *lanista*? & quidem non insipiens. Deteriores enim jugulari cupio, meliores vincere. *Utri ceciderint*, scribit lucro nobis futurum. O præclarum lucrum! quo, te victore, (quod dii omen avertant) beata mors eorum futura sit, qui e vita excesserint sine tormentis.

A me deceptos ait eisdem *ornamentis* Hirtium & Cæsarem. Quod, quæso, adhuc a me est tributum Hirtio ornamentum? nam Cæsari plura & majora debentur. Deceptum autem patrem a me Cæsarem dicere audes? Tu, tu, inquam, illum occidisti Lupercalibus, cujus, homo ingratissime, flaminium cur reliquisti (2)? Sed jam videte magni

* Vulg. *circumsides*. ** Vulg. *persequimur*. Sine interrogationis nota.

(1) *Lanista Cicerone*) Quasi cives ita inter se committeret, ut lanista gladiatores, eorum magister. *Ferrat.*

(2) *Flaminium cur reliquisti?*) Legimus Phil. 2. flaminem Cæsa-

magni & clari viri admirabilem gravitatem atque constantiam.

Mihi quidem constat, nec meam contumeliam, nec meorum ferre, nec deserere partes, quas Pompejus odivit, nec veteranos sedibus suis (1) *moveri pati, nec singulos ad cruciatum trahi, nec fallere fidem, quam dedi Dolabellæ.* Omitto alia: *fidem Dolabellæ*, sanctissimi viri deserere homo pius non potest. Quam fidem? an optimi cujusque cædis, urbis & Italiæ partitionis, suis dandarum diripiendarumque provinciarum? Nam quid erat aliud, quod inter Antonium & Dolabellam, impurissimos parricidas, fœdere ac fide sanciretur?

Nec Lepidi societatem violare, piissimi hominis. Tibi cum Lepido societas, aut cum ullo, non dicam bono cive, sicut ille est, sed homine sano? Id agis, ut Lepidum aut impium, aut insanum existimari velis. Nihil agis. Quanquam affirmare de altero difficile est, de Lepido præsertim, quem ego metuam nunquam (2), bene sperabo, dum licebit. Revocare te a furore Lepidus voluit, non adjutor esse dementiæ. Tu porro ne pios quidem, sed piissimos quæris: &, quod verbum omnino nullum in lingua Latina est, id, propter tuam divinam pietatem, novum inducis.

Nec Plancum (3) *prodere, participem consiliorum.*

Cæsaris, quem senatus ei tanquam deo decrevit, M. Antonium fuisse. Legimus & Phil. XI. cum L. Valerius Flaccus consul, idemque flamen Martialis, ad bellum iturus esset, P. Crassum, ejus collegam, qui pontifex max. erat, multam dixisse, si a sacris discessisset, flaminemque pontifici, jussu populi, paruisse. Cur tum igitur, inquit Cicero, flaminio Cæsaris relicto, ad bellum profectus es? *Ferrat.*

(1) *Sedibus suis*) Agris a Cæsare assignatis. Hoc ad conciliandos sibi veteranorum omnium animos: cum re vera de iis tantum laboraret, qui cum ipso erant. *Idem.*

(2) *Metuam nunquam*) Nunquam fore credam socium furoris tui. Aut nobiscum erit, aut quiescet. Vel, Metuam nunquam, quia non is est, qui nocere posse videatur. *Ferrat.*

(3) *Plancum*) L. Plancum, consulem designatum, qui Galliam ulteriorem regebat. Plin. 5. *Idem.*

rum. Plancum participem? cujus memorabilis ac divina virtus lucem affert reipublicæ. Nisi forte eum subsidio tibi venire arbitraris cum fortissimis legionibus, magno equitatu peditatuque Gallorum: quique, nisi ante ejus adventum reipublicæ pœnas dederis, ille hujus belli feret principatum. Quanquam enim prima præsidia utiliora reipublicæ sunt, tamen extrema sunt gratiora.

XX. Sed jam se colligit, & ad extremum incipit philosophari. *Si me rectis sensibus euntem dii immortales, ut spero, adjuverint, vivam libenter. Sin autem aliud me fatum manet, præcipio gaudia suppliciorum vestrorum. Namque, si victi Pompejani tam insolentes sunt, victores quales futuri sint, vos potius experiemini*. Præcipias licet gaudia: non enim tibi cum Pompejanis, sed cum universa republica bellum est. Omnes te dii, homines, summi, medii, infimi; cives, peregrini; viri, mulieres; liberi, servi oderunt. Sensimus, hoc nuper falso nuntio, vero propediem sentiemus. Quæ si tecum ipse recolis, æquiore animo & majore consolatione moriere.

Denique summa judicii mei spectat huc, ut meorum injurias ferre possim, si aut oblivisci velint ipsi fecisse, aut ulcisci parati sint una nobiscum Cæsaris mortem. Hac Antonii sententia cognita, dubitaturosne A. Hirtium, C. Pansam, consules, putatis, quin ad Antonium transeant? Brutum obsideant? Mutinam expugnare cupiant? Quid de Pansa & Hirtio loquar? Cæsar, singulari pietate adolescens, poteritne se tenere, quin D. Bruti sanguine pœnas patrias persequatur? Itaque fecerunt, uti, his literis lectis, ad munitiones propius accederent. Quo major adolescens Cæsar, majoreque deorum immortalium beneficio reipublicæ natus est, qui nulla specie paterni nominis, nec pietate abductus unquam est. Intelli-

telligit, maximam pietatem conservatione patriæ contineri.

Quod si partium certamen esset, quarum omnino nomen extinctum est, Antoniusne potius & Ventidius partes Cæsaris defenderent, quam primum Cæsar, adolescens summa pietate & memoria parentis sui? Deinde Pansa & Hirtius, qui quasi cornua duo (1) tenuerunt Cæsaris, tum, cum illæ vere partes vocabantur? Hæ vero quæ sunt partes, cum alteris senatus auctoritas, populi Romani libertas, reipublicæ salus proposita sit, alteris cædes bonorum, urbis Italiæque partitio? Veniamus aliquando ad clausulam.

XXI. *Legatos venire non credo*. Bene me novit. *Bellum quo veniat*. Proposito præsertim exemplo Dolabellæ. Sanctiore *erunt, credo, jure legati, quam duo consules, contra quos arma fert: quam Cæsar, cujus patris flamen est: quam consul designatus, quem oppugnat: quam Mutina, quam obsidet: quam patria, cui ignem, ferrumque minitatur. *Cum venerint, quæ postulent, cognoscam*. Quin tu abis in malam pestem, malumque cruciatum? Ad te quisquam veniat, nisi Ventidii similis? Oriens incendium qui restinguerent, summos viros misimus: repudiasti: nunc in tantam flammam, tamque inveteratam mittamus, cum locum tibi reliquum non modo ad pacem, sed ne ad deditionem quidem feceris?

Hanc ego epistolam, Patres Conscripti, non quo illum dignum putarem, recitavi, sed ut confessionibus ipsius omnia patefacta ejus parricidia videretis. Cum hoc pacem M. Lepidus, vir ornatissimus omnibus & virtutis, & fortunæ bonis, si hæc videret denique, aut vellet, aut fieri posse arbitraretur?

* Vulg. *sanctiores*.

(1) *Quasi cornua duo*) Dextram & sinistram partem aciei duxerunt in Cæsaris exercitu, dum res illi fuit cum Pompejo. Significat præcipuas illorum partes fuisse in copiis & amicitia Cæsaris. *Anonym.*

retur? *Prius undis flamma* (1) ut ait poeta nescio quis, prius denique omnia, quam aut cum Antoniis respublica aut cum republica Antonii redeant in gratiam. Monstra quædam sunt ista, & portenta, & prodigia reipublicæ. Moveri sedibus suis huic urbi melius est, atque in alias, si fieri possit, terras demigrare, unde Antoniorum nec facta (2), nec nomen audiat, quam illos Cæsaris virtute ejectos, Bruti retentos, intra hæc mœnia videre. Optatissimum est vincere: secundum est, nullum casum pro dignitate & libertate patriæ non ferendum putare. Quod reliquum est, non est tertium, sed postremum omnium, maximam turpitudinem suscipere vitæ cupiditate.

CONCLUSIO.

Quæ cum ita (*a*) sint, de mandatis literisque M. Lepidi viri clarissimi, Servilio assentior: & hoc amplius censeo, „ Magnum Pompejum, Cn.
„ filium, pro patris majorumque suorum animo
„ studioque in rempublicam, suaque pristina vir-
„ tute, industria, voluntate, fecisse, quod suam,
„ eorumque, quos secum haberet, operam sena-
„ tui, populoque Romano pollicitus esset, eam-
„ que

(1) *Prius undis flamma*) Hoc ipso proverbio usus est postea Augustus: cum significare vellet se nunquam filiam in urbem revocaturum. Quod his verbis narrat Dio libro xv: *τοῦ δὲ δήμου σφόδρα ἐγκειμένου τῷ Αὐγούστῳ, ἵνα καταγάγῃ τὴν θυγατέρα αὐτῆς, θᾶσσον, ἔφη, πῦρ ὕδατι μιχθήσεσθαι, ἢ ἐκείνην καταχθήσεσθαι.* Muret.

(2) *Unde Antoniorum nec facta &c.*) Alludit ad illud ex vetere tragœdia:

------------ *Ubi*
Nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. Idem.

ANALYSIS.

(*a*) *Quæ cum ita*) De literis Lepidi rejiciendis assentitur P. Servilio, additque præterea de Sex. Pompeji Magni filii laudibus.

„ que rem senatui, populoque Romano gratam „ acceptamque esse, eique honori dignitatique „ eam rem fore. „ Hoc vel conjungi cum hoc senatusconsulto licet, vel sejungi potest, separatimque perscribi, ut proprio senatusconsulto Pompejus collaudatus esse videatur.



IN

IN
M. ANTONIUM
PHILIPPICA XIV.

ARGUMENTUM.

Allatis de prælio ad Mutinam commisso, Antonioque victo literis consulum, & Cæsaris, M. Cornutus, prætor urbanus, qui consulare munus, absentibus consulibus, more majorum sustinebat, cum senatum vocasset, easque literas recitasset, sententias rogavit. Quid alii censuerint, qui ante Ciceronem rogati sunt, obscurum est: unus tamen ex iis, redeundum, sagis depositis, ad togas, idemque fortasse, decernendam consulibus & Cæsari supplicationem, censuit. Sententia vero Ciceronis hæc fuit: non esse mutandum vestitum, nisi D. Bruto, cujus causa saga sumpta essent, liberato: Antonium, quique una essent, hostes judicandos: supplicationem quinquaginta dierum communiter tribus ducibus decernendam: milites eos, qui pro republica pugnantes interierunt, monumento quam amplissimo cohonestandos, quæque iis præmia senatus promiserat, ea parentibus, liberis, conjugibus, fratribus eorum persolvenda. Manut.

PHILIPPICÆ XIV. SYNOPSIS

Hæc Oratio est in genere *Deliberativo*; Partes tres, *Exordio*, & *Peroratione* omissis; I. est de sagis, an deponenda sint. 2. an hostis sit judicandus Antonius, & per *digressionem* de se loquitur. 3. quod S. C. faciendum sit.

1. Non esse deponenda saga, nisi Bruto liberato probat *a Caussis*, quia propter illum sumpta fuerant: *Si, ut ex literis*; & *ab Adjunctis* invidiæ quorumdam, & Senatus constantiæ: *Atque animadverto*; Occurrit etiam cuidam *Prolepsi*, quasi jam liber sit Brutus: *Quod sperare nos*.

2. Judicari debere hostem a Senatu 1. probat per *Distributionem*, erat enim vel hostis, vel civis: *Imbuti sanguine*; 2. *ab Effectis*, quia hostilia fecerat: *De improbis, inquit*; 3. *ab Adjunctis*, quia ab eo mortem omnes timuerant: *Recordamini per Deos*. Probat *a Comparatione minorum*, Duces esse appellàndos Imperatores: *Sed hoc primum faciam*. Calumniam in se confictam detestatur *a minori ad majus*: *Nonne satis est*; se purgat *ab Adjunctis*: *Credo hoc*; Narrat quo consilio fuerit conficta: *Unde igitur ista suspicio?* Cujus auctores gravi oratione castigat: *Hæc interposui*. Rursus *a Consequentibus* contendit, judicandum esse hostem Antonium, tum quia Supplicatio decernenda est: *Ex literis enim*; tum quia Imperatores appellandi sunt, qui vicerunt: *Quod ergo ille re*.

3. Narrat merita singulorum Ducum: *Unius autem diei*; quæ præmia iis, & militibns decernenda sint, exponit: *Decerno igitur*; Quoad mortuos laudat genus & mortis, & præmii; *ab Adjunctis*: *O fortunata mors*; quidque debeatur eorum propinquis, refert: *Sed quoniam*; omnia denique sua sententia complectitur: *Sed ut aliquando*.

PRIMA PARS.

I. SI, ut (*a*) ex literis, quæ recitatæ sunt, Patres Conscripti, sceleratissimorum hostium exer-

ANALYSIS.

(a) *Si, ut*) Non esse redeundum ad togas, sagis depositis, nisi D. Bruto liberato, probat in primis hac ratione *a Caussis*: *Tunc*

exercitum cæsum fusumque cognovi, sic id, quod & omnes maxime optamus, & ex ea victoria, quæ parta est, consecutum arbitramur, D. Brutum egressum jam Mutina esse cognovissem, propter cujus periculum ad saga issemus, propter ejusdem salutem redeundum ad pristinum vestitum sine ulla dubitatione censerem. Ante vero, quam sit ea res, quam avidissime civitas expectat, allata, lætitiæ usus satis est maximæ præclarissimæque pugnæ: reditum ad vestitum confectæ victoriæ reservate. Confectio autem hujus belli est D. Bruti salus.

Quæ autem (*a*) est ista sententia, ut *in* hodiernum diem vestitus mutetur, deinde cras sagati prodeamus? Nos vero cum semel ad eum, quem cupimus optamusque vestitum redierimus, id agamus, ut eum in perpetuum retineamus. Nam hoc quidem cum turpe est, tum ne diis quidem immortalibus gratum, ab eorum aris, ad quas togati adierimus, ad saga sumenda discedere.

Atque animadverto (*b*), Patres Conscripti, quosdam huic favere sententiæ, quorum ea mens, idque consilium est, ut, cum videant, gloriosissimum illum D. Bruto futurum diem, quo die, propter ejus salutem redierimus ad vestitum, hunc ei

ANALYSIS.

Tunc deponenda sunt saga, ubi sublata fuerit causa, propter quam ad saga itum est;
Sed ad saga itum est propter salutem D. Bruti;
Ergo non sunt deponenda, nisi D. Bruto liberato.

(a) *Quæ autem*) *Propositionem*, quam supra exposuit, hoc loco probat, quia turpe Senatui foret, Diis autem minime gratum, si adhuc oppugnante Mutinam Antonio, rursus sumenda essent saga, quæ temere deposuissent.

(b) *Atque animadverto*) Deinde sic arguit *ab Adjunctis*:
Decet Senatum & malevolorum invidiam negligere, & suam auctoritatem constanter tueri;
Sed qui deponi saga volunt invident Bruto, Vos propter unius Bruti salutem omnia hactenus fecistis;
Ergo illam de sagis deponendis sententiam, nondum liberato Bruto, omnino abjicere debetis.
Assumptionis utraque pars expresse habetur.

ei fructum eripere cupiant, ne memoriæ posteritatique prodatur, propter unius civis periculum populum Romanum ad saga iisse, propter ejusdem salutem redisse ad togas. Tollite hanc, nullam tam pravæ sententiæ causam reperietis. Vos vero, P. C. conservate auctoritatem vestram, manete in sententia, tenete vestra memoria, quod sæpe ostendistis, hujus totius belli in unius viri fortissimi & maximi vita positum esse discrimen.

II. Ad D. Brutum (*a*) liberandum legati missi principes civitatis, qui illi hosti ac parricidæ denuntiarent, ut a Mutina discederet: ejusdem D. Bruti conservandi gratia consul sortitu * ad bellum profectus A. Hirtius; cujus imbecillitatem valetudinis animi virtus & spes victoriæ confirmavit: Cæsar, cum exercitu per se comparato, a primis ** pestibus rempublicam liberasset, ne quid postea sceleris oriretur, profectus est ad eundem Brutum liberandum, vicitque dolorem aliquem domesticum patriæ caritate. Quid C. Pansa egit aliud delectibus habendis, pecuniis comparandis, senatusconsultis faciendis gravissimis in Antonium, nobis cohortandis, populo Romano ad causam libertatis vocando, nisi ut D. Brutus liberaretur? a quo populus Romanus frequens ita salutem D. Bruti una voce depoposcit, ut eam non solum commodis suis, sed etiam necessitati victus anteferret. Quod sperare (*b*) nos quidem debemus, Patres Conscripti,

* Vulg. *consules sortiti: ad bellum*. ** Vulg. *tum primis*.

A N A L Y S I S.

(a) *Ad D. Brutum*) Secundam autem partem confirmat, enumerans omnia, quæ facta fuerant usque ad illum diem, ut Mutinæ obsidio solveretur, & Brutus evaderet.

(b) *Quod sperare*) *Prolepsis*, quasi jam certa sit Bruti salus, victo Antonio; cui respondet, rem ipsam nihilominus expectandam esse; quod temeritatis esse videatur, exultare beneficio Deorum, quod nondum certum sit; stultitiæ vero fortunæ vim ignorare, ut dicitur: Multa cadunt inter calicem, primævaque labra.

pti, aut inibi esse, aut jam esse confectum: sed spei fructum rei convenit, & eventui reservari, ne aut deorum immortalium beneficium festinatione præripuisse, aut vim fortunæ stultitia contempsisse videamur.

SECUNDA PARS.

III. Sed quoniam (*a*) significatio vestra satis declarat, quid hac de re sentiatis, ad literas veniam, quæ sunt a consulibus & a propraetore missæ, si pauca ante, quæ ad ipsas literas pertineant, dixero. Imbuti sanguine gladii, Patres Conscripti, legionum exercituumque nostrorum, vel madefacti potius (1) duobus consulum, tertio Cæsaris prœlio. Si hostium fuit ille sanguis, summa militum pietas; nefarium scelus, si civium. Quousque igitur is, qui omnes hostes scelere superavit, nomine hostis carebit? nisi mucrones (*b*) etiam nostrorum militum tremere vultis, & dubitare *, utrum in cive, an in hoste figantur. Supplicationem (*c*) decernitis: hostem non appellatis. Gratæ vero nostræ diis immortalibus gratulationes erunt,

* Vulg. *dubitantes*.

(1) *Vel madefacti potius*) Minus est, *madefacti*, quam, *imbuti*. Correctione usus est, ut legionum gladios nondum satiatos esse ostenderet hostium sanguine. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Sed quoniam*) Antonium, quique cum eo sunt, debere a Senatu hostes judicari, hoc *Dilemmate* ostendit per sufficientem *Distributionem*:

Aut hostes sunt, aut Cives:
Non Cives, alioquin nostri milites fuissent impii;
Ergo hostes, adeoque tales Vos judicare eos debetis.

(b) *Nisi mucrones*) Id enim necessarium esse ait ad militum animos confirmandos.

(c) *Supplicationem*) Supplicatio non decernitur, nisi victis hostibus; sic autem nominandos esse, non improbos Cives, ut Servilius censuerat, probat *ab Effectis*:

Qui privatim sceleratus est, improbus civis; qui patriæ facit, & minitatur hostilia, hostis est appellandus;
Sed Antonius omnia facit, & minitatur Patriæ hostilia;
Ergo hostis appellandus est, non improbus civis.

runt, gratæ victimæ, cum interfecta sit civium multitudo. *De improbis*, inquit, *& audacibus*. Nam sic eos appellat clarissimus vir (1), quæ sunt urbanarum maledicta litium, non inustæ belli internecini notæ (2). Testamenta, credo, subjiciunt, aut ejiciunt vicinos, aut adolescentulos circumscribunt. His enim vitiis affectos & talibus, malos, & audaces appellare consuetudo solet.

Bellum inexpiabile infert quatuor consulibus (3) unus omnium latronum teterrimus: gerit idem bellum cum senatu, populoque Romano: omnibus (quamquam ruit ipse suis cladibus) pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta denuntiat: Dolabellæ ferum & immane facinus, quod nulla barbaria posset agnoscere, id suo consilio factum esse testatur: quæque esset facturus in hac urbe, nisi eum hinc ipse Jupiter ab hoc templo atque mœnibus repulisset, declaravit in Parmensium calamitate, quos, optimos viros, honestissimosque homines, maxime cum auctoritate hujus ordinis, populique Romani dignitate conjunctos, crudelissimis exemplis interemit (4) propudium illud & portentum L. Antonius, insigne odium omnium hominum, vel, si etiam dii oderint quos oportet, omnium deorum. Refugit animus, Patres Conscripti, eaque dicere reformidat, quæ L. Antonius in Parmensium liberis & conjugibus effecerit. Quas

(1) *Clarissimus vir*) Qui supplicationem decreverat: P. Servilius. *Idem*.

(2) *Non inustæ belli internecini notæ*) Sic habent libri aliquot vulgati, & ita ediderunt Ferratius, & Faernus. Muretus autem sic: *non justæ belli internecini notæ*. Quod minus probo. Cujacius autem Observ. lib. 1. cap. 2., totum hunc locum suspicatur ita esse legendum, *non justæ belli notæ, internecina testamenta, credo, subjiciunt*. Est autem testamentum internecinum, propter quod dominus necatus est, ut docet Festus. *Lambin.*

(3) *Quatuor consulibus*) Pansæ & Hirtio consulatum gerentibus, Bruto & Planco consulibus designatis. *Manut.*

(4) *Crudelissimis exemplis interemit*) Iis tormentis excruciatos, quæ exemplo esse possent. *Manut.*

retur? *Prius undis flamma* (1) ut ait poeta nescio quis, prius denique omnia, quam aut cum Antoniis respublica, aut cum republica Antonii redeant in gratiam. Monstra quædam sunt ista, & portenta, & prodigia reipublicæ. Moveri sedibus suis huic urbi melius est, atque in alias, si fieri possit, terras demigrare, unde Antoniorum nec facta (2), nec nomen audiat, quam illos Cæsaris virtute ejectos, Bruti retentos, intra hæc mœnia videre. Optatissimum est vincere: secundum est, nullum casum pro dignitate & libertate patriæ non ferendum putare. Quod reliquum est, non est tertium, sed postremum omnium, maximam turpitudinem suscipere vitæ cupiditate.

CONCLUSIO.

Quæ cum ita (*a*) sint, de mandatis literisque M. Lepidi viri clarissimi, Servilio assentior: & hoc amplius censeo, „ Magnum Pompejum, Cn. „ filium, pro patris majorumque suorum animo „ studioque in rempublicam, suaque pristina vir- „ tute, industria, voluntate, fecisse, quod suam, „ eorumque, quos secum haberet, operam sena- „ tui, populoque Romano pollicitus esset, eam- „ que

(1) *Prius undis flamma*) Hoc ipso proverbio usus est postea Augustus: cum significare vellet se nunquam filiam in urbem revocaturum. Quod his verbis narrat Dio libro xv: τοῦ δὲ δήμου σφόδρα ἐγκειμένου τῷ Αὐγούστῳ, ἵνα καταγάγῃ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ, θᾶσσον, ἔφη, πῦρ ὕδατι μιχθήσεσθαι, ἢ ἐκείνην καταχθήσεσθαι. *Muret.*

(2) *Unde Antoniorum nec facta &c.*) Alludit ad illud ex vetere tragoedia:

- - - - - - - - - - - - *Ubi*
Nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. Idem.

ANALYSIS.

(*a*) *Quæ cum ita*) De literis Lepidi rejiciendis assentitur P. Servilio, additque præterea de Sex. Pompeji Magni filii laudibus.

„ que rem senatui, populoque Romano gratam „ acceptamque esse, eique honori dignitatique „ eam rem fore. „ Hoc vel conjungi cum hoc senatusconsulto licet, vel sejungi potest, separatimque perscribi, ut proprio senatusconsulto Pompejus collaudatus esse videatur.



IN

IN M. ANTONIUM PHILIPPICA XIV.

ARGUMENTUM.

Allatis de prælio ad Mutinam commisso, Antonioque victo literis consulum, & Cæsaris, M. Cornutus, prætor urbanus, qui consulare munus, absentibus consulibus, more majorum sustinebat, cum senatum vocasset, easque literas recitasset, sententias rogavit. Quid alii censuerint, qui ante Ciceronem rogati sunt, obscurum est: unus tamen ex iis, redeundum, sagis depositis, ad togas, idemque fortasse, decernendam consulibus & Cæsari supplicationem, censuit. Sententia vero Ciceronis hæc fuit: non esse mutandum vestitum, nisi D. Bruto, cujus causa saga sumpta essent, liberato: Antonium, quique una essent, hostes judicandos: supplicationem quinquaginta dierum communiter tribus ducibus decernendam: milites eos, qui pro republica pugnantes interierunt, monumento quam amplissimo cohonestandos, quæque iis præmia senatus promiserat, ea parentibus, liberis, conjugibus, fratribus eorum persolvenda. MANUT.

PHILIPPICÆ XIV. SYNOPSIS

HÆc Oratio est in genere *Deliberativo*; Partes tres, *Exordio*, & *Peroratione* omissis; I. est de sagis, an deponenda sint. 2. an hostis sit judicandus Antonius, & per *digressionem* de se loquitur. 3. quod S. C. faciendum sit.

1. Non

1. Non esse deponenda saga, nisi Bruto liberato probat *a Caussis*, quia propter illum sumpta fuerant: *Si, ut ex literis*; & *ab Adjunctis* invidiæ quorumdam, & Senatus constantiæ: *Atque animadverto*; Occurrit etiam cuidam *Prolepsi*, quasi jam liber sit Brutus: *Quod sperare nos*.

2. Judicari debere hostem a Senatu 1. probat per *Distributionem*, erat enim vel hostis, vel civis: *Imbuti sanguine*; 2. *ab Effectis*, quia hostilia fecerat: *De improbis, inquit*; 3. *ab Adjunctis*, quia ab eo mortem omnes timuerant: *Recordamini per Deos*. Probat *a Comparatione minorum*, Duces esse appellàndos Imperatores: *Sed hoc primum faciam*. Calumniam in se confictam detestatur *a minori ad majus*: *Nonne satis est*; se purgat *ab Adjunctis*: *Credo hoc*; Narrat quo consilio fuerit conficta: *Unde igitur ista suspicio?* Cujus auctores gravi oratione castigat: *Hæc interposui*. Rursus *a Consequentibus* contendit, judicandum esse hostem Antonium, tum quia Supplicatio decernenda est: *Ex literis enim*; tum quia Imperatores appellandi sunt, qui vicerunt: *Quod ergo ille re*.

3. Narrat merita singulorum Ducum: *Unius autem diei*; quæ præmia iis, & militibns decernenda sint, exponit: *Decerno igitur*; Quoad mortuos laudat genus & mortis, & præmii; *ab Adjunctis*: *O fortunata mors*; quidque debeatur eorum propinquis, refert: *Sed quoniam*; omnia denique sua sententia complectitur: *Sed ut aliquando*.

PRIMA PARS.

I. SI, ut (*a*) ex literis, quæ recitatæ sunt, Patres Conscripti, sceleratissimorum hostium

ANALYSIS.

(a) *Si, ut*) Non esse redeundum ad togas, sagis depositis, nisi D. Bruto liberato, probat in primis hac ratione *a Caussis*: *Tunc*

exercitum cæsum fusumque cognovi, sic id, quod & omnes maxime optamus, & ex ea victoria quæ parta est, consecutum arbitramur, D. Brutum egressum jam Mutina esse cognovissem, propter cujus periculum ad saga issemus, propter ejusdem salutem redeundum ad pristinum vestitum sine ulla dubitatione censerem. Ante vero, quam sit ea res, quam avidissime civitas expectat, allata, lætitiæ usus satis est maximæ præclarissimæque pugnæ: reditum ad vestitum confectæ victoriæ reservate. Confectio autem hujus belli est D. Bruti salus.

Quæ autem (*a*) est ista sententia, ut *in hodiernum diem* vestitus mutetur, deinde cras sagati prodeamus? Nos vero cum semel ad eum, quem cupimus optamusque vestitum redierimus, id agamus, ut eum in perpetuum retineamus. Nam hoc quidem cum turpe est, tum ne diis quidem immortalibus gratum, ab eorum aris, ad quas togati adierimus, ad saga sumenda discedere.

Atque animadverto (*b*), Patres Conscripti, quosdam huic favere sententiæ, quorum ea mens, idque consilium est, ut, cum videant, gloriosissimum illum D. Bruto futurum diem, quo die, propter ejus salutem redierimus ad vestitum, hunc ei

ANALYSIS.

Tunc deponenda sunt saga, ubi sublata fuerit causa, propter quam ad saga itum est;
Sed ad saga itum est propter salutem D. Bruti;
Ergo non sunt deponenda, nisi D. Bruto liberato.

(a) *Quæ autem*) *Propositionem*, quam supra exposuit, hoc loco probat, quia turpe Senatui foret, Diis autem minime gratum, si adhuc oppugnante Mutinam Antonio, rursus sumenda essent saga, quæ temere deposuissent.

(b) *Atque animadverto*) Deinde sic arguit *ab Adjunctis:*
Decet Senatum & malevolorum invidiam negligere, & suam auctoritatem constanter tueri;
Sed qui deponi saga volunt invident Bruto, Vos propter unius Bruti salutem omnia hactenus fecistis;
Ergo illam de sagis deponendis sententiam, nondum liberato Bruto, omnino abjicere debetis.
Assumptionis utraque pars expresse habetur.

ei fructum eripere cupiant, ne memoriæ posteritatique prodatur, propter unius civis periculum populum Romanum ad saga iisse, propter ejusdem salutem redisse ad togas. Tollite hanc, nullam tam pravæ sententiæ causam reperietis. Vos vero, P. C. conservate auctoritatem vestram, manete in sententia, tenete vestra memoria, quod sæpe ostendistis, hujus totius belli in unius viri fortissimi & maximi vita positum esse discrimen.

II. Ad D. Brutum (*a*) liberandum legati missi principes civitatis, qui illi hosti ac parricidæ denuntiarent, ut a Mutina discederet: ejusdem D. Bruti conservandi gratia consul sortitu * ad bellum profectus A. Hirtius; cujus imbecillitatem valetudinis animi virtus & spes victoriæ confirmavit: Cæsar, cum exercitu per se comparato, a primis ** pestibus rempublicam liberasset, ne quid postea sceleris oriretur, profectus est ad eundem Brutum liberandum, vicitque dolorem aliquem domesticum patriæ caritate. Quid C. Pansa egit aliud delectibus habendis, pecuniis comparandis, senatusconsultis faciendis gravissimis in Antonium, nobis cohortandis, populo Romano ad causam libertatis vocando, nisi ut D. Brutus liberaretur? a quo populus Romanus frequens ita salutem D. Bruti una voce depoposcit, ut eam non solum commodis suis, sed etiam necessitati victus anteferret. Quod sperare (*b*) nos quidem debemus, Patres Conscri-

 pti,

* Vulg. *consules sortiti: ad bellum*. ** Vulg. *tum primis*.

ANALYSIS.

(a) *Ad D. Brutum*) Secundam autem partem confirmat, enumerans omnia, quæ facta fuerant usque ad illum diem, ut Mutinæ obsidio solveretur, & Brutus evaderet.

(b) *Quod sperare*) *Prolepsis*, quasi jam certa sit Bruti salus, victo Antonio; cui respondet, rem ipsam nihilominus expectandam esse; quod temeritatis esse videatur, exultare beneficio Deorum, quod nondum certum sit; stultitiæ vero fortunæ vim ignorare, ut dicitur: Multa cadunt inter calicem, primaque labra.

pti, aut inibi esse, aut jam esse confectum: sed spei fructum rei convenit, & eventui reservari, ne aut deorum immortalium beneficium festinatione præripuisse, aut vim fortunæ stultitia contempsisse videamur.

SECUNDA PARS.

III. Sed quoniam (*a*) significatio vestra satis declarat, quid hac de re sentiatis, ad literas veniam, quæ sunt a consulibus & a proprætore missæ, si pauca ante, quæ ad ipsas literas pertineant, dixero. Imbuti sanguine gladii, Patres Conscripti, legionum exercituumque nostrorum, vel madefacti potius (1) duobus consulum, tertio Cæsaris prœlio. Si hostium fuit ille sanguis, summa militum pietas; nefarium scelus, si civium. Quousque igitur is, qui omnes hostes scelere superavit, nomine hostis carebit? nisi mucrones (*b*) etiam nostrorum militum tremere vultis, & dubitare *, utrum in cive, an in hoste figantur. Supplicationem (*c*) decernitis: hostem non appellatis. Gratæ vero nostræ diis immortalibus gratulationes erunt,

* Vulg. *dubitantes*.

(1) *Vel madefacti potius*) Minus est, *madefacti*, quam, *imbuti*. Correctione usus est, ut legionum gladios nondum satiatos esse ostenderet hostium sanguine. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Sed quoniam*) Antonium, quique cum eo sunt, debere a Senatu hostes judicari, hoc *Dilemmate* ostendit per sufficientem *Distributionem*:

Aut hostes sunt, aut Cives:
Non Cives, alioquin nostri milites fuissent impii;
Ergo hostes, adeoque tales Vos judicare eos debetis.

(b) *Nisi mucrones*) Id enim necessarium esse ait ad militum animos confirmandos.

(c) *Supplicationem*) Supplicatio non decernitur, nisi victis hostibus; sic autem nominandos esse, non improbos Cives, ut Servilius censuerat, probat *ab Effectis*:

Qui privatim sceleratus est, improbus civis; qui patriæ facit, & minitatur hostilia, hostis est appellandus;
Sed Antonius omnia facit, & minitatur Patriæ hostilia;
Ergo hostis appellandus est, non improbus civis.

runt, gratæ victimæ, cum interfecta sit civium multitudo. *De improbis*, inquit, *& audacibus*. Nam sic eos appellat clarissimus vir (1), quæ sunt urbanarum maledicta litium, non inustæ belli internecini notæ (2). Testamenta, credo, subjiciunt, aut ejiciunt vicinos, aut adolescentulos circumscribunt. His enim vitiis affectos & talibus, malos, & audaces appellare consuetudo solet.

Bellum inexpiabile infert quatuor consulibus (3) unus omnium latronum teterrimus: gerit idem bellum cum senatu, populoque Romano: omnibus (quamquam ruit ipse suis cladibus) pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta denuntiat: Dolabellæ ferum & immane facinus, quod nulla barbaria posset agnoscere, id suo consilio factum esse testatur: quæque esset facturus in hac urbe, nisi eum hinc ipse Jupiter ab hoc templo atque mœnibus repulisset, declaravit in Parmensium calamitate, quos, optimos viros, honestissimosque homines, maxime cum auctoritate hujus ordinis, populique Romani dignitate conjunctos, crudelissimis exemplis interemit (4) propudium illud & portentum L. Antonius, insigne odium omnium hominum, vel, si etiam dii oderint quos oportet, omnium deorum. Refugit animus, Patres Conscripti, eaque dicere reformidat, quæ L. Antonius in Parmensium liberis & conjugibus effecerit. Quas

(1) *Clarissimus vir*) Qui supplicationem decreverat: P. Servilius. *Idem*.

(2) *Non inustæ belli internecini notæ*) Sic habent libri aliquot vulgati, & ita ediderunt Ferrarius, & Faernus. Muretus autem sic: *non justæ belli internecini notæ*. Quod minus probo. Cujacius autem Observ. lib. 1. cap. 2., totum hunc locum suspicatur ita esse legendum, *non justæ belli notæ, incernecina testamenta, credo, subjiciunt*. Est autem testamentum internecinum, propter quod dominus necatus est, ut docet Festus. *Lambin*.

(3) *Quatuor consulibus*) Pansæ & Hirtio consulatum gerentibus, Bruto & Planco consulibus designatis. *Manut*.

(4) *Crudelissimis exemplis interemit*) Iis tormentis excruciatos, quæ exemplo esse possent. *Manut*.

enim turpitudines Antonii libenter * subierunt, easdem per vim lætantur aliis se intulisse. Sed vis calamitosa est, quam illis intulerunt: libido flagitiosa, qua Antoniorum oblita est vita.

IV. Est igitur (*a*) quisquam, qui hostes appellare non audeat, quorum scelere crudelitatem Chartaginiensium victam esse fateatur? qua enim in urbe tam immanis Annibal capta, quam in Parma surrepta Antonius? nisi forte hujus coloniæ & cæterarum in quas eodem est animo, non est hostis Antonius putandus. Si vero coloniarum & municipiorum sine ulla dubitatione hostis est, quid tandem hujus censeris urbis, quam ille ad explendas egestates latrocinii sui concupivit? quam jam peritus metator & callidus decempeda sua Saxa diviserat? Recordamini (*b*), per deos immortales! Patres Conscipti, quid hoc biduo timuerimus a domesticis hostibus, rumoribus improbissimis dissipatis. Quis liberos, quis conjugem adspicere poterat sine fletu? quis domum? quis tecta? quis larem familiarem? Aut fœdissimam mortem omnes, aut miserabilem fugam cogitabant. Hæc a quibus timebantur, eos hostes appellare dubitamus? Gravius si quis attulerit nomen, libenter assentiar: hoc vulgari contentus vix sum, leviore non utar.

Itaque (*c*) cum supplicationes justissimas ex iis lite-

* Vulg. *libenter cum dedecore subierunt*.

ANALYSIS.

(a) *Est igitur*) Cum in amplificanda *Assumptione* Parmensium maxime injurias exaggerasset, inde arguit crudelem, & plus quam hostilem Antonii animum *a minori ad majus*; ac deinde subjicit *Complexionem*.

(b) *Recordamini*) Triduo, vel quatriduo ante percrebuerat fama, vicisse Antonium, unde maximus Romæ timor fuerat; ita igitur Cicero *ab Adjunctis*:

Ille hostis est, a quo mortem timebamus, si vicisset;
Nobis, & nostris mortem ab Antonio timebamus, si vicisset;
Ergo Antonius hostis est appellandus.

(c) *Itaque*) Antequam de Supplicatione a Servilio decreta sententiam dicat, probat Consules, & Cæsarem appellandos esse Im-

literis, quæ recitatæ sunt, decernere debeamus, Serviliusque decreverit, augebo omnino numerum dierum, præsertim cum non uni *, sed communiter tribus ducibus sint decernendæ. Sed hoc primum faciam, ut imperatores appellem eos, quorum virtute, consilio, felicitate, maximis periculis servitutis atque interitus liberati sumus. Etenim (*a*) cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur, aut minimis rebus gestis, aut plerumque nullis? Quamobrem (*b*) aut supplicatio ab eo, qui ante dixit, decernenda non fuit, aut usitatus honos pervulgatusque tribuendus iis, quibus etiam novi & singulares debentur.

V. An si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille aut duo millia occidisset, non ** eum hac consuetudine, quæ increbuit, imperatorem appellaret senatus? tot legionibus cæsis, tanta multitudine interfecta, hostium dico, ita, inquam, hostium, quamvis hoc isti hostes domestici nolint, clarissimis ducibus supplicationum honorem tribuemus, imperatorum nomen adimemus? Quanto enim (*c*) honore, lætitia, gratulatione in hoc templum ingredi debent illi ipsi hujus urbis liberatores, cum hesterno die propter eorum res gestas me ovantem & prope triumphantem, populus Romanus in Capitolium domo tulerit, domum inde

 redu-

* Vulg. *præsertim cum communiter tribus ducibus*.
** In vulg. deest *non*.

ANALYSIS.

Imperatores, *a Comparatione minorum:*
Nemini, parvis etiam rebus gestis, supplicatio decreta est, qui non fuerit appellatus Imperator;
Sed propter maximas res gestas nostris Ducibus supplicationem decernimus;
Ergo etiam Imperatores eos appellare debemus.

(a) *Etenim*) *Propositio*.

(b) *Quamobrem*) *Assumptio* cum *Complexione*; eamque illustrat, ut supra dictum est.

(c) *Quanto enim*) Eorundem Ducum gloriam amplificat *a Comparatione sui*; si enim res ab iis gestæ tantam Ciceroni gloriam pepererunt, quantam ii consequentur, qui gesserunt? ut nimirum ostendat, merito esse appellandos Imperatores.

reduxerit? Is enim demum est, mea quidem sententia, justus triumphus ac verus, cum bene de republica meritis testimonium a consensu civitatis datur. Nam sive in communi gaudio populi Romani uni gratulabantur, magnum judicium: sive gratias agebant, eo majus: sive utrumque, nihil magnificentius excogitari potest.

Tu igitur (*a*) ipse de te? dixerit quispiam. Et quidem invitus: sed injuriæ dolor facit me, præter consuetudinem, gloriosum. Nonne satis est ab hominibus virtutis ignaris gratiam bene merentibus non referri? etiam in eos, qui omnes suas curas in reipublicæ salute defigunt, crimen invidiaque quæretur? Scitis enim (*b*) per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me pridie Vinalia (1), qui dies hodie est, cum fascibus descensurum.

(1) *Pridie Vinalia*) Vulgo, *per Idus Quinct.* Hic dies quo senatus propter consulum, Cæsarisque literas habitus est, fuit XI. Kal. Maii, ut ex epist. ad M. Brutum liquet: scripsit enim ad eum Cicero, nuntium victoriæ XII. Kal. Maji allatum esse. Postridie autem senatus fuit. Qui potest igitur locum habere mentio Quinct. mensis? Hoc Ferrarius cum vidisset, opem a conjectura quæsivit, & pro *Per Idus Quinct.* legendum putavit *Pridie Vinalis*: nam Vinalia fuere X. Kal. Maji. Acute Ferrarius: nec ego dissentio, quamquam non omnis ejusmodi conjectura est, ut scopum veritatis attingat. *Man.* Ferrarii conjecturam receperant ante nos & Muretus & Lambinus. Quare non erat cur vulgata lectio, quam vitiosam esse nemo non videt, hic retineretur. Nemo interpretum hæc melius explicavit, quam Fabricius in *Ciceronis Historia*. Olivet.

ANALYSIS.

(a) *Tu igitur*) Causam affert, cur ea de se gloriose dixerit, ut scilicet justissima laude iniquam compensaret invidiam; hanc porro injuriam sic exaggerat *a minori ad majus*:

Injuriosum est, bene de Rep. merentibus gratiam non referri;
Sed mihi, quod bene de Rep. merear, non solum gratia non refertur, sed crimen etiam, & invidia inde quæritur;
Ergo maxima afficior injuria.

(b) *Scitis enim*) Ad approbandam *Assumptionem* narrat, quid in se ab amicis Antonii confictum fuerit; idque non esse probabile contendit *ab Adjunctis*:

Ille non vult occupare Remp., qui ne alii occuparent, effecit;
Sed ego meditantes Reip. perniciem oppressi;
Ergo non est probabile, me assumptis per vim fascibus, voluisse occupare Remp.

surum. In aliquem credo hoc gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam esse confictum, non in eum, qui, ne quid tale in republica fieri posset, effecerit. An ut * ego, qui Catilinam hæc molientem sustulerim, everterim, afflixerim, ipse existerem repente Catilina? Quibus auspiciis istos fasces augur acciperem? quatenus haberem? cui traderem? quemquamne (*a*) fuisse tam sceleratum, qui hoc fingeret? tam furiosum, qui crederet? Unde igitur (*b*) ista suspicio, vel potius unde iste sermo?

VI. Cum, ut scitis, hoc triduo, vel quatriduo, tristis a Mutina fama manaret, inflati lætitia atque insolentia impii cives, unum se in locum ad illam curiam, suis potius, quam reipublicæ infelicem (1), congregabant. Ibi cum consilium inirent de cæde nostra, partirenturque inter se, qui Capitolium, qui Rostra **, qui urbis portas occuparent, ad me concursum futurum civitatis putabant. Quod ut cum invidia mea fieret, & cum vitæ etiam periculo, famam istam fascium dissipaverunt, fasces ipsi ad me delaturi fuerunt. Quod cum esset quasi mea voluntate factum, tum in me impetus conductorum hominum, quasi in tyrannum, parabatur: ex quo cædes esset vestrum omnium consecuta. Quæ res patescit, Patres Conscripti: sed suo

* In Vulg. deest *ut*. ** Vulg. *ostia*.

(1) *Ad illam curiam, suis potius, quam reipublicæ infelicem*) Qui curiam Pompejanam, quod in ea Cæsar interfectus fuisset, infelicem ex eo nominaverant, hoc videlicet significare voluerant, eam reip. infelicem fuisse; utpote in qua patri patriæ nex allata esset. At Cicero eam eis potius infelicem esse ait, qui partes illas foverent, &, ut Cæsar fecerat, remp. opprimere molirentur. Itaque quod in aliis legebatur, *viribus suis*, aut *viris suis*, aut *vitiis suis*: addita hæc erant ab iis, qui, quam vim haberet illud, *suis*, non videbant. *Muretus*.

ANALYSIS.

(a) *Quemquamne*) *Complexio*.
(b) *Unde igitur*) Exponit, quo consilio id confictum fuerit ab amicis Antonii, & rem totam cum narratione ipsa facit probabilem, tum Populi testimonio confirmat.

ſuo tempore totius hujus ſceleris fons aperietur (1).

Itaque P. Apulejus, tribunus plebis, meorum omnium conſiliorum periculorumque jam inde a conſulatu meo teſtis, conſcius, adjutor, dolorem ferre non potuit *: doloris mei concionem habuit maximam, populo Romano unum atque idem ſentiente. In qua concione cum me, pro ſumma noſtra conjunctione & familiaritate, liberare ſuſpicione faſcium vellet, una voce cuncta concio declaravit, nihil eſſe a me unquam de republica niſi optime cogitatum. Poſt hanc habitam concionem, duabus tribuſve horis, optatiſſimi nuntii & literæ venerunt: ut idem dies non modo me iniquiſſima invidia liberarit, ſed etiam celeberrima populi Romani gratulatione auxerit.

Hæc interpoſui (*a*), Patres Conſcripti, non tam ut pro me dicerem, (male enim mecum ageretur, ſi parum vobis eſſem ſine defenſione purgatus) quam ut quoſdam nimis jejuno animo & anguſto monerem, id quod ſemper ipſe feciſſem, uti excellentium civium virtutem imitatione dignam, non invidia putarent. Magnus eſt in republica campus, ut ſapienter dicere Craſſus ſolebat: multis apertus curſus ad laudem.

VII. Utinam quidem illi principes viverent, qui me poſt meum conſulatum, cum iis ipſe cederem,

* Vulg. *non potuit doloris mei: concionem.*

(1) *Fons aperietur*) Fontem hujus ſceleris virum conſularem, virtuti & gloriæ Ciceronis invidentem, ea, quæ ſequuntur, oſtendunt: eaque non in quemquam magis, quam in Q. Fuſium Calenum, Antonii procuratorem, defenſoremque perpetuum, ſuſpicio cadit. *Manut.*

ANALYSIS.

(a) *Hæc interpoſui*) In eos invehitur, qui ſe de Rep. benemerentem invidia potius, quam admiratione dignum putarent. In primis autem tales a ſe æmulos nullo pacto timeri probat *a Comparatione majorum*:

Summi, & fortiſſimi viri me poſt meum Conſulatum principem eſſe paſſi ſunt;
Sed hoc tempore pauciſſimi ſunt fortes, & conſtantes Conſulares;
Ergo nunc multo facilius principatum tenebo.

derem, principem non inviti videbant! Hoc vero tempore in tanta inopia constantium & fortium consularium, quo me dolore affici creditis, cum alios male sentire, alios nihil omnino curare videam, alios parum constanter in suscepta causa permanere, sententiamque suam non semper utilitate reipublicæ, sed cum spe, tum timore moderari? Quod si quis (*a*) de contentione principatus laborat, quæ nulla esse debet, stultissime facit, si vitiis cum virtute contendit. Ut enim (*b*) cursu cursus, sic in viris fortibus virtus virtute superatur. Tu, si ego (*c*) de republica optime sentiam, ut me vincas, ipse pessime senties? aut, si ad me bonorum concursum fieri videbis, ad te improbos invitabis? nollem, primum reipublicæ causa, deinde etiam dignitatis tuæ. Sed, si (*d*) principatus ageretur, quem nunquam expetivi, quid tandem mihi esset optatius? Ego enim malis sententiis vinci non possum, bonis forsitan possum, & libenter.

Hæc populum (*e*) Romanum videre, animadvertere, judicare, quidam moleste ferunt. Poteratne fieri, ut non perinde homines de quoque, ut

ANALYSIS.

(a) *Quod si quis*) Deinde hac ratione *ab Adjunctis*:
Virtus virtute, non vitiis superatur;
Sed mecum, qui virtute utor, vitiis illi contendunt;
Ergo ii me nunquam superabunt.

(b) *Ut enim*) *Propositio* illustrata *a Simili*: qui enim bene currit ab eo vincitur, qui celerius currit; virtus majori virtute superatur.

(c) *Tu, si ego*) *Assumptio*; idque sibi displicere duplici ex causa affirmat.

(d) *Sed, si*) *Complexio*; talis enim sensus est: doleo quidem Reip. causa, & eorum, qui ita se gerunt; sed, si mecum contendunt, ut principem locum obtineant, lætor mea causa, quia si bene senserint, me forsitan vincent; si male, nunquam bene me sentientem ipsi vincent male sentiendo.

(e) *Hæc populum*) Hactenus rationem assignavit, qua quis principem locum in Senatu obtinere possit; nunc eodem modo probat bonam populi Rom. existimationem comparari, quo & sibi ipse Reip. causa suscepta comparaverat.

ut quisque mereretur, judicarent? Ut enim de universo senatu populus Romanus verissime judicat nullis reipublicæ temporibus hunc ordinem firmiorem atque fortiorem fuisse, sic de unoquoque nostrum, & maxime qui hoc loco sententias dicimus, sciscitantur omnes, avent audire, quid quisque senserit. Ita de unoquoque, ut quemque meritum arbitrantur, existimant. Memoria tenent, me ante diem XIII. Kal. Jan. principem revocandæ libertatis fuisse: me ex Kal. Jan. ad hanc horam invigilasse reipublicæ: meam domum, measque aures dies, noctes, omnium præceptis monitisque patuisse: meis literis, meis nuntiis, meis cohortationibus omnes, qui ubique essent, ad patriæ præsidium excitatos: meis sententiis a Kalendis Januariis nunquam legatos ad Antonium: semper illum hostem, semper hoc bellum: ut ego, qui omni tempore veræ pacis auctor fuissem, huic essem nomini pestiferæ pacis inimicus. Idem Ventidium, cum alii tribunum plebis voluissent, non ego semper hostem? Has in sententias meas si consules designati (1) discessionem facere voluissent, omnibus istis latronibus auctoritate ipsa senatus jam pridem de manibus arma cecidissent.

VIII. Sed, quod tum non licuit, Patres Conscripti, id hoc tempore non solum licet, verum etiam necesse est, eos, qui re sunt hostes, verbis notari, sententiis nostris hostes judicari. Antea cum hostem, ut bellum nominassem, semel & sæpius sententiam meam de numero sententiarum sustulerunt. Quod in hac (*a*) causa jam fieri non potest.

(1) *Consules designati*) Cum de sententiis loquatur, quas a Kal. Jan. dixit, miror cur designati consules Pansa & Hirtius vocentur: ac vereor, ne verbum, *designati*, additum ex inscitia sit interpretis imperiti. *Manut.*

ANALYSIS.

(*a*) *Quod in hac*) Ingeniosus a *Digressione* ad rem ipsam tran-

potest. Ex literis (*a*) enim C. Pansæ, A. Hirtii consulum, C. Cæsaris proprætoris, de honore diis immortalibus habendo sententias diximus. Supplicationem modo qui decrevit, idem imprudens hostes judicavit. Nunquam enim in civili bello supplicatio decreta est. Decretam dico? ne victoris quidem literis postulata est.

Civile bellum (*b*) consul Sylla gessit: legionibus in urbem adductis, quos voluit, expulit: quos potuit, occidit: supplicationis mentio nulla. Grave bellum Octavianum insecutum est: supplicatio Cinnæ nulla victoris. Cinnæ victoriam imperator ultus est Sylla: nulla supplicatio decreta a senatu. Ad teipsum, P. Servili, num misit ullas collega literas de illa calamitosissima * pugna Pharsaliæ? num te de supplicatione voluit referre? profecto noluit. At misit postea de Alexandria, de Pharnace. Pharsalicæ vero pugnæ ne triumphum quidem egit. Eos enim cives pugna illa sustulerat, quibus non modo vivis **, sed etiam victoribus, & incolumis, & florens civitas esse posset. Quod idem contigerat superioribus bellis civilibus. Nam mihi consuli supplicatio, nullis armis sumptis, non ob cædem hostium, sed ob conservationem civium, novo & inaudito genere, decreta est. Quamobrem (*c*) aut supplicatio ob rempublicam pul-

* Vulg. *calamitosa*.
** Vulg. *non modo victoribus, sed etiam vivis*.

ANALYSIS.

transitus; & probat *a Consequentibus*, Antonium, & qui cum eo sunt, hostes necessario esse judicandos:

Victis hostibus Supplicatio decernitur, non in civili bello;
Sed Supplicatio decernenda est nostris Imperatoribus, qui Antonium vicerunt;
Ergo Antonius, & qui cum eo sunt, hostes necessario judicandi sunt.

(a) *Ex literis*) *Propositio*.

(b) *Civile bellum*) Ejus approbatio *ab Exemplis similibus*; & occurrit *Prolepsi* de se ipso, cui Consuli præter consuetudinem decreta est Supplicatio non ob cædem vel hostium, vel Civium, sed ob conservationem Patriæ.

(c) *Quamobrem*) *Dilemma*, cujus primum membrum habet *Assumptionis* approbationem, alterum continet *Complexionem*.

pulcherrime gestam postulantibus vestris imperatoribus deneganda est, quod præter Gabinium contigit nemini, aut, supplicatione decernenda, hostes eos, de quibus decernitis, judicetis necesse est.

IX. Quod ergo (*a*) ille re, id ego etiam verbo; cum imperatores eos appello, hoc ipso nomine & eos, qui jam devicti sunt, & eos qui supersunt, hostes judico, cum victores appello imperatores. Quomodo enim potius Pansam appellem? etsi habet honoris nomen amplissimi. Quo Hirtium? est ille quidem consul: sed alterum nomen beneficii est populi Romani; alterum, virtutis atque victoriæ. Quid? Cæsarem, deorum beneficio reipublicæ procreatum, dubitemne appellare imperatorem? qui primus Antonii immanem & fœdam crudelitatem non solum a jugulis nostris, sed etiam a membris & visceribus avertit.

TERTIA PARS.

Unius autem (*b*) diei quot & quantæ virtutes, dii immortales, fuerunt! Princeps enim omnium Pansa prœlii faciendi, & cum Antonio confligendi fuit, dignus imperator legione Martia, digna legio imperatore. Cujus si acerrimum impetum cohibere Pansa * potuisset, uno prœlio confecta res esset. Sed cum libertatis avida legio effrenatius in aciem hostium irrupisset, ipseque in primis Pansa pugnaret, duobus periculosis vulneribus

* In vulg. deest *Pansa*.

ANALYSIS.

(a) *Quod ergo*) Aliam etiam ob causam judicandos esse hostes Antonios ostendit, quæ pendet ex dictis ante *Digressionem*, & est hujusmodi.

Non appellatur Imperator, nisi qui hostes vicerit;
Sed nostri Duces appellandi sunt Imperatores;
Ergo qui victi sunt judicandi sunt hostes.

(b) *Unius autem*) Commemorat, laudatque tres Duces, ut singuli cum Antonio conflixerant; rem fusius narrat Appianus, vide etiam Ep. 30. & 33. lib. 10. ad Famil.

bus acceptis, sublatus e prœlio, reipublicæ vitam reservavit. Ego vero hunc non solum imperatorem, sed etiam clarissimum imperatorem judico: qui cum aut morte, aut victoria se satisfacturum reipublicæ spopondisset, alterum fecit, alterius dii immortales omen avertant.

X. Quid dicam de Hirtio? qui, re audita, e castris duas legiones eduxit incredibili studio atque virtute, quartam illam, quæ, relicto Antonio, se olim cum Martia legione conjunxit, & septimam, quæ constituta ex veteranis, docuit illo prœlio, militibus iis, qui Cæsaris beneficia servassent (1), senatus populique Romani carum nomen esse. His viginti cohortibus, nullo equitatu, Hirtius ipse aquilam quartæ legionis cum inferret, qua nullius pulchriorem (2) speciem imperatoris accepimus, cum tribus Antonii legionibus equitatuque conflixit, hostesque nefarios, huic Jovi maximo, cæterisque deorum immortalium templis, urbis tectis, libertati populi Romani, nostræ vitæ sanguinique imminentes, prostravit, fudit, occidit; ut cum admodum paucis, nocte tectus, metu perterritus, princeps latronum duxque fugerit. O solem ipsum beatissimum, qui antequam se abderet, stratis cadaveribus parricidarum, cum paucis fugientem vidit Antonium!

An vero quisquam dubitabit appellare Cæsarem imperatorem? Ætas ejus certe ab hac sententia neminem deterrebit, quandoquidem virtute superavit ætatem. Ac mihi semper eo majora beneficia C. Cæsaris visa sunt, quo minus erant ab ætate illa postulanda: cui cum imperium *, eodem tempore etiam spem nominis ejus (3) deferebaba-

* Vulg. *imperium dabamus*.

(1) *Qui Cæsaris beneficia servassent*) Nam qui ea comederant, rerum novarum studio tenebantur. Philipp. XI. & XIII. *Manut.*

(2) *Qua nullius pulchriorem*) Hoc ait, Imperatoris speciem nullam pulchriorem esse, quam inferentis aquilam. *Anonym.*

(3) *Spem nominis ejus*) Imperator ut appellaretur, cum haberet imperium. *Ferr.*

bamus: quod, cum est secutus auctoritatem nostri decreti, rebus gestis suis comprobavit. Hic ergo adolescens maximi animi, ut verissime scribit Hirtius, castra multarum legionum paucis cohortibus tutatus est, secundumque prœlium fecit. Ita trium imperatorum virtute, consilio, felicitate, uno die locis pluribus respublica est conservata.

XI. Decerno igitur (*a*) eorum trium nomine quinquaginta dierum supplicationes, quas ut honorificentissimis verbis consequi potero, complectar ipsa sententia (1). Est autem fidei pietatisque nostræ declarare fortissimis militibus, quam memores simus, quamque grati. Quamobrem promissa nostra, atque ea, quæ legionibus, bello confecto, tributuros nos spopondimus, hodierno senatusconsulto renovanda censeo. Æquum est enim, militum, talium præsertim, honorem conjungi.

Atque utinam, Patres Conscripti, civibus omnibus solvere nobis præmia liceret! quanquam nos ea, quæ promisimus, studiose cumulata reddemus. Sed id quidem restat, ut spero, victoribus, quibus senatus fides præstatur (2): quam quidem * cum

* In vulg. deest *quidem*.

(1) *Quas ut honorificentissimis verbis consequi potero, complectar ipsa sententia*) Quid sit *supplicationes sententia complecti*, id quidem me ignorare fateor. Sed *causas supplicationum sententia complecti*, quid notet, norunt omnes, qui Latine sciunt. Et sic omnino cum Mureto legendum, qui procul dubio id in antiquis membranis reperit. Has causas, cur tam honorificis verbis eos prosequatur, commemorat in ultimo hujus orationis capite. *Grævius*. Et plana & Latina est Mureti lectio: *Decerno igitur .... supplicationes: causas ut honorificentissimis verbis consequi potero, complectar ipsa sententia*. Fidem tamen obligavi quatuor editoribus optimis, qui eam nesciunt. Itaque habeo quod edam cum cæteris, & quod cum Mureto sentiam. *Olivetus*.

(2) *Quibus senatus fides præstatur*) Ut de solutione non du-

ANALYSIS.

(a) *Decerno igitur*) Supplicationem quinquaginta dierum decernit Imperatoribus; ut quamprimum sua militibus præmia persolvantur; ut mortuis publicum fiat monumentum, & eorum cognatis tribuantur promissa præmia.

cum difficillimo reipublicæ tempore secuti sunt, eos nunquam oportebit consilii sui pœnitere. Sed facile est bene agere cum iis, a quibus etiam tacentibus flagitari videmur. Illud admirabilius, & majus, maximeque proprium senatus sapientis est, grata eorum virtutem memoria prosequi, qui pro patria vitam profuderunt. Quorum de honore utinam mihi plura in mentem venirent! duo certe non præteribo, quæ maxime occurrunt: quorum alterum (1) pertinet ad virorum fortissimorum gloriam sempiternam, alterum (2) ad leniendum mœrorem & luctum proximorum.

XII. Placet igitur mihi, Patres Conscripti, legionis Martiæ militibus, & eis, qui una pugnantes occiderunt, monumentum fieri quam amplissimum. Magna atque incredibilia sunt in rempublicam hujus merita legionis. Hæc se prima latrocinio abrupit Antonii, hæc tenuit Albam, hæc se ad Cæsarem contulit, hanc imitata quarta legio parem virtutis gloriam consecuta est. Quarta victrix desiderat neminem: ex Martia nonnulli in ipsa victoria conciderunt. O fortunata (*a*) mors! quæ naturæ debita, pro patria est potissimum reddita.

Vos vero patriæ natos judico, quorum etiam no-

dubitent. Præstatur autem & superiore S. C. quo promisimus, & hoc hodierno, quo promissa renovantur. *Man.*

(1) *Alterum*) Monumentum amplissimum. *Id.*

(2) *Alterum*) Ut quæ ipsis promissa fuerant, ea parentibus, liberis, conjugibus eorum tribuantur. *Idem.*

ANALYSIS.

(a) *O fortunata*) Cum ex Martia maxime legione multi cecidissent, laudat in primis genus mortis argumento sumpto *ab Adjunctis:*

Gloriosum est mori pro patria, in victoria, cum laude fortitudinis, cum spe æternitatis;
Sed illi ita in prælio mortui sunt;
Ergo gloriosissime ceciderunt.

Singula *Adjuncta* suo loco amplificat; ad confirmandam *Assumptionem*.

nomen a Marte est: ut idem deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuisse videatur. In fuga, fœda mors est: in victoria, gloriosa. Etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari (1) solet. Illi igitur impii, quos cecidistis, etiam ad inferos pœnas parricidii luent, vos vero qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem & locum consecuti. Brevis a natura nobis vita data est; at memoria bene redditæ vitæ sempiterna. Quæ si non esset longior, quam hæc vita, quis esset tam amens, qui maximis laboribus & periculis ad summam laudem gloriamque contenderet?

Actum igitur (a) præclare vobiscum, fortissimi dum vixistis, nunc vero etiam sanctissimi milites, quod vestra virtus nec oblivione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit; cum vobis immortale monumentum suis pene manibus senatus, populusque Romanus extruxerit. Multi sæpe exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis, clari & magni fuerunt, nec tamen ullis tale genus honoris tributum est. Atque utinam majora possemus, quandoquidem a vobis maxima accepimus! Vos ab urbe furentem Antonium avertistis: vos redire molientem repulistis. Erit igitur extructa moles (2) opere magnifico, incisæque literæ, divinæ virtutis testes sempiternæ: nunquam de vobis, eorum, qui aut videbunt vestrum monumentum, aut audient, gratissi-

(1) *Pignerari*) Sibi quasi suos assumere. Nam in acie fortissimi quique moriuntur. *Man.*

(2) *Erit igitur extructa moles*) Multa sunt in hujus orationis extremo, quæ conformata videri possunt ad exemplum ejus, qua Pericles eos qui pro patria occubuerant, laudat apud Thucydidem lib. II. *Mures.*

ANALYSIS.

(a) *Actum igitur*) Publicum monumentum futurum iis militibus perhonorificum probat, quia singularis est honor, & magnifice collatus; Arist. l. 2. c. 7. t. 80.

ʃissimus sermo conticescet. Ita pro mortali conditione vitæ immortalitatem estis consecuti.

XIII. Sed quoniam (*a*), Patres Conscripti, gloriæ munus optimis & fortissimis civibus monumenti honore persolvitur, consolemur eorum proximos, quibus optima est hæc quidem consolatio: parentibus, quod tanta reipublicæ præsidia genuerunt: liberis, quod habebunt * domestica exempla virtutis: conjugibus, quod iis viris carebunt, quos laudare, quam lugere præstabit: fratribus, quod in se, ut corporum, sic virtutum similitudinem esse confident. Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris consultisque possemus, vel aliqua talis his adhiberi publice posset oratio, qua deponerent mœrorem atque luctum, gauderentque potius, cum multa & varia impenderent hominibus genera mortis, id genus, quod esset pulcherrimum, suis obtigisse, eosque nec inhumatos esse, nec desertos: (quod tamen ipsum pro patria non miserandum putatur) nec dispersis bustis humili sepultura crematos, sed contectos publicis operibus atque muneribus, eaque extructione, quæ sit ad memoriam æternitatis ara virtutis (1).

Quamobrem maximum quidem solatium erit propinquorum, eodem monumento declarari, & vir-

* Vulg. *habent*.

(1) *Ara virtutis*) Cui inscribetur elogium, eorum virtutem immortalitati consecrans. Solebant enim in locis, ubi victoria erat parta, locari aræ, quibus inscribebantur res in illo loco gestæ, & illorum laus, quorum virtute gestæ erant, ut multis dudum docuerunt viri docti. *Græv.*

ANALYSIS.

(a) *Sed quoniam*) Tertio Patres hortatur *a Congruo*, ut illud monumentum decernant:

Mortuorum propinquos aliqua ratione consolari debemus;
Sed nullum esse potest propinquorum majus solatium, quam hoc publice extructum monumentum;
Ergo publice monumentum illis denegare non debemus.

Assumptionem autem ingeniosissime amplificat, ac tum demum de præmiis mortuorum propinquis persolvendis agit.

virtutem suorum, & pietatem, & senatus fidem, & crudelissimi memoriam belli: in quo, nisi tanta militum virtus extitisset, parricidio M. Antonii nomen populi Romani occidisset. Atque etiam censeo, Patres Conscripti, quæ præmia militibus promisimus nos, republica recuperata, tributuros, ea vivis victoribusque cumulate, cum tempus venerit, persolvenda: qui autem ex iis, quibus illa promissa sunt, pro patria occiderunt, eorum parentibus, liberis, conjugibus, fratribus eadem tribuenda censeo.

XIV. Sed, ut (*a*) aliquando sententia complectar, ita censeo: „ Cum C. Pansa, consul, „ imperator, initium cum hostibus confligendi fe„ cerit, quo prœlio legio Martia admirabili in„ credibilique virtute libertatem populi Romani „ defenderit, quod idem legiones tironum (1) „ fecerint, ipseque C. Pansa, consul, imperator, „ cum inter media hostium tela versaretur, vul„ nera acceperit; cumque A. Hirtius, consul, „ imperator, prœlio audito & cognito, fortissimo „ præstantissimoque animo exercitum castris eduxe„ rit, impetumque in M. Antonium, exercitum„ que hostium fecerit, ejusque copias occisione oc„ ciderit, suo exercitu ita incolumi, ut ne unum „ quidem militem desideraverit; cumque C. Cæ„ sar, imperator, consilio diligentiaque sua castra „ feliciter defenderit, copiasque hostium, quæ ad „ castra accesserant, profligarit, occiderit; ob eas „ res senatum existimare, & judicare, eorum „ trium

(1) *Legiones tironum*) Quatuor, ut scripsit Galba, quas ex delectu Italiæ consul Pansa comparaverat. *Manutius*.

ANALYSIS.

(a) *Sed, ut*) Ciceronis ipsa sententia, in quam S. C. faciendum censebat, & qua singula, de quibus egit superius, complectitur.

„ trium imperatorum virtute, imperio, consilio, „ gravitate, constantia, magnitudine animi, feli- „ citate, populum Romanum fœdissima crudelissi- „ maque servitute liberatum: cumque rempublicam, „ urbem, templa deorum immortalium, bona, „ fortunasque omnium, liberosque conservarint di- „ micatione & periculo vitæ suæ, uti ob eas res „ bene, fortiter, feliciterque gestas, C. Pansa, „ A. Hirtius, consules, imperatores, alter ambo- „ ve, aut si aberunt, M. Cornutus (1), prætor „ urbanus, supplicationes per dies quinquaginta ad „ omnia pulvinaria constituat. Cumque virtus le- „ gionum digna clarissimis imperatoribus extiterit, „ senatum, quæ sit antea pollicitus legionibus exer- „ citibusque nostris, ea summo studio, republica „ recuperata, persoluturum: cumque legio Mar- „ tia princeps cum hostibus conflixerit, atque ita „ cum majore numero hostium contenderit, ut „ plurimos cæderent, caperent nonnullos, cumque „ sine ulla retractatione pro patria vitam profude- „ rint, cumque simili virtute reliquarum legionum „ milites pro salute & libertate populi Romani „ mortem oppetiverint, senatui placere, ut C. „ Pansa, A. Hirtius, consules, imperatores, al- „ ter ambove, si his videatur, iis, qui sanguinem „ pro vita, libertate, fortunisque populi Romani, „ pro urbe, templisque deorum immortalium pro- „ fudissent, monumentum quam amplissimum lo- „ candum, faciendum curent: * quæstores urbis ad „ eam rem pecuniam dare, attribuere, solvere „ jubeant, ut extet ad memoriam posteritatis sem- „ piternam, ad scelus crudelissimorum hostium, „ militumque divinam virtutem: utque, quæ præ- „ mia senatus militibus ante constituit, ea solvan-

* Vulg. *faciendum quæst. urbis curent; ad eam*.

(1) *M. Cornutus*) De quo Familiar. epist. 12. lib. *Manut.*

„ tur eorum, qui hoc bello pro patria occiderunt,
„ parentibus, liberis, conjugibus, fratribus: ea-
„ que fratribus * tribuantur, quæ militibus ipsis
„ tribui oporteret, si illi vixissent, qui morte vi-
„ cerunt.

* Vulg. *iisque tribuantur.*



IN-

INDEX ORATIONUM.

Quarum fragmenta subjiciuntur.

ORATIONUM FRAGMENTA.

PRO M. TULLIO (1).

PRISCIANUS.) Hoc judicium sic expectatur, ut non unæ rei statui, sed omnibus constitui putetur.

QUINT. *libro* IV. *capite* 2.) Fundum habet (2) in agro Tigurino M. Tullius paternum.

VICTORIN. *lib.* I. *De Invent.*) Dico, vim factam a P. Fabii familia: adversarii non negant. Damnum datum esse M. Tullio concedis: vici unam rem. Vi, hominibus armatis; non negas: vici alteram. Dolo malo; factum negas: de hoc judicium est.

MARTIAN. CAP. *lib.* V.) Damnum passum esse M. Tullium, convenit mihi cum adversario: hominibus armatis rem esse gestam, *non inficiantur*: a familia P. Fabii commissam, negare non audent. Jam dolo malo factum ambigitur.

QUINT. *lib.* V. *cap.* 13.) Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur?

RU-

(1) Orationem hanc ego pro *M. Tullio Decula*, qui consulatum, Cicerone adolescente, ad eloquentiæ laudem virescente, cum Cn. Dolabella gessit, dictam suspicor. Defendit autem eum *de vi*, quantum ex orationis fragmentis intelligere possum. Artificium hujus defensionis his verbis expressit Fortunatianus in Rhetorica: *Voluntas legis tertio consideratur, cum exemplo multarum legum probamus, præsentem quoque legem ita sentire, sicut M. Tullius fecit pro M. Tullio*. Sigon.

(2) *Fundum habet*) Hoc est narrationis principium. Quintilianus lib. IV. cap. II. *Frequenter*, inquit, *a re initium narrationis faciendum est: sicut pro M. Tullio Cicero:* Fundum habet in agro Tigurino M. Tullius paternum. *Sigonius*.

RUFINIANUS, *in Apophasi.*) Si quis furem occiderit, injuria occiderit. Quamobrem? quia jus constitutum nullum est. Quid si se telo defenderit? haud injuria. Quid ita? quia constitutum est.

PRO L. VARENO (1).

SEVERIAN.) Amici deficiunt, cognati deserunt.

IDEM.) In inimicissima civitate urgent, instant, insequuntur studio (2), multitudine, pecunia, perjurio pugnant.

PRISC.) C. Ancharius Rufus fuit e municipio Fulginate.

PRISC.) In præfectura Fulginate.

QUINT. *lib.* v. *cap.* 13.) Cum iter per agros (3) & loca sola faceret cum Populeno, in familiam Anchariianam incidisse dixerunt: deinde Populenum occisum esse: illico Varenum vinctum, adservatum, dum hic ostenderet, quid de eo fieri vellet.

QUINT. *lib.* VII. *cap.* I.) In legem de sicariis commisit L. Varenus.. Nam C. Varenum (4) occidendo, & Cnæum vulnerando, & Salarium item occidendo, cadit.

QUINT. *lib.* VII. *cap.* I.) Tum C. Varenus

(1) L. etiam Varenum videtur iisdem prope temporibus inter sicarios defendisse, cum ei objiceretur, quod C. Vareno necem attulisset: quod crimen Cicero negavit, atque in Ancharii familiam evertit. *Idem.* Vide Quintilianum, IV., 2. VI, 2. VII, 1. VIII, 2. XII.

(2) *Insequuntur studio*) Lego, *Insequuntur: studio &c. Patricius.*

(3) *Cum iter per agros*) Quintilianus lib. V. cap. 13. *Præterea in contradictionibus interim totum crimen exponitur: ut Cicero pro Scauro contra Bostarem facit, velut orationem diversæ partis imitatus: aut pluribus propositionibus junctis, ut pro Vareno:* Cum iter per agros &c. *Quod est utique faciendum, si sit incredibilis rei ordo, & ipsa expositione fidem perditurus.* Sigonius

(4) *Nam C. Varenum*) Vide Quintilianum lib. VII. cap. II.

nus (1) is, qui a familia Anchariana occisus est: hoc, quæso, Judices, diligenter attendite.

PRISC. *lib.* III. & QUINT. *lib.* VIII. *cap.* 3.) L. ille Septimius (2) diceret. Etenim est ad L. Crassi eloquentiam gravis, & vehemens, & volubilis. Erucius (3) hic noster, Antoniaster est.

PRISC. *lib.* XII.) Ea cædes si potissimum crimini datur, detur ei, cuja interfuit; non ei, cuja nihil interfuit.

QUINT. *lib.* V. *cap.* 10.) Optio vobis datur, utrum velitis, casu illo itinere Varenum esse usum, an hujus persuasu & inductu.

PRISC.) Deum fidem.

CUM QUÆSTOR LILYBÆO DECEDERET (4).

FRONTO.) Non detrectare militiam, sed defendere provinciam judicata est.

PRO

(1) *Tum C. Varenus*) Quintilianus lib. IV. cap. 1. & lib. IX. cap. 11. *Sigonius*.

(2) *L. ille Septimius*) Significat *L. Septimium* L. Crassi, Erucium M. Antonii, nobilissimorum quondam oratorum, fuisse similes. *Erucium* autem fortasse intellexit eum, cui ipse respondit pro Sex. Roscio Amerino. *Idem*.

(3) *Erucius Antoniaster*) De hoc *Erucio*, vide Orat. pro Sex. Roscio Amerino. Totum hunc locum, sicut est, correxit, & emendavit Petrus Victorius lib. XIV. cap. 23. Var. Lectionum. *Patricius*.

(4) Vestigia ejus orationis ex Asconio apertissime deprehendi possunt, tum in præfatione in Divinationem Ciceronis, tum paulo post, in explicatione illorum verborum, *Sæpe esse pollicitum*. Quibus utrisque ex locis apparet institutam a Cicerone hanc fuisse orationem, ut quæsturam suam rebus & officiis multis hactenus Lilybætanis commendatam, verbis etiam ad extremum commendatam redderet; atque adeo significaret, se etiam absentem non modo cœptam erga provinciales homines benevolentiam Romæ conservaturum, sed eam quoque libenter, omnibus suis & assiduis officiis auctiorem facturum esse: si modo unquam tempus aliquod idoneum inciderit declarandæ suæ in illos perpetuæ voluntatis: editam autem ab illo eo consilio putarem, quo postea etiam orationes suas consulares ediderat, nimirum, ut,

PRO P. OPPIO (1).

QUINT. *lib.* v. *cap.* 10.) Utrum cum Cottam appetiſſet, an cum ipſe ſeſe conaretur occidere, telum ei e manibus ereptum eſt?

QUINT. *ibid.*) Quos educere invitos in provinciam non potuit, eos invitos retinere qui potuit?

QUINT. *lib.* xi. *cap.* 1.) At enim veriſimile non eſt, tantum ſcelus M. Cottam eſſe commentum. Quid? hoc veriſimile eſt, tantum ſcelus Oppium eſſe conatum?

FRONTO.) Queſtuſque mecum eſt.

MARCEL.) Etenim multum poſſe ad ſalutem alterius, honori multis: parum potuiſſe ad exitium, probro nemini fuit.

QUINT. *lib.* ix. *cap.* 2.) O amorem mirum (2)! o benevolentiam ſingularem!

PRO C. MANILIO (3).

NON.

ut, quemadmodum illæ conſulatus, ſic hæc quæſturæ ipſius quaſi monumentum extaret: in quo primo veluti gradu honorum, adminiſtrandæque reipublicæ tantam ſibi continentiæ, diligentiæ, humanitatiſque laudem comparaſſe videbatur, ut nullam unquam ullius quæſturam præſtantiorem, & clariorem fuiſſe exiſtimaret. Qua de re Plutarchus in ejus vita, & ipſe Cicero in defenſione Planci, cap. 26.

(1) P. Oppium M. Cottæ fuiſſe quæſtorem ejus, qui cum L. Lucullo conſul Propontidem & Bithyniam provinciam ſortitus, bellum adverſus Mithridatem Ponti regem parum feliciter eſt molitus, eumque Cottam ob inſidiarum ſuſpicionem a ſe removiſſe tradit Dio lib. XLVI. Defendiſſe autem hunc videtur de majeſtate, cum crimini daretur, quod de cibariis militum detraxiſſet: idque crimen M. ipſius Cottæ teſtimonio premeretur. Hæc autem ex verbis maxime Quintiliani colliguntur, quem vide lib. V. cap. 13. X, 10. & XI, 1. *Sigonius*.

(2) *O amorem mirum*) Quintil. lib. IX, cap. 11, *Non in perſonis tantum*, inquit, *ſed & in rebus verſatur hæc contraria dicendi, quam quæ intelligi velis, ratio; ut totum pro Q. Ligario procemium*: *ut*, Scilicet is ſuperis labor eſt: *& ille pro Oppio locus*: O amorem mirum &c.

(3) Manilium hunc accuſatum fuiſſe conſtat, vel quod judicium

NON. *Confiteor*.) Hoc ego non solum con teor, sed etiam profiteor.

PRO M. FUNDANIO (1).

PRISC. *lib.* VII.) Non modo hoc a Vill Annale, sed vix mehercule a Q. Mutone *factu* probari potest.

PRISC. *lib.* XVI.) Essetne id, quod Men nuntiasset.

SERVIUS. II. *Georg.*) Arcades se proselenos (2) esse asserunt.

IDEM.

cium Cornelianum per operarum duces turbavisset, Cominiisque Cornelii accusatoribus mortem intentasse diceretur, ut Pedianus significat in præfatione Cornelianæ primæ: vel, ut Plutarchus scribit in vita Ciceronis, repetundarum. Defensum fuisse a Cic. illud quodammodo fragmentum indicio est, quod in Corneliana extat his verbis: *Petivisse a se, sive Cornelium*, ut exponit Asconius, *sive populum ipsum*, ut scribit Plutarchus, *ut causam Manilii defenderet*. Idem autem aperte significat, tum Plutarchus ibidem, tum etiam fragmentum ipsum orationis hujus. Cum judicio non respondisset, damnatus est; ut scribit ibidem Asconius. Quo quidem in loco quæri potest, quomodo videri possit a Cicerone esse defensus, cum judicio non responderit. Qua de re ego sane ita statuerem, vel revera non respondisse eum judicio, atque ita Ciceronis orationem hanc scriptam tantum ad Cornelii petitionem, & deinde in commentarios ipsos cum multis aliis orationibus relatam, non etiam habitam fuisse: vel, quoniam habitam fuisse orationem Plutarchus scribit, cum prior actione respondisset, ad quam fortassis majore spe, patrono Cicerone, accesserat, altera non respondisse, neque ad judicium deinceps adfuisse: cum jam videlicet non obscure intelligeret, ex iis, quæ priore actione non difficile animadverti poterant, se omnino judicio condemnatum iri. Sicut Verrem quoque fecisse Pedianus extrema sua in secundam Verrinam commentatione scribit. Locus Pediani, ubi scribit de Manilii condemnatione, non nihil esse videtur hac parte inquinatus. *Patric.*

(1) M. Fundanii a Cicerone defensi meminit Q. Frater in libello de petitione consulatus. *Sigonius*.

(2) *Arcades se proselenos*) Ovid. Fast. IV.

Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur
Arcades, & luna gens prior illa fuit.

Meminit hujus loci etiam Lactantius Placidus ad illud Thebaid. Stat. IV:

Arcades huc veteres, astris lunaque priores.

Cicero pro Fundanio opinionis ejus meminit, cum de nobilitate tractaret. Unde vides qua occasione Arcadum Proselenorum mentionem fecerit. *Grævius*.

IDEM. IX. *Æneid.*) Commissura (1).

ACRO, *in Poet.*) Puncta (2).

BOET. *De Defin.*) Descripsistine ejus necessarium, nostrum competitorem ? istum ipsum cujus nunc studio & gratia tota accusatio ista munita est.

PRO C. CORNELIO, I. (3)

PRISC. *lib.* VI.) Ut ab Jove optimo maximo, cæterisque diis, deabusque omnibus opem & auxilium petamus.

FRONTO.) Nihil senatui detraxisse Cornelium.

PRISC.

(1) *Commissura*) Tabularum conjunctio.

(2) *Puncta*) Acron in Poet. Horatii, *Puncta*, inquit, *dicuntur populi suffragia*. Usus est hoc verbo Cic. in Fundania. *Idem*.

(3) Hanc orationem dixit L. Cotta, L. Torquato Coss. post annum quam superiores. *Asconius*. *Quam superiores*. Intelligit eas, quas pro Q. Gallio, M. Fundanio, & A. Cluentio dixit. *Sigonius*.

ARGUMENTUM. Cornelius homo non improbus vita habitus est. Fuerat quæstor Cn. Pompeii, dein Trib. pl. C. Pisone consule, biennio ante, quam hæc dicta sunt. In eo magistratu ita se gessit, ut justior, sed pertinacior videretur. Alienatus autem a senatu ex hac causa. Retulerat ad senatum, ut quoniam exterarum nationum legatis pecunia mutua magna daretur usura, turpiaque & famosa ex eo lucra fierent, ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret. Cujus relationem repudiavit senatus: & decrevit satisfactum videri eo S. C. quod ante annos aliquot Cn. Domitio, C. Cælio consulibus factum erat, cum senatus ante pauculos annos illo S. C. decrevisset, ne quis Cretensibus pecuniam mutuam daret. Cornelius ea re offensus senatui, questus est de ea re in concione, exhauriri provincias usuris, providendum ut haberent legati unde in præsentia pecuniam creditoribus darent: promulgavitque legem, qua auctoritatem senatus minuebat, ne quis, nisi per populum, legibus solveretur; quod antiquo quoque jure erat cautum. Itaque in omnibus S. C. quibus tum aliquem legibus solvi placebat, adjici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur: sed paulatim ferri erat desitum, resque jam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne addiceretur quidem in S. C. de rogatione ad populum ferenda, eaque ipsa S. C. per pauculos admodum fiebant. Indigne eam Cornelii rogationem tulerant potentissimi quique ex sena-

PRISC. *lib.* XI.) Ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum, potestasque venisset.

QUINT. *lib.* V. *cap.* 13.) Codicem attigit.

MART. CAPELLA.) Repugnat enim, ut divisores, quos honoris sui ministros esse voluerat, lege ambitus vellet affligere.

PRISC.

senatoribus, quorum gratia magnopere minuebatur. Itaque P. Servilius Globulus Trib. pleb. inventus erat, qui L. Cornelio obsisteret. Is, ubi legis ferundæ dies venit, & præco subjiciente scriba verba legis recitare populo cœpit, & scribam subjicere, & præconem pronuntiare passus non est. Tum Cornelius ipse codicem recitavit. Quod cum improbe fieri C. Piso consul vehementer quereretur, tollique ea re tribunitiam intercessionem diceret, gravi convicio a populo exceptus est. Et cum ille eos, qui sibi intentabant manus, prendi a lictore jussisset, fracti ejus fasces cuncti; lapidesque etiam ex ultima concione in consulem jacti. Quo tumultu Cornelius perturbatus concilium dimisit. Actum deinde eadem de re in senatu est magnis contentionibus. Tum Cornelius ita ferre rursus cœpit, ne quis in senatu legibus solveretur, nisi CC affuissent, neve quis, cum solutus esset, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur. Hæc sine tumultu res acta est: nemo enim negare poterat, pro auctoritate senatus esse eam legem: sed tamen eam tulit invitis optimatibus, qui vel pauci S. C. facere solebant. Aliam deinde legem Cornelius, etsi nemo repugnare ausus est, multis tamen invitis tulit, ut prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent. Quæ res tum gratiam ambitiosis prætoribus, qui varie jus dicere assueverant, sustulit. Alias quoque complures leges Cornelius promulgavit: quibus plerique collegæ intercesserunt: per quas contentiones totus prope tribunatus ejus peractus est. Sequenti deinde anno, M. Lepido, L. Volcatio Coss. quo anno prætor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de majestate fecerunt. Detulit nomen Publius, subscripsit Cajus. Et cum P. Cassius prætor decimo die, ut mos est, adesse jussisset, eoque die ipse non affuisset, seu avocatus propter publici frumenti curam seu gratificans reo: circumventi sunt ante tribunal ejus accusatores a notis operarum ducibus, ita ut mors intentaretur, si mox non desisterent. Quam perniciem vix effugerunt interventu consulum, qui advocati reo descenderant. Et cum in scalas quasdam Cominii fugissent, clausi in noctem ibi se occultaverunt; deinde per tecta vicinarum ædium profugerunt ex urbe. Postero die cum P. Cassius assedisset, & citati accusatores non adessent, exemptum nomen est de reis Cornelii. Cominii autem magna infamia flagraverunt, vendidisse silentium magna pecunia. Sequente deinde anno, L. Cotta, L. Torquato Coss. quo hæc oratio a Cicerone prætore (*a*) dicta est, cum prima pars M. Manilius, qui judicium per operarum duces turbaverat,

* dein-

(*a*) *Prætore*) Sigonius legit, *Prætorio*.

PRISC. *lib.* VIII.) Quæ intermissa complures annos.

PRISC. *ibid.*) Num alicui gratificabantur aut homini, aut ordini?

PRISC. *lib.* X.) Cœptum igitur per eos, qui agi volebant, desitum est per hunc, qui decessit.

PRISC. *lib.* VIII.) Circuitis Rostris ejicerentur lapidibus homines.

PRISC.) Qui eloquentia cæteris antecellit.

FRONTO.) Demi medius fidius de his tormentis aliquantum malim.

* IDEM.)

* deinde quod ex S. C. ambo Coss. præsidebant, & judicio non respondisset, atque esset damnatus, * recreavisset, jam accepta pecunia tollere ait Cornelium lege majestatis. Res acta est magna expectatione paucos ante * me ergo Cornelius, perterritus Manlii exitu, in judicium adhibuit, ut ne clamor quidem illius ab advocatis ejus oriretur. Dixerunt in eum infesti testimonia principes civitatis, qui plurimum in senatu poterant, Q. Hortensius, Q. Catulus, Q. Metellus Pius, L. Lucullus, M. Lepidus. Dixerunt autem hoc, vidisse se, cum Cornelius in tribunatu codicem pro Rostris ipse recitaret: quod ante Cornelium nemo fecisse existimaretur. Volebant videri, se judicare eam rem magnopere ad crimen imminutæ majestatis tribunitiæ pertinere. Etenim prope tollebatur intercessio, si id tribunis permitteretur. Cicero, quia non poterat negare id factum esse, eo confugit, ut diceret non ideo, quod lectus sit codex a tribuno, imminutam esse tribunitiam potestatem. Qua vero arte & scientia orationis? ita ut & dignitatem clarissimorum civium, contra quos dicebat, non violaret, & tamen auctoritate eorum lædi reum non pateretur. Quantaque moderatione rem tam difficilem aliis tractaverit, lectio ipsa declarabit. Adjumentum autem habuit, quod, sicut diximus, Cornelius, præter districtum propositum adversus principum voluntatem, cætera vita nihil fecerat, quod magnopere improbaretur: præterea quod ipse Globulus, qui intercesserat, aderat Cornelio, & quod ipsum quoque diximus, quod Cornelius Pompeji M. quæstor fuerat apud duas præfecturas equitum Rom. & tribunos, & ex tertia quoque parte apud plerosque, exceptis iis familiaris principum civitatis. Res acta est magno conventu, magnaque expectatione, quis eventus judicii futurus esset. A summis viris dici testimonium, & id, quod ii dicerent, confiteri reum animadvertebant. Extat oratio hominis accusatoris: quam sumere in manus, est aliquod operæ pretium, non solum propter Ciceronis orationes, quas pro Cornelio habemus, sed etiam propter semet ipsam. Cicero ipse significat, quatriduo Cornelium defendisse: quas actiones contulisse eum in duas orationes apparet. Judicium id exercuit Q. Gallius prætor. *Ascon.*

IDEM.) Ad miserrimum, crudelissimumque dominatum dedi patiamini.

IDEM.) Cur nunc redeant, si tunc gratiæ concesserint?

IDEM.) Quid, quod ne cum iis quidem expertus es, quos duces operarum fuisse dixisti?

IDEM.) Ejusmodi mihi duos laqueos in causa esse propositos, ut, si me altero expedissem, tenerer altero.

ACRO. *in* 1. *Serm.*) Aperuit fores scalarum.

BOETH. *Defin.*) Legite, ut legebatis: hinc intelligetis nulla tenuissima suspicione describi, aut significari Cornelium.

AQUILA.) Refertum tribunitiis legibus, exhaustum a quibus sit, ipsi sciunt.

RELIQUA EX ASCONIO.

VERSU A I. CIRCITER CLXI.

Postulatur apud me prætorem primum de pecuniis repetundis. Prospectat videlicet Cominius, quid agatur. Videlicet homines fœneos (1), in medium, ad tentandum periculum abjectos.

Quid? Metellus (2) summa nobilitate ac virtute,

(1) *Fœneos*) Simulacra, effigiesque hominum ex fœno fieri solebant, quibus objectis ad spectaculum præbendum tauri irritarentur. *Asconius*.

(2) *Metellus*) Hoc exemplum affert hoc loco, quod vult probare, desistere eum debere ab accusatione, quanquam neque accusaverit, neque fecerit pactionem. Nam Metellus & postulaverat Curionem, & destiterat. Confugit autem orator ad Metelli nobilitatem, & ad C. Curionis industriam, ut legeret id, quod illi utilius, quam honestius, fecerant. Res autem tota se sic habet: in qua quidem illud primum explicandum est, de quo Metello hoc dicit. Fuerunt enim tunc plures Quinti Metelli, ex quibus duo consulares, Pius, & Creticus, de quibus apparet eum non dicere: Duo autem adolescentes, Nepos, & Celer, ex quibus nunc Nepotem significat. Ejus enim patrem Q. Metellum Nepotem, Balearici filium, Macedonici Nepotem, qui consul fuit cum T. Didio, Curio is, de quo loquitur, accusavit. Isque Metellus moriens petiit ab hoc filio suo Metello, ut Curionem accusatorem suum accusaret, &, id facturum esse jurejurando adegit. Metellus fecit reum Curionem. Cumque interim quendam civem idem Metellus servum esse contendens vi irrupisset, ac verbe-

tute, cum bis juraſſet: ſemel privatim a patre: iterum publice a lege coactus, deſtitit accuſatione. An vi, an veritate? In quo ſuſpicionem omnem tollit C. Curionis virtus ac dignitas, & Q. Metelli adoleſcentia, ad ſummam laudem omnibus rebus ornata.

Legem, inquit, de libertinorum ſuffragiis Cornelius cum Manilio (1) dedit. Quid eſt hoc, *dedit*? an tulit, an rogavit, an hortatus eſt? Nam tuliſſe ridiculum eſt, quaſi legem aliquam aut ad ſcribendum difficilem, aut ad excogitandum reconditam. Quæ lex paucis his annis (2) non modo ſcripta, ſed etiam lata eſſet.

In quo cum multa reprehenſa ſint, tum in primis celeritas (3) actionis.

Petivit (4) tamen a me prætore maxima conteſtatione, ut cauſam Manilii defenderem.

beribus affeciſſet, Curio aſſertorem ei comparavit. Dein, cum appareret eum exitum judicii illius futurum, ut liber is judicaretur, quem Metellus verberibus affectum eſſe negare non poterat: inter Metellum & Curionem facta pactio eſt, ut, neque arbitrium de libertate urgeret in Metellum Curio, neque Metellus perſtaret in accuſatione Curionis. Eaque pactio ab utroque juramento firmata eſt. Huc ergo illud pertinet, cum juraſſe dixit, ſemel privatim, & iterum legatum, ſcilicet cum in Curionem calumniam juravit. Cum hoc autem Metello poſtea Cicero ſimultates geſſit: evaſit enim Metellus malus atque improbus civis. *Aſcon.*

(1) *Cum Manilio*) Legendum, *Cajo Manilio*: & infra, *dediſſe ridiculum eſt*, pro *tuliſſe*. Sigonius.

(2) *His annis*) P. Sulpicium in tribunatu hanc eandem legem tuliſſe ſignificavit. Tulit autem L. Sylla, qui poſtea Felix appellatus, Q. Pompejo Coſ. ante XVI. annos quam hæc dicta ſunt, cum per vim rempublicam poſſediſſet, ab initiis bonarum actionum ad perditos progreſſus. Quod & initium bellorum civilium fuit, & propter quod ipſe Sulpicius Coſ. armis (*a*) mire oppreſſus eſſe viſus eſt. *Aſcon.*

(a) *Mire*) Græviu legit, *jure*.

(3) *Celeritas*) Celeritatem actionis ſignificat, quia Manilius, ſicut jam oſtendimus, poſt pauculos ſtatim dies, quam inierat tribunatum, legem eandem Compitalibus pertulit. *Idem*.

(4) *Petivit*) C. Cornelium ſignificat. Sicut jam ante dictum eſt. *Idem*.

VERSU A I. DCCCCI.

Dicit de eodem Manilii tribunatu.

Nam cum is Tribunus plebis duas leges (1) tulisset in eo magistratu, unam perniciosam, alteram egregiam: quod summam rempublicam læsit, id ad ipso tribuno abjectum est. Bonum autem, quod summa republica (2) manet, id extra ordinem fuit.

Dicit de disturbato judicio Maniliano.

Aliis (3) ille in illum furorem magnis hominibus auctoribus impulsus est, qui aliquod institui exemplum disturbandorum judiciorum perniciosissimum, temporibus suis accommodatissimum, meis alienissimum rationibus, cupierunt.

VERSU CIRC. CXI.

Possum dicere, hominem summa prudentia clarum C. Cottam (4) de suis legibus abrogandis ipsum ad senatum retulisse.

SE-

(1) *Duas leges*) Dictum est enim supra de his legibus: quarum una de libertinorum suffragiis, quæ cum S. C. damnata esset, ab ipso quoque Manilio abjecta est: altera autem defensa est de bello Mithridatico Cn. Pompejo extra ordinem mandando, ex qua lege tum Magnus Pompejus bellum gerebat. *Idem*.

(2) *Quod summa republica*) Locus mendosus. Magna in mss. varietas.

(3) *Aliis*) L. Catilinam & Cn. Pisonem videtur significare. Fuit autem Catilina patricius, & eodem illo tempore erat reus repetundarum, cum provinciam Africam obtinuisset, & consulatus candidatum se ostendisset. Accusator erat eius P. Clodius adolescens, ipse quoque perditus, qui postea cum Cicerone inimicitias gessit. Cneus quoque Piso, adolescens potens & turbulentus, familiaris erat Catilinæ, omniumque consiliorum ejus particeps, & turbarum auctor. *Ascon*.

(4) *C. Cottam*) Hic est Cotta, de quo jam sæpe diximus, magnus orator habitus, & compar in ea gloria P. Sulpicio, & C. Cæsari. Videntur autem in rebus parvis fuisse leges illæ, quas cum tulisset, retulit de iis abrogandis ad senatum. Nam neque apud Sallustium, neque apud Livium, neque apud Fenestellam ullius alterius latæ ab eo legis mentio, præter eam, quam in concione tulit repugnante nobilitate magno populi studio, ut iis, qui Tribuni plebis fuissent, alios quoque magistratus capere liceret. Quod lex a dictatore L. Sylla paucis ante annis lata prohibebat. Neque eam Cottæ legem abrogatam esse significat. *Idem*.

SEQUITUR.

Possum & ejusdem Cottæ legem de judiciis privatis, anno postquam lata sit, a fratre (1) ejus abrogatam.

STATIM.

Legem Liciniam (2) & Muciam de civibus regundis, quam duo consules omnium, quos vidimus, sapientissimi tulissent, video constare inter omnes, non modo inutilem, sed perniciosam reipublicæ fuisse.

Quatuor omnino genera sunt, Judices in quibus per senatum, more majorum, statuatur aliquid de legibus. Unum est ejusmodi, placere legem abrogari: ut Q. Cæcilio (3), M. Junio consulibus, quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur.

Alterum, quæ lex lata esse dicatur, ea non videri populum teneri: ut L. Marcio, Sex. Julio consulibus, de legibus Liviis (4).

Aaa 2 Ter-

(1) *A fratre*) M. Cottam significat. Fuerunt autem tres: duo hi, C. & M. tertius L. Cotta, qui lege suâ judicia inter tres ordines communicavit, senatum, equites, tribunos ærarios: adeptique sunt omnes consulatum. *Idem*.

(2) *Liciniam*) L. Licinium Crassum oratorem, & Q. Mutium Scævolam pont. max. eundemque & oratorem, & jurisconsultum, significat. Hi enim legem eam, de qua loquitur, de regendis in sua civitate sociis, in suo consulatu tulerunt. Cum enim summa cupiditate civitatis Romanæ Italici populi tenerentur, & ob id magna pars eorum pro civibus Romanis se gereret, necessaria lex visa est, ut in suæ quisque civitatis jus redigeretur. Verum ea lege ita alienati animi sunt principum Italicorum populorum, ut ea vel maxima causa belli Italici, quod post triennium exortum est, fuerit. *Idem*.

(3) *Q. Cæcilio*) Q. Cæcilius Metellus Numidicus, M. Junius Silanus, de quibus facit mentionem, consules fuerunt bello Cimbrico, quod diu prave simul & infeliciter gestum est. Atque ipse quoque hic Junius male rem adversus Cimbros gessit, ac plures leges, quæ per eos annos, quibus hæc sic gerebantur, populo latæ erant, quibus militiæ stipendia minuebantur, abrogavit. *Idem*.

(4) *Liviis*) Puto vos reminisci, has esse leges Livias; quas illis consulibus M. Livius Drusus Trib. pleb. tulerit: qui cum senatus partes tuendas suscepisset, & leges pro optimatibus tulisset,

Tertium est de legum abrogationibus. Quo de genere persæpe senatusconsulta fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia (1), quæ derogaretur.

P. Africanus ille superior, ut dicitur, non solum a sapientissimis hominibus, qui tum erant, verum etiam a se ipso sæpe accusatus est, quod, cum consul esset cum Tib. Longo, passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari (2).

CIR-

set, postea eo licentiæ est progressus, ut nullum in *iis morem* servaret. Itaque Philippus consul, qui ei inimicus erat, *obtinuit* a senatu, ut leges ejus omnes uno S. C. tollerentur. Decre*tum* est enim, contra auspicia esse latas, neque iis teneri populum. *Ascon.*

(1) *Calpurnia*) Lex hæc Calpurnia, de ambitu erat. Tulerat eam ante biennium C. Calpurnius Piso consul: in qua præter alias pœnas pecuniaria quoque pœna erat adjecta. *Idem.*

(2) *Separari*) Hoc factum est secundo consulatu Scipionis, post septimum annum quam Carthaginiensibus bello secundo data est pax. Factum id esse autem, Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt ædiles curules, Attilius Serranus, T. Scribonius Libo: id eos fecisse jussu censorum Sex. Ælii Pæti, C. Cornelii Cethegi. Et videtur in hac oratione hunc quidem auctorem secutus Cicero dixisse, passum esse Scipionem secerni a cætero consessu spectacula senatorum. In ea autem, quam post aliquot annos habuit de aruspicum responso, non passum esse Scipionem, sed ipsum auctorem fuisse dandi eum locum senatoribus, videtur significare. Verba ejus hæc sunt: *Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum Matris Magnæ fieri celebrarique voluerunt? quibus primum ludis ante populi consessum senatui locum P. Africanus, II. Cos. & collega ejus Sempronius Longus, hoc tributum esse senatui scribit, sed sine mentione Megalensium.* Ædiles enim eos ludos facere soliti erant. Votivis ludis factum tradit, quos Scipio & Longus Coss. fecerunt. Non præterire autem vos volo, esse oratoriæ calliditatis, ut cum opus sit, eisdem rebus ab utraque parte vel a contrariis utantur. Nam cum secundum Ciceronis opinionem auctore Scipione consule ædiles secretum ante omnes locum spectandi senatoribus dederint; eodem illo facto Scipionis in hac quidem oratione, quia causa popularis erat, premebaturque senatus auctoritate, atque ob id dignitatem ejus ordinis quam possit maxime elevari causæ expediebat, pœnituisse ait Scipionem, quod passus esset id fieri. In ea oratione de aruspicum responso, quia in senatu habebatur, cujus auribus erat blandiendum, & magnopere illum laudat, & non auctorem fuisse dandi, nam id erat levius, sed ipsum etiam dedisse dicit. *Idem.*

CIRCA MEDIUM.

Quo loco numerat, cum lex feratur, quot loca intercessionis sunt (1), *jubet dicere.*

Est utique jus vetandi, cum ea feratur, quamdiu, qui suffragii ferundi causa conveniunt, huc & illuc transferuntur: dum privati dicunt: dum tabellæ diribentur: dum sitella defertur: dum æquantur sortes: dum sortitio fit: & si qua sunt hujus generis alia (2).

PAULO POST.

Unum tamen, quod hoc ipso Tribuno plebis factum est, prætermittendum non videtur. Neque enim majus est legere codicem, cum intercedatur, quam sitellam ipsam cum ipso intercessore deferre; nec gravius, incipere ferre, quam perferre; nec vehementius, ostendere se laturum invito collega, quam ipsi collegæ magistratum derogare; nec criminosius, tribus ad legem accipiendam, quam ad collegam reddendum privatum intro vocare: quæ vir fortis, hujus collega, Aulus Gabinius (3) in re optima fecit omnia; neque, cum salutem populo Romano, atque omnibus gentibus finem diu-

 tur-

(1) *Sunt*) Lego, *sunt*, *antequam*, *qui legem fert*, *populum jubeat discedere*. Sigon.

(2) *Alia*) His peractis, cum id solum superest, ut populus sententiam ferat, jubet unumquemque is, qui fert legem, *discedere*. Quod verbum non hoc significat, quod in communi consuetudine est, de eo loco ubi lex fertur, sed in suam quisque tribum discedat, in qua est suffragium laturus. Populus enim confusus, ut semper alias, ita & in concione. *Ascon.*

(3) *A. Gabinius*) Manifestum est, de ea lege Ciceronem nunc dicere, qua Cn. Pompejo bellum adversus piratas datum est. L. autem Trebellius Trib. pl. quem non nominat: quo perseverante intercedere, (nam senatui promiserat, moriturum se ante, quam lex perferretur) intro vocare tribus Gabinius cœpit, ut Trebellio magistratum abrogaret; sicut quondam Tib. Gracchus tribunus M. Octavio collegæ suo magistratum abrogavit. Et aliquandiu Trebellius ea re non perterritus aderat, perstabatque in intercessione, quod omnia magis, quam perseveraturum esse Gabinium, arbitrabatur. Sed postquam x. & VII. tribus rogationem acceperunt, & una mens esset populi, qui supererat, ut jussum conficeret, remisit intercessionem Trebellius: atque ita legem Gabinius de piratis persequendis pertulit. *Idem.*

turnæ captivitatis, turpitudinis, & servitutis afferret, passus est, plus unius collegæ sui, quam universæ civitatis, vocem valere & voluntatem.

At enim de corrigenda lege retulerunt (1).

Idem, nisi hæc ipsa lex, quam C. Cornelius tulit, obstitisset, decrevissem id, quod palam jam isti defensores judiciorum pugnaverunt, senatui non placere id judicium de Syllæ bonis (2) fieri. Quam ego causam longe aliter prætor in concione defendi, cum id dicerem, quod iidem judices postea statuerunt, judicium æquiore tempore fieri oportere.

STATIM.

Antea (3) vero quam multarum rerum judicia sublata sint, & quia scitis, prætereo, & ne quem in judicium oratio mea revocare videatur.

PAULO POST.

Non Cn. Dolabella (4) C. Volcatium, hone-

(1) *Retulerunt*) Diximus jam in principio, Cornelium primo legem promulgasse, ne quis per senatum lege solveretur: deinde tulisse, ut tum denique de ea re S. C. fieret, cum adessent in senatu non minus cc. Hæc est illa, quam appellat, correctio. *Idem*.

(2) *De Syllæ bonis*) Quia defuerat superioribus temporibus in ærario pecunia publica, multa & sæpe ejus rei remedia erant quæsita. In quibus hoc quoque, ut pecuniæ publicæ, quæ residuæ apud quemque essent, exigerentur. Id autem maxime pertinebat ad Cornelium Faustum dictatoris filium, quia Sylla per multos annos, quibus exercitibus præfuerat, & rempublicam tenuerat, sumpserat pecunias ex vectigalibus, & ex ærario populi Romani: eaque res sæpe erat agitata, sæpe omissa, partim propter Syllanarum partium potentiam, partim quod iniquum videbatur, post tot annos, quam quis pecuniam acceperat, ejus reddere rationem. *Ascon*.

(3) *Antea*) Bello Italico, quod fuit adolescentibus illis, qui tum in republica vigebant, cum multi varia lege inique damnarentur, quasi id bellum illis auctoribus conflatum esset, crebræque defectiones Italicorum nuntiarentur, tunc ob ejus tristitiæ occasionem senatus decrevit, ne judicia, dum tumultus Italicus esset, exercerentur. Quod decretum eorum in concionibus populi sæpe agitatum erat. Supererant autem ex iis, qui illa judicia metuerunt, vigentes multi, maxime C. Curio, Curionis adolescentis pater, ejus, qui bello civili Cæsaris fuit partium. *Idem*.

(4) *Cn. Dolabella*) Duo fuerunt eo tempore Dolabellæ, quorum alterum C. Cæsar accusavit, alterum M. Scaurus. *Idem*.

nestissimum virum, communi & quotidiano jure privasset.

Non denique homo illorum & vita, & prudentia longe dissimilis, sed tamen nimis in gratificando jure liber, L. Sisenna (1), bonorum Cn. Cornelii possessionem ex edicto suo P. Scipioni, adolescenti summa nobilitate, eximia virtute prædito, dedisset.

Quare cum ambitum populus Romanus videret, & cum a Tribunis plebis doceretur, nisi pœna accessisset in divisores, extingui nullo modo posse, legem hanc Cornelii flagitabat; illam, quæ ex senatusconsulto ferebatur, repudiabat.

ET EADEM DE RE PAULO POST.

Ut spectaculum illud duorum (2) designatorum consulum calamitate, re, & tempore salubre ac necessarium, genere & exemplo miserum ac funestum videremus.

Quid ego nunc tibi argumentis respondeam, posse fieri, ut alius aliquis Cornelius sit, qui habeat Philerotem? * res vulgare nomen esse Phılerotis (3), Cornelios vero ita multos, ut jam etiam collegium (4) constitutum sit.

At enim extremi ac difficillimi temporis vocem illam, C. Corneli, consulem mittere coegisti, qui

(1) *Sisenna*) Hoc solum hic annotandum est, hunc esse L. Sisennam, qui res Romanas scripsit. *Idem*.

(2) *Duorum*) P. Syllam & Autronium significat: quorum alterum L. Cotta, alterum L. Torquatus, qui, cum hæc Cicero dicebat, consules erant, ambitus damnarant, & in eorum locum creati erant. *Ascon*.

(3) *Res vulgare nomen Phılerotis*) Vox *res*, habet sine dubio mendum. Quid, si pro ea, *Romæ*, reponas? Audax fortasse emendatio sit, sed tamen ab oratoris sententia non aliena. Tentabat alius *pervulgare*. Sigon. Forte pro *res vulgare nomen*, legendum *servi vulgare nomen*. Græv.

(4) *Collegium*) Frequenter tum etiam cœtus factiosorum hominum sine publica auctoritate malo publico fiebant: propter quod postea collegia S. C. & pluribus legibus sunt sublata, præter pauca atque certa, quæ utilitas civitatis desiderasset, ut fabrorum, lictorumque. *Ascon*.

rempublicam salvam esse vellent, ut ad legem (1) accipiendam adessent.

Plebem ex Maniliana offensione victam & domitam esse dicit; ante vestros annos propter illius tribuni plebis temeritatem posse adduci, ut omnino ne illius potestate abalienemur. * Qui restituerunt eam potestatem, alterum (2) nihil unum posse contra multos, alterum longe abesse.

Tanta igitur in illis virtus fuit, ut anno XVI. post reges exactos, propter nimiam dominationem potentium, secederent, leges sacratas ipsi sibi restituerent (3), duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons sacer nomina-

(1) *Ad legem*) C. Piso, qui consul eodem anno fuit, quo Cornelius Trib. pl. erat, cum legem de ambitu ex S. C. graviorem, quam fuerat antea, ferret, & propter multitudinem divisorum, qui per vim adversabantur, e foro ejectus esset; edixerat id, quod Cicero significat, & majore manu stipatus ad legem perferendam descenderat. *Ascon.*

(2) *Alterum*) Manifestum puto esse vobis, M. Crassum, & Cn. Pompejum significari: e quibus Crassus judex tum sedebat in Cornelium; Pompejus in Asia bellum Mithridaticum gerebat. *Idem*.

(3) *Restituerent*) Inducor magis librariorum hoc loco esse mendum, quam ut Ciceronem parum proprio verbo usum esse credam. Illo enim tempore, de quo loquitur, quod fuit post XVI. annos quam reges exacti sunt, plebs sibi leges sacratas non restituit (nunquam enim Tribunos pleb. habuerat) sed tum primum eas constituit. Numerum quidem annorum post reges exactos, quam id factum est, diligenter posuit, qui fuit A. Verginio Tricosto, L. Veturio Ceturino Coss. Cæterum quidam non duos Trib. pleb. ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos tum esse, singulos ex singulis classibus. Sunt tamen, qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero, ponant: inter quos Tuditanus, & Pomponius Atticus, Liviusque noster. Idem hic & Tuditanus adjiciunt, tres præterea ab illis duobus collegas creatos esse. Nomina duorum, qui primi creati sunt, hæc traduntur, L. Sicinius L. F. Velutus, L. Junius C. F. Paterculus. Reliqua pars hujus loci, quæ pertinet ad secundam constitutionem tribunorum, & decemvirorum finitum imperium, & breviter, & aperte ab ipso dicitur. Nomina sola non adjicit, quis ille ex decemviris fuerit, qui contra libertatem vindicias dederit, & quis ille pater, contra cujus filiam id decrevit: scilicet, quod notissimum est, decemvirum illum Appium Claudium fuisse, patrem autem virginis L. Virginium. Unum hoc tantummodo explicandum, quo loco primum de secunda secessione plebis, deinde de concordia facta, sic dicit. *Asconius*.

natur, in quo armati consederant, æternæ memoriæ causa consecrarent. Itaque auspicato postero anno decem tribuni plebis comitiis curiatis creati sunt.

Tum interposita fide per tres legatos (1), amplissimos viros, Romam armati reverterunt: in Aventino consederunt: inde armati in Capitolium venerunt: decem tribunos plebis per pontificem, quod magistratus nullus erat, creaverunt.

Etiam hæc recentiora prætereo: ponam principium justissimæ libertatis, Cassiam (2); qua lege suffragiorum vis potestasque convaluit: alteram Cassiam, quæ populi judicia firmavit.

Dicit de nobilibus.

Qui non modo cum Sylla, verum etiam, illo mortuo, semper hoc per se summis opibus retinendum putaverunt: inimicissimi C. Cottæ (3) fuerunt, quod is consul paulum tribunis plebis non potestatis, sed dignitatis addidit.

Quamdiu quidem hoc animo erga nos illa plebs erit, quo se ostendit, cum legem Aureliam (1),

(1) *Tres legatos*) Legati tres, quorum nomina non ponit, ii fuerunt, Sp. Tarpejus, C. Julius, P. Sulpicius, omnes consulares: pontifex maximus fuit M. Papirius. *Idem*.

(2) *Cassiam*) Quæ sit ista lex Cassia, qua suffragiorum potestas convaluit, manifestum est. Nam ipse quoque paulo ante dixit legem Cassium tulisse, ut populus per tabellam suffragium ferret. Altera Cassia lex, quæ populi judicia firmavit; quæ sit, potest quæri. Est autem hæc. L. Cassius L. F. Longinus Trib. pleb. * C. Mario, C. Flacco Coss. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut, quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu nec esset. Tulerat autem eam maxime propter simultates cum Q. Cæcilio, qui ante biennium consul fuerat: & cui populus, quia male adversus Cimbros rem gesserat, imperium abrogavit. *Idem*.

(3) *C. Cottæ*) Hic Cotta, ut puto, legem tulit, ut Tribunis pleb. liceret postea alios magistratus capere: quod lege Syllæ iis erat ademptum. *Idem*.

* *C. Mario, C. Flacco Coss.*) Reponendum videtur, *L. Cassio*, pro *C. Flacco*. Horum enim Consulatus significatur, cum proxime inferat, Q. Cæcilium biennio ante latam legem Consulem fuisse. *Manut.*

(1), cum Rosciam, non modo accepit, sed etiam efflagitavit.

Memoria teneo, cum primum senatores cum equitibus Romanis lege Plotia (2) judicarent, hominem diis ac nobilitati perinvisum, Cn. Pompejum, causam lege Varia de majestate dixisse.

PRO C. CORNELIO II.

AQUIL. & FORTUNATIANUS *lib.* III. *Rhet.*) Pugnem aperte contra nobilissimorum hominum voluntates, studia, consilia, cogitationesque eorum aperiam?

CICERO, *Orator. cap.* 67.) O callidos homines, o rem excogitatam, o ingenia metuenda! Testes dare volumus. Quem, quæso, nostrum fefellit, ita vos esse facturos?

CIC. *Orat. cap.* 70. & Quint. *lib.* IX. *cap.* 4.) Nam neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos & Lælios multi venalitiarii, mercatoresque superarunt, neque vestis, aut cælatum aurum & argentum, quo nostros veteres Marcellos, Maximosque multi eunuchi e Syria Ægyptoque vicerunt. Neque vero movent me ornamenta ista villarum, quibus L. Paulum & Mummium, qui rebus his urbem, Italiamque omnino refersefunt, ab aliquo video perfacile Deliaco, aut Syro potuisse superari.

PRISC.

(1) *Aureliam*) Aurelia lege communicata judicia inter senatores, & equestrem ordinem, & tribunos ærarios. Roscia est, quam L. Roscius Otho biennio ante Cos. firmavit, ut in theatro equitibus Romanis XIV. ordines spectandi gratia darentur. *Ascon.*

(2) *Plotia*) M. Plautius Silvanus Trib. pleb. Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone Coss. secundo anno belli Italici, cum equester ordo in judiciis dominaretur, legem tulit, adjuvantibus nobilibus quæ lex vim eam habuit, quam Cicero significat: nam ex ea lege tribus singulæ (*a*) ex eo numero quinos suffragio creabant, qui eo anno judicarent. Ex eo factum est, ut senatores quoque in eo numero essent, ut quidam etiam ex ipsa plebe. *Ascon.*

(*a*) *Ex eo*) Patricius, *ex suo numero*.

PRISC. *lib.* XVIII.) Quis tam abundans copiis.

FRONTO.) Da enim mihi poteſtatem eos, qui tum affuerunt Cornelio, nominandi.

IDEM.) Facite, ut facitis, qui ad cauſam adeſtis.

IDEM.) Quid enim mihi certamen eſt cum accuſatore, aut contentio?

IDEM.) Qui commodis populi Romani lingua duntaxat ac voluntate conſuluit.

IDEM.) Expelleret a diſpenſantibus.

IDEM.) Sed ad urbem dierum tres fuerunt complurium.

IDEM.) Quam diligentes libertatis vos oporteat eſſe.

IDEM.) Si vos hujus fortunas paucorum odio adjudicaveritis.

RELIQUA EX ASCONIO.

Num in eo, qui ſint hi teſtes, hæſitatis? Ego vobis edam duos (1). Reliqui ſunt de conſularibus, inimici tribunitiæ poteſtatis. Pauci præterea aſſentatores eorum atque aſſeclæ ſubſequuntur.

Sed ſi familiariter ex Q. Catulo, ſapientiſſimo viro, atque humaniſſimo, velim quærere, utrius tandem tibi tribunatus minus probari poteſt, C. Cornelii, an, non dicam P. Sulpicii, non L. Saturnini, non C. Gracchi, non Tiberii: neminem, quem iſti ſeditioſum exiſtimant, nominabo: ſed avunculi tui, Q. Catule, clariſſimi, patriæque amantiſſimi viri, quid mihi tandem reſponſurum putatis?

POST XX. VERS. A PRÆCEDENTI.

Quid? avunculus tuus, clariſſimus vir, clariſſimo patre, avo, majoribus, credo, ſilentio, favente

(1) *Duos*) M. Lucullum, & M. Lepidum ſignificat. Quinque enim conſulares, ut jam diximus, in Cornelium teſtimonium dixerunt: Q. Catulus, Q. Hortenſius, Q. Metellus Pius Pont. max. quos hac ſecunda oratione tractat: & duo qui non dixerant, quos nunc ſignificat, Lucullus & Lepidus. *Idem*.

te nobilitate, nullo intercessore comparato, populo Romano dedit, & potentissimorum hominum collegiis eripuit (1), cooptandorum sacerdotum potestatem. SEQUITUR.

Quid? idem Domitius M. Silanum (2), consularem hominem, quemadmodum tribunus plebis vexavit?

Hæc est controversia ejusmodi, ut mihi tribunus plebis Cn. Domitius, Catulo M. Terpolius (3) contemptissimum nomen ejectum ex iis, qui tribuni plebis fuerunt.

IN TOGA CANDIDA,

CONTRA C. ANTONIUM, & L. CATILINAM (4), COMPETITORES.

OMNIA EX ASCONIO.

Dico, Patres Conscripti, nocte cujusdam hominis

(1) *Eripuit*) Hoc egere enarratione, quia hoc loco nomen non ponit quis fecerit, ei demum videri potest, qui oblitus sit, minus ante xx. versus hæc de eo ipso Ciceronem dixisse: *Sed si familiariter ex Q. Catulo &c. Idem*.

(2) *Silanum*) M. Silanus quinquennio ante consul fuerat, quam Domitius Trib. pleb. atque ipse quoque adversus Cimbros rem male gesserat. Quam ob causam Domitius eum apud populum accusabat: criminabatur bellum cum Cimbris injussu populi gessisse, idque principium fuisse calamitatum, quas eo bello populus accepisset: ac de eo tabellam quoque dedit: sed plenissime Silanus absolutus est; nam duæ solæ tribus eum, Sergia & Quirina, damnaverunt. *Ascon.*

(3) *Terpolius*) Post infractam tribunitiam potestatem a Sylla, ante restitutam a Cn. Pompejo, apparet. Fuit autem is Tribunus pleb. ante XII. annos, D. Bruto, & M. Lepido Coss. Cn. Domitius Tribunus fuerat ante III. de XL. annos, C. Mario II. C. Fimbria Coss. Magno numero sententiarum Cornelius absolutus est. *Idem*. Apud Asconium videtur legendum, *Mam. Lepido*, non *M. Lepido*, ex fragmentis Capitolinis. Reliqua sententia vix sine scriptorum librorum auctoritate sanari potest. Neque intelligitur, quid aut Cicero velit, aut Asconius. *Sigon.*

(4) ARGUMENTUM. Hæc Oratio dicta est L. Cæsare, C. Fi-

nis nobilis, & valde in hoc largitionis quæstu noti & cogniti, domum (1) Catilinam & Antonium cum sequestribus suis convenisse.

Quem enim, aut amicum habere potest is (2), qui

Figulo Coss., post annum quam pro Cornelio dixerat. Sex competitores in consulatus petitione Cicero habuit, duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam: quatuor plebejos, ex quibus duo nobiles, C. Antonium, M. Antonii oratoris filium, L. Cassium Longinum: duos, qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotem. Solus Cicero ex competitoribus equestri erat loco natus, atque in petitione patrem amisit. Cæteri ejus competitores modeste se gessere, visique sunt Q. Cornificius & P. Galba sobrii ac sancti viri: Sacerdos nulla improbitate notus. Cassium, qui iners ac stolidus tum magis quam improbus videretur, sed post paucos menses in conjuratione Catilinæ esse apparuit, ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem: itaque hi quatuor pro re jacebant. Catilina autem & Antonius, quanquam omnibus maxime infamis eorum vita esset, tamen multum poterant. Coierant enim ambo, ut Ciceronem consulatu dejicerent, adjutoribus usi firmissimis, M. Crasso, & C. Cæsare. Itaque hæc oratio contra solum Catilinam & Antonium est. Causa orationis hujusmodi in senatu habendæ Ciceroni fuit, quod, cum in dies licentia ambitus augeretur propter præcipuam Catilinæ & Antonii audaciam, censuerat senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum pœna ferretur. Ei quoque rei Q. Mucius Orestinus Trib. pleb. intercesserat. Cum Cicero, graviter senatu intercessionem ferente, surrexit, atque in coitionem Catilinæ & Antonii invectus est ante dies comitiorum paucos. *Asconius*.

Ad hujus orationis intelligentiam plurimum liber etiam Quinti fratris, *de petitione consulatus*, valebit, in quo eadem fere de L. Catilina, & C. Antonio competitoribus repetuntur. De indice hujus orationis scriptum est apud Isidorum lib. IX. *Toga candida, eademque cretata, in qua candidati, id est, magistratum petentes ambiebant, addita creta, quo candidior, insigniorque esset. Cicero orationem, quam habuit contra competitores*, In toga candida *inscripsit*. Sigonius.

(1) *Domum*) Aut C. Cæsaris, aut M. Crassi domum significat. Etenim acerrimi ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petiit consulatum, quod ejus in dies civilem crescere dignitatem animadvertebant, Et hoc ipse Cicero in expositione suorum consiliorum significat. Ejus quoque conjurationis, quæ, Cotta & Torquato Coss. ante annum, quam hæc dicerentur, facta est a Catilina & Pisone, arguit M. Crassum auctorem fuisse. *Ascon.*

(2) *Is*) Catilinam, cum in Syllanis partibus fuisset, crudeliter fecisse, nominatim etiam postea Cicero dicit; quos occiderit, Q. Cæcilium, M. Volumnium, L. Tantasium: M. etiam Marii Gratidiani, summe popularis hominis, qui ob id bis prætor fuit, caput abscissum per urbem sua manu Catilina tulerat; quod

qui tot cives trucidavit; aut clientem, qui in sua civitate cum peregrino negavit se judicio æquo (1) certare posse?

Nec se jam tum respexit, cum gravissimis vestris decretis absens (2) notatus est.

In judiciis (3) quanta vis esset, didicit, cum est

quod crimen sæpius ei tota oratione objicit. Fuerat vero hic Gratidianus arcta necessitudine Ciceroni conjunctus. Clientem autem negat habere posse C. Antonium. Nam is multos in Achaja spoliaverat, nactus de exercitu Syllano equitum turmas. Deinde Græci, quos spoliaverat, eduxerunt Antonium in jus ad M. Lucullum prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat. Egit pro Græcis etiam tum adolescentulus, de quo paulo ante mentionem fecimus. Et cum Lucullus id, quod Græci postulabant, *decrevisset*, appellavit tribunos Antonius, juravitque se ideo *recusare*, quod æquo jure uti non posset. Hunc Antonium Gellius & Lentulus censores sexennio, quo hæc dicerentur, senatu moverunt, causasque subscripserunt, quod socios diripuerit, quod judicium recusarit, quod propter æris alieni magnitudinem prædia mancipari, bonaque sua in potestate non haberet. *Idem*.

(1) *Judicio æquo*.) Quid sit *judicium æquum*, vide Orat. pro Cluentio, sub init.

(2) *Absens*) Catilina ex prætura Africam provinciam obtinuit. Quam cum graviter vexasset, legati Afri in senatu jam tum absente illo questi sunt, multæque graves sententiæ in senatu de eo dictæ sunt. *Idem*.

(3) *In judiciis*) Ante annum quam hæc dicerentur, Catilina cum redisset ex Africa, Torquato & Cotta Coss accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceroni fuit. Defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, a M. Cicerone. Quod ego ut addubitem, hæc ipsa Ciceronis oratio facit, maxime quod is nullam mentionem rei habet, cum potuerit invidiam facere competitori tam turpiter adversus se coeunti: præsertim cum alterum competitorem suum Antonium in eadem hac oratione sua admoneat, suo beneficio eum ex ultimo loco præturæ candidatum ad tertium pervenisse. *Nescis, me prætorem primum esse factum, te concessione competitorum, & collatione centuriarum, & meo maxime beneficio, e postremo in tertium locum esse subjectum?* Qui igitur Antonio suffragationem suam imputandam putat, is, si defendisset Catilinam, caput ejus protectum a se non ei imputaret? Quod ita esse manifestum est ex eo, quod statim dicit. Q. enim Mucius Trib. pl. intercedebat, ne lex ambitus ferretur: quod facere pro Catilina videbatur. Hunc Mucium in hac oratione appellans Cicero sic ait: *Te tamen, Q. Muci, tam male de repub.* &c. Verum, ut egerit Mucii causam Cicero, sicut Catilinæ egisse eum videri vult Fenestella, cur, cum, quamvis male existimet de causa Mucii, tamen ei exprobret patrocinium suum, non idem in Catilina faciat, si modo pro eo dixit? & cur ipsum illud judicium sæpius in infamiam vocat? quod

est absolutus: si aut illud judicium, aut illa absolutio nominanda est.

Te tamen, Q. Muci, tam male de republica existimare, moleste fero, qui hesterno die me esse dignum consulatu negabas. Quid? populus Romanus minus diligenter scit sibi constituere defensorem, quam tu tibi? qui, cum te furti L. Calenus argueret, me potissimum fortunarum tuarum patronum esse voluisti. Et cujus tu consilium in tua turpissima causa delegisti, hunc honestissimarum rerum defensorem populus Romanus, auctore te, repudiare potest? Nisi forte hoc dicturus es, quo tempore a L. Caleno furti delatus sis, te eo tempore in me tibi parum auxilii esse vidisse.

Populum vero, cum inspectante populo collum (1) secuit hominis maxime popularis, quanti faceret, ostendit.

Me, qua amentia inductus est, ut contemneret, constituere non possum. Utrum æquo animo laturum putavit? an in suo familiarissimo (2) non viderat, me ne aliorum quidem injurias mediocriter posse ferre?

Alter (3) pecore omni vendito, & saltibus pro-

quod parcius videretur fuisse facturus, si in eo judicio fuisset patronus. Atque ut alia omittam, hoc certe vix videtur dicturus fuisse, si illo patrono Catilina repetundarum absolutus esset: *Stupris se omnibus, ac flagitiis contaminavit: cæde nefaria cruentavit: diripuit socios: leges, quæstiones, judicia violavit.* Et postea: *Quid ego, ut violaveris provinciam*, &c. Verine ergo simile est, hæc eum Catilinæ objicere, si illo defendente absolutus est? Præterea movet me, quod, cum sint commentarii Ciceronis suarum etiam defensionum, commentarium tamen hujus defensionis aut principium nullum inveniam. Itaque puto non defendisse, sed tantum de defendendo cogitasse: quod per hæc ipsa negari non potest. Hoc autem judicio absolutus est Catilina, infamia judicum. Ut & Clodius infamis fuerit, quippe qui prævaricatus est. Nam & rejectio judicum ad arbitrium rei videbatur esse facta. *Asc.*

(1) *Collum*) Diximus & paulo ante, Marii (Gratidiani) caput Catilinam per urbem tulisse. *Idem.*

(2) *Familiarissimo*) Manifestum est C. Verrem significari. *Idem.*

(3) *Alter*) C. Antonium significat. *Idem.*

prope addictis, pastores retinet, ex quibus ait, se, cum velit, subito fugitivorum bellum excitaturum.

Alter induxit eum (1), quem potuit, ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur, quos ipse consularis candidatus perspexit, & legit, & emit: præsente populo Romano factum est.

Quamobrem augere etiam mercedes si vultis, Q. Mucium perverti legem impedire, ut cœpit * senten. cos. (2) Sed ego ea lege (3) contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus.

Atque ut istum (4) omittam, in exercitu Syllano prædonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium.

Te vero, Catilina, consulatum sperare, aut cogitare, non prodigium, atque portentum est? A quibus enim petis? a principibus civitatis? qui tibi,

(1) *Eum*) Q. Gallium, quem postea reum ambitus defendit, significare videtur. Hic enim cum esset præturæ candidatus, quod in ædilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, dedit gladiatorium, sub titulo, patri se id dare. *Idem*.

(2) *Ut cœpit senten. cos.*) Satis constat Q. *Mucium* Orestinum legi, quæ ferebatur de ambitu, intercessisse, idque graviter senatum tulisse. Videtur ergo senatores hortari ut S. C. prævertant Mucium legem impedientem. Quare hic locus ita videtur legendus, Sigonius. *Q. Mucium prævertite legem impedire, ut cœpit, senatusconsulto*. Sigonius. Recentior Asconii editio: *Q. Mucium conantem legem impedire, ut cœpit Senatus, Consules, prohibete. Sed* &c. Alias non *Mucium*, sed *Mutium*.

(3 *Lege*) Legem Calpurniam significat, quam C. Calpurnius Piso ante triennium de ambitu tulerat. Quod autem dicit damnatos esse designatos consules, P. Syllam, & P. Autronium, de quibus jam diximus, vult intelligi. Cognomen autem Q. Mucio tribuno, quem nominat, fuit Orestinus. *Idem*.

(4) *Istum*) De Antonio dici manifestum est. Sed dicit eum in exercitu Syllæ prædonem, propter equitum turmas, quibus Achajam ab eo vexatam esse significavimus. In introitu gladiatorem, pertinet ad invidiam proscriptionis, quæ tum facta est. In victoria quadrigarium, quod, cum Sylla post victoriam circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius. *Idem*.

bi, cum L. Volcatius (1) consul in consilio fuisset, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt?

A senatoribus? qui te (2) auctoritate sua, spoliatum ornamentis omnibus, vinctum pene Africanis oratoribus (3) tradiderunt?

Ab equestri (4) ordine? quem trucidasti.

A plebe? cui spectaculum (5) ejusmodi tua crudelitas præbuit, ut nemo sine luctu aspicere, sine gemitu recordari posset.

Quod caput, etiam tum plenum animæ, & spiritus, ad Syllam, usque ab Janiculo ad ædem Apollinis, manibus ipse suis detulit.

(1) *Volcatius*) Paulo ante diximus, Catilinam, cum de provincia Africa decederet, petiturus consulatum, & legati Afri questi de eo in senatu fuissent, graves multas sententias de eo dictas esse. Itaque cum professus deinde esset Catilina petere se consulatum, L. Volcatius Tullus consul consilium publicum habuit, an rationem Catilinæ (a) habere deberet, si peteret consulatum. Nam quærebatur repetundarum. Catilina ob eam causam destitit a petitione. *Idem*.

(a) Forte, *haberi deceret*.

(2) *Qui te*) Diximus modo de hoc. Nam judicium quoque secutum repetundarum, a quo ipse per infamiam liberatus est Catilina, sed ita, ut eum senatorum urna damnaret, equitum & tribunorum absolveret. *Idem*.

(3) *Africanis oratoribus*) Legatis ex Africa, qui de te tuisque deprædationibus & expilationibus graviter sunt questi: quorum oratio ita senatui persuaserat, ut cum te equitum, & tribunorum decuriæ absolverent, illi prorsus condemnarent. *Patric.*

(4) *Ab equestri*) Equester ordo pro Cinnanis partibus contra Syllam steterat, multasque pecunias abstulerat: ex quo *saccularii* erant appellati: multique ob ejus rei invidiam post Syllanam victoriam erant interfecti. *Asconius*.

(5) *Spectaculum*) Ejusdem illius Marii Gratidiani quod caput gestarit, objicit. Quo loco dicit Catilinam caput M. Marii gestasse, *quod caput, etiam tum plenum animæ & spiritus, ad Syllam usque, ab Janiculo ad ædem Apollinis, manibus ipse suis detulit*, omnia sunt manifesta. Ne tamen erretis, quod his temporibus ædes Apollinis in Palatio sit nobilissima: admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, ut puto, quam post mortem etiam Ciceronis multis annis Imp. Cæsar, quem nunc divum Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit: sed illam demonstrari, quæ est extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium & circum Flaminium. Ea enim sola tum demum Romæ Apollinis ædes. *Ascon.*

Quid? tu potes in defensione tua dicere, quod illi (1) ne dixerunt? quæ tibi dicere non licebit. *Et paulo post:* Denique illi negare potuerunt, & negaverunt; tu tibi ne inficiandi quidem impudentiæ locum reliquisti. Quare præclara dicentur judicia tulisse, si qui inficiantem Luscium (2) condemnarunt, Catilinam absolverint confitentem.

Is ergo negat ignarum esse, cum etiam illi, imperitos se homines esse, &, si quem etiam interfecissent, imperatori ac dictatori paruisse dicerent. Ac negare quoque posse: Catilinam (3) vero inficiari non posse.

Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis, ac despicis? an eam, quam reliqua vita es consecutus: cum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen (4) afferret.

Cum deprehendebare in adulteriis, cum deprehendebas adulteros ipse, cum ex eodem stupro tibi & uxorem (5), & filiam invenisti.

Stu-

(1) *Quod illi*) Legerem: *Quod illi? Quid si illi ea in sua defensione dixerunt, quæ tibi*, &c. *Patricius*.

(2) *Luscium*) Hic quem nominat, L. Luscius, notus centurio Syllanus, divesque e victoria factus, (nam amplius H-S centies possederat) damnatus erat non multo ante, quam Cicero dixit. Objectæ sunt ei tres cædes proscriptorum circa eosdem dies. L. quoque Bellienus damnatus est: quem Cicero ait avunculum esse Catilinæ. Hic autem Lucretium Afellam, consulatum contra voluntatem Syllæ ad turbandum statum civitatis petentem occiderat jussu Syllæ tunc dictatoris. *Idem*.

(3) *Catilinam*) Hujus autem criminis periculum, quod objicit Cicero, paucos post menses Catilina subiit. Post effecta enim comitia consularia, & Catilinæ repulsam, fecit eum reum inter sicarios L. Lucullus paratus eruditusque, qui postea consulatum quoque petiit. *Idem*.

(4) *Crimen*) Fabia virgo Vestalis causam incesti dixerat, cum ei Catilina objiceretur: eratque absoluta hæc Fabia, quia soror erat Terentiæ Ciceronis. Ideo sic dixit, *Etiam si culpa nulla subesset* Ita & suis pepercit, & nihilo levius inimico summi opprobrii turpitudinem objecit. *Idem*.

(5) *Uxorem*) Dicitur, Catilinam adulterium commisisse cum ea, quæ ei postea socrus fuit: & ex eo stupro duxisse uxorem,

cum

Stupris se omnibus, ac flagitiis contaminavit; cæde nefaria cruentavit; diripuit socios; leges, quæstiones, judicia violavit.

Quid ego, ut violaveris (1) provinciam, prædicem? cuncto populo Romano clamante, ac resistente. Nam, ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus (2) es. Mentitos esse equites Romanos, falsas fuisse tabellas honestissimæ civitatis existimo, mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam. Vidisse puto nescio quid illos judices, qui te innocentem judicarunt. O miser! qui non sentias, illo judicio te non absolutum, verum ad aliquod severius judicium, ac majus supplicium reservatum.

Prætereo illum nefarium conatum tuum, & pene acerbum, & luctuosum populo Romano diem, cum, Cn. Pisone socio, neque alio nemine, cædem optimatum (3) facere voluisti.

An oblitus (4) es, te ex me, cum prætu-

 ram

cum filia ejus esset. Hæc Lucejus quoque Catilinæ objicit in orationibus, quas in eum scripsit. Nomina harum mulierum nondum inveni. *Idem.*

(1) *Violaveris*) Cum sequatur, *ut te illic gesseris, non audeo dicere*, idcirco pro *violaveris*, legerem, *vi occupaveris, involaveris*, vel aliquid tandem huic simile. Cui demum lectioni respondet, *pop. Rom. clamante*, &c. *Patricius*.

(2) *Absolutus*) Dictum est jam sæpius, Catilinam ex prætura Africam obtinuisse, & accusante eum repetundarum P. Clodio absolutum esse. *Asconius*.

(3) *Optimatum*) Quos nominat, intelligitis. Fuit enim opinio, Catilinam, & Cn. Pisonem adolescentem perditum, conjurasse ad cædem senatus faciendam ante annum quam hæc dicta sunt, Cotta & Torquato Coss. eamque cædem ideo non esse factam, quod prius, quam parati essent, conjuratis signum dedisset Catilina. Piso autem, cum hæc dicerentur, perierat in Hispania, missus a senatu per honorem legationis, ut avus suus ablegaretur. Ibique dum injurias provincialibus facit, occisus erat, ut quidam credebant, a Cn. Pompeji clientibus, Pompejo non invito. *Idem*.

(4) *An oblitus*) Diximus jam supra, Syllæ ludis, quos hic propter victoriam fecerat, quadrigas C. Antonium & alios quosdam nobiles homines agitasse. Præterea Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem sena-

tori

te nobilitate, nullo intercessore comparato, populo Romano dedit, & potentissimorum hominum collegiis eripuit (1), cooptandorum sacerdotum potestatem. SEQUITUR.

Quid? idem Domitius M. Silanum (2), consularem hominem, quemadmodum tribunus plebis vexavit?

Hæc est controversia ejusmodi, ut mihi tribunus plebis Cn. Domitius, Catulo M. Terpolius (3) contemptissimum nomen ejectum ex iis, qui tribuni plebis fuerunt.

IN TOGA CANDIDA,

CONTRA C. ANTONIUM, & L. CATILINAM (4),

COMPETITORES.

OMNIA EX ASCONIO.

Dico, Patres Conscripti, nocte cujusdam hominis

(1) *Eripuit*) Hoc egere enarratione, quia hoc loco nomen non ponit quis fecerit, ei demum videri potest, qui oblitus sit, minus ante xx. versus hæc de eo ipso Ciceronem dixisse: *Sed si familiariter ex Q. Catulo &c. Idem*.

(2) *Silanum*) M. Silanus quinquennio ante consul fuerat, quam Domitius Trib. pleb. atque ipse quoque adversus Cimbros rem male gesserat. Quam ob causam Domitius eum apud populum accusabat: criminabatur bellum cum Cimbris injussu populi gessisse, idque principium fuisse calamitatum, quas eo bello populus accepisset: ac de eo tabellam quoque dedit: sed plenissime Silanus absolutus est; nam duæ solæ tribus eum, Sergia & Quirina, damnaverunt. *Ascon.*

(3) *Terpolius*) Post infractam tribunitiam potestatem a Sylla, ante restitutam a Cn. Pompejo, apparet. Fuit autem is Tribunus pleb. ante xii. annos, D. Bruto, & M. Lepido Coss. Cn. Domitius Tribunus fuerat ante iii. de XL. annos, C. Mario ii. C. Fimbria Coss. Magno numero sententiarum Cornelius absolutus est. *Idem*. Apud Asconium videtur legendum, *Mam. Lepido*, non *M. Lepido*, ex fragmentis Capitolinis. Reliqua sententia vix sine scriptorum librorum auctoritate sanari potest. Neque intelligitur, quid aut Cicero velit, aut Asconius. *Sigon.*

(4) ARGUMENTUM. Hæc Oratio dicta est L. Cæsare, C. Fi-

nis nobilis, & valde in hoc largitionis quæstu noti & cogniti, domum (1) Catilinam & Antonium cum sequestribus suis convenisse.

Quem enim, aut amicum habere potest is (2), qui

Figulo Coss., post annum quam pro Cornelio dixerat. Sex competitores in consulatus petitione Cicero habuit, duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam: quatuor plebejos, ex quibus duo nobiles, C. Antonium, M. Antonii oratoris filium, L. Cassium Longinum: duos, qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotem. Solus Cicero ex competitoribus equestri erat loco natus, atque in petitione patrem amisit. Cæteri ejus competitores modeste se gessere, visique sunt Q. Cornificius & P. Galba sobrii ac sancti viri: Sacerdos nulla improbitate notus. Cassium, qui iners ac stolidus tum magis quam improbus videretur, sed post paucos menses in conjuratione Catilinæ esse apparuit, ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem: itaque hi quatuor pro re jacebant. Catilina autem & Antonius, quanquam omnibus maxime infamis eorum vita esset, tamen multum poterant. Coierant enim ambo, ut Ciceronem consulatu dejicerent, adjutoribus usi firmissimis, M. Crasso, & C. Cæsare. Itaque hæc oratio contra solum Catilinam & Antonium est. Causa orationis hujusmodi in senatu habendæ Ciceroni fuit, quod, cum in dies licentia ambitus augeretur propter præcipuam Catilinæ & Antonii audaciam, censuerat senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum pœna ferretur. Ei quoque rei Q. Mucius Orestinus Trib. pleb. intercesserat. Cum Cicero, graviter senatu intercessionem ferente, surrexit, atque in coitionem Catilinæ & Antonii invectus est ante dies comitiorum paucos. *Asconius*.

Ad hujus orationis intelligentiam plurimum liber etiam Quinti fratris, *de petitione consulatus*, valebit, in quo eadem fere de L. Catilina, & C. Antonio competitoribus repetuntur. De indice hujus orationis scriptum est apud Isidorum lib. IX. *Toga candida, eademque cretata, in qua candidati, id est, magistratum petentes ambiebant, addita creta, quo candidior, insigniorque esset. Cicero orationem, quam habuit contra competitores*, In toga candida *inscripsit*. Sigonius.

(1) *Domum*) Aut C. Cæsaris, aut M. Crassi domum significat. Etenim acerrimi ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petiit consulatum, quod ejus in dies civilem crescere dignitatem animadvertebant. Et hoc ipse Cicero in expositione suorum consiliorum significat. Ejus quoque conjurationis, quæ, Cotta & Torquato Coss. ante annum, quam hæc dicerentur, facta est a Catilina & Pisone, arguit M. Crassum auctorem fuisse. *Ascon.*

(2) *Is*) Catilinam, cum in Syllanis partibus fuisset, crudeliter fecisse, nominatim etiam postea Cicero dicit; quos occiderit, Q. Cæcilium, M. Volumnium, L. Tantasium: M. etiam Marii Gratidiani, summe popularis hominis, qui ob id bis prætor fuit, caput abscissum per urbem sua manu Catilina tulerat; quod

qui tot cives trucidavit; aut clientem, qui in sua civitate cum peregrino negavit se judicio æquo (1) certare posse?

Nec se jam tum respexit, cum gravissimis vestris decretis absens (2) notatus est.

In judiciis (3) quanta vis esset, didicit, cum est

quod crimen sæpius ei tota oratione objicit. Fuerat vero hic Gratidianus arcta necessitudine Ciceroni conjunctus. Clientem autem negat habere posse C. Antonium. Nam is multos in Achaja spoliaverat, nactus de exercitu Syllano equitum turmas. Deinde Græci, quos spoliaverat, eduxerunt Antonium in jus ad M. Lucullum prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat. Egit pro Græcis etiam tum adolescentulus, de quo paulo ante mentionem fecimus. Et cum Lucullus id, quod Græci postulabant, decrevisset, appellavit tribunos Antonius, juravitque se ideo recusare, quod æquo jure uti non posset. Hunc Antonium Gellius & Lentulus censores sexennio, quo hæc dicerentur, senatu moverunt, causasque subscripserunt, quod socios diripuerit, quod judicium recusarit, quod propter æris alieni magnitudinem prædia mancipa rit, bonaque sua in potestate non haberet. *Idem*.

(1) *Judicio æquo.*) Quid sit *judicium æquum*, vide Orat. pro Cluentio, sub init.

(2) *Absens*) Catilina ex prætura Africam provinciam obtinuit. Quam cum graviter vexasset, legati Afri in senatu jam tum absente illo questi sunt, multæque graves sententiæ in senatu de eo dictæ sunt. *Idem*.

(3) *In judiciis*) Ante annum quam hæc dicerentur, Catilina cum redisset ex Africa, Torquato & Cotta Coss accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceroni fuit. Defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, a M. Cicerone. Quod ego ut addubitem, hæc ipsa Ciceronis oratio facit, maxime quod is nullam mentionem rei habet, cum potuerit invidiam facere competitori tam turpiter adversus se coeunti: præsertim cum alterum competitorem suum Antonium in eadem hac oratione sua admoneat, suo beneficio eum ex ultimo loco præturæ candidatum ad tertium pervenisse. *Nescis, me prætorem primum esse factum, te concessione competitorum, & collatione centuriarum, & meo maxime beneficio, e postremo in tertium locum esse subjectum?* Qui igitur Antonio suffragationem suam imputandam putat, is, si defendisset Catilinam, caput ejus protectum a se non ei imputaret? Quod ita esse manifestum est ex eo, quod statim dicit. Q. enim Mucius Trib. pl. intercedebat, ne lex ambitus ferretur: quod facere pro Catilina videbatur. Hunc Mucium in hac oratione appellans Cicero sic ait: *Te tamen, Q. Muci, tam male de repub.* &c. Verum, ut egerit Mucii causam Cicero, sicut Catilinæ egisse eum videri vult Fenestella, cur, cum, quamvis male existimet de causa Mucii, tamen ei exprobret patrocinium suum, non idem in Catilina faciat, si modo pro eo dixit? & cur ipsum illud judicium sæpius in infamiam vocat?

quod

est absolutus: si aut illud judicium, aut illa absolutio nominanda est.

Te tamen, Q. Muci, tam male de republica existimare, moleste fero, qui hesterno die me esse dignum consulatu negabas. Quid? populus Romanus minus diligenter scit sibi constituere defensorem, quam tu tibi? qui, cum te furti L. Calenus argueret, me potissimum fortunarum tuarum patronum esse voluisti. Et cujus tu consilium in tua turpissima causa delegisti, hunc honestissimarum rerum defensorem populus Romanus, auctore te, repudiare potest? Nisi forte hoc dicturus es, quo tempore a L. Caleno furti delatus sis, te eo tempore in me tibi parum auxilii esse vidisse.

Populum vero, cum inspectante populo collum (1) secuit hominis maxime popularis, quanti faceret, ostendit.

Me, qua amentia inductus est, ut contemneret, constituere non possum. Utrum æquo animo laturum putavit? an in suo familiarissimo (2) non viderat, me ne aliorum quidem injurias mediocriter posse ferre?

Alter (3) pecore omni vendito, & saltibus pro-

quod parcius videretur fuisse facturus, si in eo judicio fuisset patronus. Atque ut alia omittam, hoc certe vix videtur dicturus fuisse, si illo patrono Catilina repetundarum absolutus esset: *Stupris se omnibus, ac flagitiis contaminavit: cæde nefaria cruentavit: diripuit socios: leges, quæstiones, judicia violavit*. Et postea: *Quid ego, ut violaveris provinciam*, &c. Verine ergo simile est, hæc eum Catilinæ objicere, si illo defendente absolutus est? Præterea movet me, quod, cum sint commentarii Ciceronis suarum etiam defensionum, commentarium tamen hujus defensionis aut principium nullum inveniam. Itaque puto non defendisse, sed tantum de defendendo cogitasse: quod per hæc ipsa negari non potest. Hoc autem judicio absolutus est Catilina, infamia judicum. Ut & Clodius infamis fuerit, quippe qui prævaricatus est. Nam & rejectio judicum ad arbitrium rei videbatur esse facta. *Asc.*

(1) *Collum*) Diximus & paulo ante, Marii (Gratidiani) caput Catilinam per urbem tulisse. *Idem*.

(2) *Familiarissimo*) Manifestum est C. Verrem significari. *Idem*.

(3) *Alter*) C. Antonium significat. *Idem*.

prope addictis, pastores retinet, ex quibus ait, se, cum velit, subito fugitivorum bellum excitaturum.

Alter induxit eum (1), quem potuit, ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur, quos ipse consularis candidatus perspexit, & legit, & emit: præsente populo Romano factum est.

Quamobrem augere etiam mercedes si vultis, Q. Mucium perverti legem impedire, ut cœpit * senten. cos. (2) Sed ego ea lege (3) contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus.

Atque ut istum (4) omittam, in exercitu Syllano prædonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium.

Te vero, Catilina, consulatum sperare, aut cogitare, non prodigium, atque portentum est? A quibus enim petis? a principibus civitatis? qui tibi,

(1) *Eum*) Q. Gallium, quem postea reum ambitus defendit, significare videtur. Hic enim cum esset præturæ candidatus, quod in ædilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, dedit gladiatorium, sub titulo, patri se id dare. *Idem*.

(2) *Ut cœpit senten. cos.*) Satis constat *Q. Mucium* Orestinum legi, quæ ferebatur de ambitu, intercessisse, idque graviter senatum tulisse. Videtur ergo senatores hortari ut S. C. prævertant Mucium legem impedientem. Quare hic locus ita videtur legendus, Sigonius. *Q. Mucium prævertite legem impedire, ut cœpit, senatusconsulto*. Sigonius. Recentior Asconii editio: *Q. Mucium conantem legem impedire, ut cœpit Senatus, Consules, prohibete. Sed* &c. Alias non *Mucium*, sed *Mutium*.

(3 *Lege*) Legem Calpurniam significat, quam C. Calpurnius Piso ante triennium de ambitu tulerat. Quod autem dicit damnatos esse designatos consules, P. Syllam, & P. Autronium, de quibus jam diximus, vult intelligi. Cognomen autem Q. Mucio tribuno, quem nominat, fuit Orestinus. *Idem*.

(4) *Istum*) De Antonio dici manifestum est. Sed dicit eum in exercitu Syllæ prædonem, propter equitum turmas, quibus Achajam ab eo vexatam esse significavimus. In introitu gladiatorem, pertinet ad invidiam proscriptionis, quæ tum facta est. In victoria quadrigarium, quod, cum Sylla post victoriam circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius. *Idem*.

bi, cum L. Volcatius (1) consul in consilio fuisset, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt?

A senatoribus? qui te (2) auctoritate sua, spoliatum ornamentis omnibus, vinctum pene Africanis oratoribus (3) tradiderunt?

Ab equestri (4) ordine? quem trucidasti.

A plebe? cui spectaculum (5) ejusmodi tua crudelitas præbuit, ut nemo sine luctu aspicere, sine gemitu recordari posset.

Quod caput, etiam tum plenum animæ, & spiritus, ad Syllam, usque ab Janiculo ad ædem Apollinis, manibus ipse suis detulit.

(1) *Volcatius*) Paulo ante diximus, Catilinam, cum de provincia Africa decederet, petiturus consulatum, & legati Afri questi de eo in senatu fuissent, graves multas sententias de eo dictas esse. Itaque cum professus deinde esset Catilina petere se consulatum, L. Volcatius Tullus consul consilium publicum habuit, an rationem Catilinæ (*a*) habere deberet, si peteret consulatum. Nam quærebatur repetundarum. Catilina ob eam causam destitit a petitione. *Idem*.

(*a*) Forte, *haberi deceret*.

(2) *Qui te*) Diximus modo de hoc. Nam judicium quoque secutum repetundarum, a quo ipse per infamiam liberatus est Catilina, sed ita, ut eum senatorum urna damnaret, equitum & tribunorum absolveret. *Idem*.

(3) *Africanis oratoribus*) Legatis ex Africa, qui de te tuisque deprædationibus & expilationibus graviter sunt questi: quorum oratio ita senatui persuaserat, ut cum te equitum, & tribunorum decuriæ absolverent, illi prorsus condemnarent. *Patric.*

(4) *Ab equestri*) Equester ordo pro Cinnanis partibus contra Syllam steterat, multasque pecunias abstulerat: ex quo *sacculari*i erant appellati: multique ob ejus rei invidiam post Syllanam victoriam erant interfecti. *Asconius*.

(5) *Spectaculum*) Ejusdem illius Marii Gratidiani quod caput gestarit, objicit. Quo loco dicit Catilinam caput M. Marii gestasse, *quod caput, etiam tum plenum animæ & spiritus, ad Syllam usque, ab Janiculo ad ædem Apollinis, manibus ipse suis detulit*, omnia sunt manifesta. Ne tamen erretis, quod his temporibus ædes Apollinis in Palatio sit nobilissima: admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, ut puto, quam post mortem etiam Ciceronis multis annis Imp. Cæsar, quem nunc divum Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit: sed illam demonstrari, quæ est extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium & circum Flaminium. Ea enim sola tum demum Romæ Apollinis ædes. *Ascon.*

Quid? tu potes in defensione tua dicere, quod illi (1) ne dixerunt? quæ tibi dicere non licebit. *Et paulo post:* Denique illi negare potuerunt, & negaverunt; tu tibi ne inficiandi quidem impudentiæ locum reliquisti. Quare præclara dicentur judicia tulisse, si qui inficiantem Luscium (2) condemnarunt, Catilinam absolverint confitentem.

Is ergo negat ignarum esse, cum etiam illi, imperitos se homines esse, &, si quem etiam interfecissent, imperatori ac dictatori paruisse dicerent. Ac negare quoque posse: Catilinam (3) vero inficiari non posse.

Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis, ac despicis? an eam, quam reliqua vita es consecutus: cum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen (4) afferret.

Cum deprehendebare in adulteriis, cum deprehendebas adulteros ipse, cum ex eodem stupro tibi & uxorem (5), & filiam invenisti.

Stu-

(1) *Quod illi*) Legerem: *Quod illi? Quid si illi ea in sua defensione dixerunt, quæ tibi*, &c. *Patricius*.

(2) *Luscium*) Hic quem nominat, L. Luscius, notus centurio Syllanus, divesque e victoria factus, (nam amplius H-S centies possederat) damnatus erat non multo ante, quam Cicero dixit. Objectæ sunt ei tres cædes proscriptorum circa eosdem dies. L. quoque Bellienus damnatus est: quem Cicero ait avunculum esse Catilinæ. Hic autem Lucretium Afellam, consulatum contra voluntatem Syllæ ad turbandum statum civitatis petentem occiderat jussu Syllæ tunc dictatoris. *Idem*.

(3) *Catilinam*) Hujus autem criminis periculum, quod objicit Cicero, paucos post menses Catilina subiit. Post effecta enim comitia consularia, & Catilinæ repulsam, fecit eum reum inter sicarios L. Lucullus paratus eruditusque, qui postea consulatum quoque petiit. *Idem*.

(4) *Crimen*) Fabia virgo Vestalis causam incesti dixerat, cum ei Catilina objiceretur: eratque absoluta hæc Fabia, quia soror erat Terentiæ Ciceronis. Ideo sic dixit, *Etiam si culpa nulla subesset* Ita & suis pepercit, & nihilo levius inimico summi opprobrii turpitudinem objecit. *Idem*.

(5) *Uxorem*) Dicitur, Catilinam adulterium commisisse cum ea, quæ ei postea socrus fuit: & ex eo stupro duxisse uxorem,

cum

Stupris se omnibus, ac flagitiis contaminavit; cæde nefaria cruentavit; diripuit socios; leges, quæstiones, judicia violavit.

Quid ego, ut violaveris (1) provinciam, prædicem? cuncto populo Romano clamante, ac resistente. Nam, ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus (2) es. Mentitos esse equites Romanos, falsas fuisse tabellas honestissimæ civitatis existimo, mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam. Vidisse puto nescio quid illos judices, qui te innocentem judicarunt. O miser! qui non sentias, illo judicio te non absolutum, verum ad aliquod severius judicium, ac majus supplicium reservatum.

Prætereo illum nefarium conatum tuum, & pene acerbum, & luctuosum populo Romano diem, cum, Cn. Pisone socio, neque alio nemine, cædem optimatum (3) facere voluisti.

An oblitus (4) es, te ex me, cum prætu-

cum filia ejus esset. Hæc Lucejus quoque Catilinæ objicit in orationibus, quas in eum scripsit. Nomina harum mulierum nondum inveni. *Idem.*

(1) *Violaveris*) Cum sequatur, *ut te illic gesseris, non audeo dicere*, idcirco pro *violaveris*, legerem, *vi occupaveris*, *involaveris*, vel aliquid tandem huic simile. Cui demum lectioni respondet, *pop. Rom. clamante*, &c. *Patricius.*

(2) *Absolutus*) Dictum est jam sæpius, Catilinam ex prætura Africam obtinuisse, & accusante eum repetundarum P. Clodio absolutum esse. *Asconius.*

(3) *Optimatum*) Quos nominat, intelligitis. Fuit enim opinio, Catilinam, & Cn. Pisonem adolescentem perditum, conjurasse ad cædem senatus faciendam ante annum quam hæc dicta sunt, Cotta & Torquato Coss. eamque cædem ideo non esse factam, quod prius, quam parati essent, conjuratis signum dedisset Catilina. Piso autem, cum hæc dicerentur, perierat in Hispania, missus a senatu per honorem legationis, ut avus suus ablegaretur. Ibique dum injurias provincialibus facit, occisus erat, ut quidam credebant, a Cn. Pompeji clientibus, Pompejo non invito. *Idem.*

(4) *An oblitus*) Diximus jam supra, Syllæ ludis, quos hic propter victoriam fecerat, quadrigas C. Antonium & alios quosdam nobiles homines agitasse. Præterea Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem sena-

tori

tam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? quod cum sæpius ageres, & impudentius a me contenderes, meministi me tibi respondere, impudenter te facere, qui id a me peteres, quod avunculus nunquam impetrasset (1)? Nescis me prætorem primum esse factum, te concessione competitorum, & collatione centuriarum, & meo maxime beneficio, e postremo in tertium locum esse sublectum?

Dicit de malis civibus.

Qui posteaquam illo, ut conati erant, Hispaniensi (2) pugiunculo nervos incidere civium Romanorum non potuerunt, duas uno tempore conantur in remp. sicas distringere.

Hunc vos scitote Licinium gladiatorem jam immisisse cupidum Catilinæ, judices, Quintumque Curium (3), hominem quæstorium.

PRO Q. GALLIO (4).

AQUIL. & QUINT. *lib.* VIII. *cap.* 3.) Ut cla-

tori habere licet per legem. Fuit autem notissimus in circo quadrigarum agitator Boculus. *Idem*.

(1) *Quod avunculus non impetrasset*) Antonius Augustinus Episcopus Allifanus, vir singulari scientia, & divino prope ingenio præditus, pro *avunculus*, reponit, *a te Boculus*. Qua lectione nihil cogitari potest melius. Est autem *Boculus* nomen agitatoris, cujus meminit in commentario Asconius. *Sigonius*.

(2) *Hispaniensi*) *Hispaniensem pugiunculum* Cn. Pisonem appellat: quem in Hispania occisum esse dixi. *Duas sicas*, Catilinam & Antonium appellari, manifestum est. *Idem*.

(3) *Curium*) Curius hic notissimus fuit aleator, damnatusque postea est. In hunc est hendecasyllabus Calvi elegans: *Et talis Curius pereruditus*. Idem.

Huic orationi Ciceronis & Catilina & Antonius contumeliose responderunt: quod solum poterant, invecti in novitatem ejus. Feruntur quoque orationes nomine illorum editæ, non ab ipsis scriptæ, sed ab Ciceronis obtrectatoribus, quas nescio an satius sit ignorare. Cæterum Cicero consul omnium consensu factus est. Antonius pauculis centuriis Catilinam superavit, cum ei propter patris nomen paulo speciosior manus suffragata esset, quam Catilinæ. *Idem*.

(4) *Q. Gallio*) Gallium de ambitu postulatum scribit Asconius in commentario orationis in Toga, a Cicerone vero fuisse defen-

clamor, ut convicium mulierum, ut symphoniæ cantus. Videbar (1) mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes, partim ex vino vacillantes, partim hesterna potatione oscitantes. Versabatur inter hos Gallius, unguentis oblitus, redimitus coronis. Humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, & spinis cooperta piscium.

B. HIER. *Vit. Cleric.*) Loquor enim quæ sum ipse nuper expertus. Unus quidam poeta nominatus, homo perliteratus, cujus sunt illa colloquia poetarum ac philosophorum, cum facit Euripidem & Menandrum inter se, & in alio loco Socratem atque Epicurum differentes, quorum ætates non annis, sed seculis scimus esse disjunctas, quantos is plausus & clamores movet? Multos enim condiscipulos habet in theatro, qui simul literas non didicerunt.

QUINT. *lib.* 11. *cap. ult.*) An ista, si vera essent, si a te dicerentur?

CIC. *Brut. cap.* 80.) Tu istuc (2), M. Calidi,

defensum, in Verrinarum. Ambitus autem objectus est, quod cum præturam peteret, quia in ædilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, dedit gladiatorium sub titulo, patri se id dare. Hujus autem defensionis præclara fit mentio in libro de petitione consulatus a Q. Fratre, his verbis: *Nam hoc biennio quatuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti, M. Fundanii, Q. Gallii, C. Cornelii, L. Corvini: & horum in caussis ad te deferendis, quidnam eorum sodales receperint, & confirmarint, scio.* Orationis quidem D. Hieronymus meminit in libro *de vita Clericorum*: *Nihil tam facile*, inquit, *quam vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere: quæ quicquid non intelligit, plus miratur. M. Tullius, in quem illud pulcherrimum elogium est*: Demosthenes tibi præripuit, ne esses primus orator; tu illi, ne solus: *in oratione pro Q. Gallio, quid de favore vulgi, & de imperitis concionatoribus loquatur, attende, ne his fraudibus ludaris.* Sigonius.

(1) *Videbar*) Hic locus aptissimus est ad eam virtutem oratoriam indicandam, quæ dicitur ὑποτύπωσις: cujus rei caussa a Quintiliano, & ab Aquila commemoratur. *Idem.*

(2) *Tu istuc*) Valerius Maximus, lib. IV. cap. 10, *M. Cicero*, inquit, *quantum in pronuntiatione, & apto motu corporis momenti sit, oratione, quam pro Gallio habuit, significavit, M. Calidio*, &c. Gallium, quem Cicero defendebat, Calidius accusabat.

lidi, nisi fingeres, sic ageres? præsertim cum ista eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime soleas, tuum negligeres? Ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces & querelas solet. Nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur: pedis (quod minimum est) nulla supplosio. Itaque tantum absuit, ut inflammares nostros animos; somnum isto loco vix tenebamus.

NON. *Logi*.) Ergo certo scio, omnes logos (1), qui ludis dicti sunt, animadvertisse.

CARIS.) Poematorum.

DE L. OTHONE (2).

FRONTO.) Hic si se istius vitæ dedisset.

DE PROSCRIPTORUM LIBERIS (3).

QUINT. *lib.* XII. *cap.* I.) Quid enim crudelius, quam homines honestis parentibus ac majoribus

(1) *Logos*) Ciceroni apud Nonium, & Terent. Phorm. III. 2. 8. *Logi*, dicta sunt ridicula, nugatoria, inepta, & contemnenda verba sine re. Sic Plautus, Stich. I. 3. 98. *Logos ridiculos vendo*.

(2) Hic est *L. Roscius Otho*, qui in tribunatu, quadriennio ante Ciceronis consulatum, legem tulit, qua equitibus XIV. primos theatri gradus constituit, reliquos superiores plebi. Qua de causa in theatrum veniens, consule Cicerone, a plebe convicio & clamore exceptus est. Hunc autem ut plebi reconciliaret, Cicero hanc orationem habuit. Unde dixit Plinius, lib. VII. cap. 31. de Cicerone: *Roscio theatralis auctori legis Tribus ignoverunt, notatasque se di crimine sedis, æquo animo tulerunt*. Cicero in epistolis ad Atticum hanc orationem de *Othone* appellavit, lib. II. epist. I. *Sigonius*.

(3) L. Sylla dictator non solum inimicos suos proscripsit, sed eorum etiam filios in perpetuum petendorum honorum potestate, lege lata, privavit. Unde illa sunt M. Lepidi consulis in L. Syllam, apud Sallustium: *Quin solus omnium post memoriam hominum supplicia in post futuros composuit. Queis prius injuria, quam vita, certa esset*. Contra hos igitur Cicero consul cum, ut ad honores admitterentur, contenderent, egit, in oratione quam inscripsit *de proscriptorum filiis*. Cujus orationis vim indicavit Plinius lib. VII. cum dixit: *Te orante proscriptorum liberos honores petere puduit*. His tamen postea Cæsar dictator omnia concessit. *Sigonius*.

ribus natos a republica submoveri? Sed ita legibus Syllæ continetur status civitatis, ut, his solutis, stare ipsa non possit.

CONTRA CONCIONEM Q. METELLI (1).

FORTUN.) Sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congredi non licet cum resistente.

PRISC. *lib.* IX.) Permulsa, atque recreata est.

PRISC. *lib.* XVIII.) Nisi eorum exitio, non requieturam.

(1) Q. Metellus Nepos tribunus pl. cum in M. Ciceronem apud populum, Silano, & Murena Coss. esset invectus, eum, ut sibi oratione responderet, compulit. Quam orationem cum post scripsisset, *Contra concionem Q. Metelli* vocavit. De hac contentione tum credo locutus est, cum ad Q. Metellum Celerem Nepotis fratrem ita scripsit: *Ad III. Non Jan. cum agere cœpisset, tertio quoque verbo me appellabat, mihi minabatur. Hujus ego temeritati si virtute, atque animo non restitissem, quis esset, qui me in consulatu, non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse?* De oratione autem ipsa sic scribit lib. I. ad Atticum: *In illam orationem Metellinam addidi quædam. Liber tibi mittetur.* Et lib. III. *Quæ est spes ita eodem tribuno pl. & inimico Cos. designato? Percussisti autem me etiam de oratione prolata. Cui vulneri, ut scribis, medere, si potes. Scripsi equidem olim ei iratus, quod ille prior scripserat, sed ita compresseram, ut nunquam emanaturam putarem. Quo modo exciderit, nescio. Sed quia nunquam accidit, ut cum eo verbo uno concertarem, & quia mihi scripta videtur negligentius, quam cæteræ, puto posse probari, non esse meam.* Hinc factum est, ut Gellius lib. XVIII. cap. 7. ita scripserit: *Concio significat orationem, quæ ad populum habetur, sicut M. Tullius in oratione quæ inscripta est,* Contra concionem Q. Metelli. *Ascendi*, inquit, *in concionem: concursus populi factus est.* Post: *Concionem esse dictam pro verbis, & oratione docuit titulus Tulliani libri, qui a M. Cicerone inscriptus est, contra concionem Q. Metelli.* Meminerunt autem hujus orationis D. Augustinus, & Fortunatianus in Rhetoricis suis, ita: *Utemur principiis in bonæ opinionis controversiis, sed brevioribus & erectioribus paulo, & confidentibus, & plenis dignitatis, sine jactantia duntaxat, ne res pariat invidiam: ut est illud apud Tullium* contra concionem Metelli: *Sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congredi non licet cum resistente. „ Quod nunquam profecto tam magnifice dicere in exordio statim ausus fuisset, nisi & ipsius auctoris esset honesta persona, & res, de qua locuturus esset, non improba.* Meminit etiam hujus Priscianus. *Idem.*

GELL. *lib.* XVIII. *cap.* 7.) Adscendi in concionem: concursus est populi factus.

QUINT. *lib.* IX. *cap.* 3.) Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci jussi, in senatu sunt positi.

DE CONSULATU SUO (1).

NONIUS, *Census*.) Quorum luxuries fortunata censa peperit.

IN CLODIUM & CURIONEM (2).

NON.) Tu vero festivus, tu elegans, tu solus

(1) Hanc e Nonii Marcelli Collectaneis decerptam laciniam in Orationum fragmenta induxit Andreas Patricius, a cujus judicio nolui ego discedere; uti neque ab exemplo Gruteri, & Grævii. Vix tamen probabile mihi est, ullam esse de consulatu suo a Cicerone dictam orationem. Affirmat enim. *Fam.* V. 2. & *in Pison.* 3, se magistratu abeuntem, concionis habendæ potestate per Metelli Tribuni plebis injuriam, privatum fuisse: permissumque tantummodo, ut juraret. Plutarchus quidem, *in Crasso*, commemorat orationem Ciceronis *de Consulatu*, haud dubie, *suo*. At quis nescit, quam multa Plutarchus de Romanis rebus narraverit fide Græca? In rebus autem Ciceronis quam sit merito suspectus, qui scire plenius volent, discent e Sebastiani Corradi Quæstura. Ubi ergo fuit segmentum istud? Quid, si a Nonio desectum credamus ex oratione illa *contra concionem Q. Metelli?* Quid, si e tribus, quod heroicis versibus *de consulatu suo* Cicero scripserat, libris? Atque ut arioler paulum semel, & *disjecti membra poetæ* colligam: Nonium suspicor, ubi Cicero scripserat *felicia*, scripsisse *fortunata*, & vocem loco movisse. Ita heroicus erit versus:

Quorum luxuries peperit felicia censa.

Qui versus in aliquo fuerit librorum trium *de Consulatu*. Neque enim Nonius, quando hunc locum affert, dicit ex oratione aliqua esse depromptum. Quod vocem mutavit, nihil præter solitum fecit: plena ejusmodi allucinationum in ejus libro sunt omnia. Quod *felicia* mutavit in *fortunata*, nihil mirum: ipse enim in Commentario *de varia significatione sermonum*, hoc annotatum habet: *Felix* dicitur *fortunatus*. Potuit ergo alterum vocabulum alteri substituere, quoniam utrumvis æque ostendit, quod hic volebat Nonius, cur genus Cicero in voce *census* mutaverit. *Olivetus*.

(2) Orationis in *Clodium & Curionem* non mediocris memoria extat, cum de ea insigne illud suum Quintilianus reliquerit judicium: *Editum in Clodium, & Curionem librum vituperationem continere illum quidem, sed tamen in senatu sententiæ loco esse habitum*. Ex fragmentis autem ejus collectis satis apparet, Cice-

lus urbanus, quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriæ, qui lævare vultum, mollire vocem potes.

NON. *Longus. Speculum.*) Sed, credo, postquam tibi speculum allatum est, longe te a pulchris (1) abesse sensisti.

NON.) Ac vide, an facile tu fieri potueris, cum is factus non sit, cui tu concessisti (2).

NON. *Calantica.*) Tunc cum vincirentur pedes fasciis, cum calanticam capiti accommodares, cum strophio accurate præcingerere.

QUINT. *lib.* VIII. *cap.* 6.) Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta servavit.

QUINT. *lib.* IX. *cap.* 2.) Quibus iste, qui omnia sacrificia (3) nosset, facile a se deos placari posse arbitrabatur.

QUINT.) Quo ex judicio, velut ex incendio, nudus effugit.

CICERO *ad Attic.* I. 16.) Erras, Clodi: non te judices urbi, sed carceri reservarunt: neque te retinere in civitate, sed exilio privare voluerunt. Quamobrem, Patres Conscripti, erigite animos, retinete vestram dignitatem: manet illa in republica bonorum consensio: dolor accessit bonis viris, virtus non est imminuta: nihil est damni factum novi: quod erat, inventum est. In

unius

Ciceronem in eo vehementissime luxuriem ac muliebrem mollitiem Clodii esse insectatum, cum ei *psaltriam*, *strophium*, *calanticam* objiciat, cum sacra ab eo constuprata arguat, cum anteactam ejus vitam, ut solet, reprehendat. *Sigonius*.

(1) *Pulchris*) In Clodii formam jocatur, & in cognomen familiæ Pulchrorum. *Idem*.

(2) *Ac vide, an facile tu fieri potueris, cum is factus non sit, cui tu concessisti*) Loquitur credo de *Clodio* præturæ candidato, qui annum suum reliquit, ut scriptum est in Miloniana. Significat autem, futurum fuisse, ut anno suo, quem præterierat, prætor non fieret, quia is, cui ille concesserat, factus non sit. *Idem*.

(3) *Omnia sacrificia*) *Sacra* Bonæ deæ a Clodio violata intelligit. *Idem*.

unius hominis perditi judicio plures similes reperti sunt.

DE REGE PTOLEMÆO (1).

AQU. & FORTUN.) Difficilis ratio belli gerendi: at plena fidei, plena pietatis.

PRO P. VATINIO (2).

CIC. *Ep. lib.* 1.) Facio quiddam, quod in Eunucho (3.) parasitus suadet militi:

Ubi

(1) Orationis de rege *Ptolemæo* mentionem apud Aquilam, & Fortunatianum Latinos rhetores solum invenio. Fortunatianus autem eandem etiam de rege Alexandrino vocavit, cum dixit: *Communis partitio, ut Cicero de rege Alexandrino*. Item: *Hypophoræ copiosæ ponuntur, si discrepans aliquid ostendatur, ut Cicero de rege Alexandrino*. Eam vero de restituendo *Ptolemæo Aulete* fuisse crediderim, cum eam reductionem P. Lentulo Ciliciæ proconsule sua sententia decerneret; ut ipse scribit in epistolis. *Sigon.* Hæc fuit habita Cn. Cornelio Lentulo, L. Marcio Philippo Coss. ut patet ex epistola I. ad Familiares. Scribit enim de hac re ad P. Lentulum, tum Ciliciæ procos. Mentio autem orationis, & fragmenti, est etiam apud Capellam, ubi agit de figuris sententiarum. *Patricius*.

(2) Vatinium & accusatum fuisse, & defensum a magnis viris reperio. Accusatum quidem a Licinio primum Calvo, nobili illa actione, de qua multi præclari auctores meminerunt, Tacitus, Catullus, Quintilianus, Aquila, cæteri, quos nos in epistolas ad hunc Calvum a Cicerone scriptas, in fragmentis epistolarum adnotavimus copiose. Deinde vero insectatum quoque a Cicerone ipso, oratione quidem, quæ hodieque extat. Defensum autem ab eodem, duobus, ut scribit Valerius lib. VI. cap. II. judiciis publicis, non modo sine ullo crimine levitatis, quod eidem antea inimicissimus extiterit, sed etiam cum aliqua laude, cum speciosius multo injuriæ beneficiis vincantur, quam mutui odii pertinacia pensentur. Etsi autem ejus defensionis causam in Cæsarem conferre videatur ipse Cicero, quem sibi defendendi Vatinii auctorem fuisse scribit lib. I. epist. famil. ad Lentulum, tamen Quintilianus rei ipsi, & veritati tributum id ab eo fuisse significat, lib. II. cap. 1. cum ait: *Decet rem ipsam probare in qualicunque persona. Dixit Cicero pro Gabinio, & P. Vatinio inimicissimis antea sibi hominibus, & in quos orationes etiam scripserat. Equidem orationis pro Vatinio Ciceronis, meminit Asconius initio expositionis suæ in orationem pro M. Scauro.* Quo ex loco intelligitur habitam esse eam L. Domitio Ahenobarbo, & App. Claudio Pulchro Coss. id quod significat etiam lib. II. ad Q. Fratrem, epist. ultima. *Patricius*.

(3) *In Eunucho*) Act. 3. scena 1.

Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo. Si quando illa dicet, Phædriam
Comessatum intromittamus; tu, Pamphilam
Cantatum provocemus. Si laudabit hæc
Illius formam, tu hujus contra. Denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.

Sic peto a vobis, Judices, ut quoniam quidam nobiles homines, & de me optime meriti, nimis amant inimicum meum, meque inspectante, sæpe eum in senatu modo severe seducunt (1), modo familiariter atque hilare amplexantur: quoniamque illi habent suum Publium, detis mihi ipsi alium Publium, in quo possim eorum animos, mediocriter lacessitus, leviter repungere.

PRO M. ÆMILIO SCAURO (2).

FORTUN. (*August. in Rhet.*) Maxime fuit optan-

(1) *Severe seducunt*) Tamquam si qua de re gravi cum eo colloqui, deliberare, consulere vellent. *Ernestus*.

(2) Hanc quoque orationem eisdem Consulibus dixit, quibus pro Vatinio; L. Domitio Ahenobarbo, & Appio Claudio Pulchro Coss. Summus judicii dies fuit a. d. IV. Nonas Septembris.

ARGUMENTUM. M. Scaurus M. Scauri filius, qui princeps senatus fuit, vitricum habuit Syllam: quo victore, & munifico in socios victoriæ, ita abstinens fuit, ut nihil neque donari sibi voluerit, neque ab hasta emerit. Ædilitatem summa magnificentia gessit, adeo ut in ejus impensas opes suas absumpserit, magnumque æs alienum contraxerit. Ex Prætura provinciam Sardiniam obtinuit: in qua neque satis abstinenter se gessisse existimatus est & valde arroganter. Quod genus morum in eo paternum videbatur, cum cætera industria nequaquam esset par. Oraverat tamen aliquando inter patronos causarum; &, postquam ex provincia redierat, dixerat pro C. Catone; isque erat absolutus ad III. Nonas Quint. Inde, cum ad Consulatus petitionem ad III. Kalend. Quint. Romam redisset, querentibus de eo Sardis, a P. Valerio Triario, adolescente parato ad dicendum, & notæ industriæ, filio ejus qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulerat, & post in Asia Pontoque Legatus L. Luculli fuerat, cum is bellum contra Mithridatem gereret, postulatus apud M. Catonem Prætorem repetundarum, ut in actis scriptum est, postridie Nonas Quint. post diem tertium, quam Cato erat absolutus. Subscripserunt Triario in Scaurum L. Marius, L. filius, M. & Q. Pacuvii fratres, cognomine Claudi, qui ad inquisitionem in Sardiniam, itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt, neque

optandum (1) M. Scauro, Judices, ut nullo suscepto cujusquam odio, sine offensione ac molestia....

FRONTO.) Nihil Sardos Appio gratius esse facturos, quam si de Scauri fama detraxerint.

PRISC. *lib.* VI.) Cum dare nollet Aris (2), clam ex Sardinia est fugere coactus.

PRISC.

neque profecti sunt ad inquirendum. Cujus rei hanc causam reddebant, quod interea comitia consularia futura *erant: timere* ergo se, ne Scaurus ea pecunia, quam ab sociis *abstulisset*, emeret Consulatum, & sicut pater ejus fecisset, antequam *de eo* judicari posset, magistratum iniret; ac rursus *ante* alias provincias spoliaret, quam rationem prioris administrationis redderet. Scaurus summam fiduciam in paterni nominis dignitate, magnam in Cn. Pompeji Magni reponebat. Habebat enim *filium* liberorum Cn. Pompeji fratrem: nam Tertiam Scævolæ filiam, dimissam a Pompejo, in matrimonium duxerat. M. Catonem autem, qui id judicium, ut diximus, exercebat, metuebat admodum propter amicitiam, quæ erat illi cum Triario. Nam Flaminia Triarii mater, & ipse Triarius sororem Catonis Serviliam, quæ mater M. Bruti fuit, familiariter diligebat. Ea porro ad Catonem maternam obtinebat auctoritatem. Sed in eo judicio neque Pompejus propensum adjutorium præbuit, (videbatur enim apud animum ejus non minus offensionis contraxisse, quod judicium ejus in Mutiam, crimine impudicitiæ ab eo dimissam, levius fecisse existimaretur, cum eam ipse probasset, quam gratiæ acquisivisse necessitudinis jure, quod ex eadem uterque liberos haberet) neque Cato ab æquitate ea, quæ & vitam ejus, & magistratum illum decebat, quoquam deflexit. Post diem autem quartum, quam postulatus erat Scaurus, Faustus Sylla tum Quæstor, filius Syllæ Felicis, frater ex eadem matre Scauri, a servis ejus vulneratus prosiluit ex lecticis, & questus est pro interempto esse competitoribus Scauri, & ambulare cum trecentis armatis, seque, si necesse esset, vim vi repulsurum. Defenderunt Scaurum sex patroni, cum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quatuor uteretur: at post bella civilia ante legem Juliam ad duodenos patronos est perventum: fuerunt autem hi sex P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Messala Niger, Q. Hortensius: ipse quoque Scaurus dixit pro se, ac magnopere judices movit & squalore, & lacrymis, & Ædilitatis effusa memoria, ac favore populari, ac præcipue paternæ auctoritatis recordatione. *Asconius.*

(1) *Maxime fuit optandum*) Principium hoc est orationis, quemadmodum D. Augustinus, & Fortunatianus in sua uterque Rhetorica tradunt, ubi agunt de ratione exordiendi in genere causæ *amphidoxo*. Sigonius.

(2) *Cum dare nollet Aris.*) Loquitur de *Arinis* uxore, quam a Scauro corruptam fuisse objiciebant ejus inimici. Sensus est:

Cum

PRISC. *lib.* VI.) Aris uxorem pellicatus dolore concitatam.

PRISC. *lib.* VII.) Arinis uxorem.

ISID. *lib.* XIX. *cap.* 3.) Quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum mastruca tentavit?

SEVERIAN.) Et quoniam congesta est accusatio, magis acervo quodam criminum, quam distinctione aliqua generum, & varietate.

IDEM.) Bostarem igitur quendam dixit Norensem, fugientem e Sardinia Scauri adventum.

IDEM.) Prius illum sepultum, quam huic cœnam esse sublatam.

PORPH. *Sat.* II. *lib.* II.) Libertus patronum non occidit, sed duobus digitulis gulam oblisit.

FRONTO.) Copiis inops, gente fallax.

MARCELL.) Vos quoque de familia nobili cum auctoritate orbis terrarum sentire debetis.

QUINT.) Ego porro, qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportavi.

QUINT. *lib.* V. *cap.* 13.) Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas. Incurristi amens in columnas, in alienos insanus insanisti. Depressam, cæcam, jacentem domum pluris, quam te, quam fortunas tuas, æstimasti.

SERV. I. *Georgic.*) Redimunt (1) se ea parte corporis, propter quam maxime expetuntur.

IDEM.) Ab ipsa stiva mecum homines loquebantur.

FRONTO.) Retineret id, quod præcipue semper studuit.

CARI-

Cum Aris nollet uxorem Scauro dare, coactus est clam ex Sardinia fugere. Est enim verisimile, post cædes adulteria objecta eum purgasse. *Idem.*

(1) *Redimunt*) Nisi esset aperta Servii & Isidori sententia, de *Castoribus* hic a Cicerone sermonem esse, dubitare sane potuissemus, an non de elephantis hæc prolata fuissent. Nam & apud Plinium VIII. 3. qui de *elephantis* loquitur, verbum est *redimendi*, idem illud, quo hic Cicero utitur. *Sigon.*

CARISIUS.) Universe.

FRONTO.) Adii causas oratorum.

IDEM.) De te recordor.

IDEM.) Hoc nomine audito, quod per omnes gentes pervagatum est.

IDEM.) In illa bona invadere nullo modo potuisset.

RELIQUA EX ASCONIO.

CIRCA VERS. A PRIMO XL.

Cum enumeraret judicia, quæ pater Scaurus expertus est.

Subiit etiam populi judicium, inquirente Cn. Domitio (1) tribuno plebis.

IBIDEM.

Reus est factus a Q. Servilio Cæpione (2) lege Servilia, cum judicia penes equestrem ordinem essent, & P. Rutilio damnato nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa.

IBIDEM.

Ab eodem etiam lege Varia custos ille (3) reipublicæ proditionis est in crimen vocatus; vexatus

(1) *Cn. Domitio.*) Cn. Domitius, qui consul fuit cum Cassio, cum esset Tribunus pl. iratus Scauro quod eum in Augurum collegium non cooptaverat, diem ei dixit ad populum, & multam irrogavit, quod ejus opera sacra multa populi Romani deminuta esse diceret. Crimini dabat, sacra publica populi Romani deum Penatium, quæ Lavinii fierent, opera ejus minus recte caste fieri. Quo crimine absolutus est Scaurus quidem, sed ita ut a tribus tribubus damnaretur, a xxxII. absolveretur, & in eis pauca puncta inter damnationem & absolutionem interessent. *Asconius.*

(2) *A Q. Servilio Cæpione*) Q. Servilius Cæpio Scaurum ob legationis Asiaticæ invidiam & adversus leges pecuniam captatum, reum fecit repetundarum, lege, quam tulit Servilius Glaucia. Scaurus tanta fuit constantia, & animi magnitudine, ut Cæpionem contra reum detulerit, & breviore die inquisitionis accepta effecerit, ut ille prior causam diceret: M. quoque Drusum Tribunum plebis cohortatus sit, ut judicia commutaret. *Idem.*

(3) *Ille*) De quo in Bruto, cap. 29.

tus a Q. Vario (1) tribuno plebis est non multo ante.

IBIDEM.

Non enim tantum admiratus sum ego illum (2) virum, sicut omnes, sed etiam præcipue dilexi. Primus enim me, flagrantem studio laudis, in spem impulit, posse virtutem sine præsidio fortunæ, quo contendisset, labore & constantia pervenire.

Si, mehercule, Judices, pro L. Tubulo (3) dicerem, quem unum ex omni memoria sceleratissimum & audacissimum fuisse accepimus, tamen non timerem, venenum hospiti, aut convivæ, si diceretur, cœnanti ab illo datum, cui neque heres, neque iratus fuisset.

CIRCA TERTIAM PARTEM, A PRIMO.

Sic, inquam, se, Judices, res habet, neque hoc

(1) *Vexatus a Q. Vario*) Italico bello exorto, cum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset, Q. Varius Tribunus plebis legem tulit, ut quæreretur de iis, quorum opera consiliove socii contra populum Romanum arma sumpsissent. Tum Q. Cæpio, vetus inimicus Scauri, sperans invenisse se occasionem opprimendi ejus, egit ut Q. Varius Tribunus plebis, belli concitati crimine adesse apud se Scaurum juberet anno LXXII. Ille per viatorem arcessitus, cum jam ex morbo male solveretur, dissuadentibus amicis, ne se in illa valetudine & ætate invidiæ populi objiceret, innixus nobilissimis juvenibus processit in forum: deinde accepto respondendi loco, dixit: *Q. Varius Hispanus M. Scaurum, principem senatus, socios in arma ait concitasse: M. Scaurus, princeps senatus, negat: testis nemo est: utri vos, Quirites, convenit credere?* Qua voce ita omnium commutavit animos, ut ab ipso etiam Tribuno dimitteretur. *Ascon.*

(2) *Illum*) Dicit iterum de patre M. Scauri. Posset aliquis quærere, cur hoc dixerit Cicero, cum Scaurus patricius fuerit: quæ generis claritas etiam inertes homines ad summos honores provexit. Verum Scaurus ita fuit patricius, ut tribus supra eum ætatibus jacuerit domus ejus fortuna. Nam neque pater, neque avus neque etiam proavus, ut puto, propter tenues opes, & nullam vitæ industriam, honores adepti sunt: itaque Scauro æque ac novo homini laborandum fuit. *Idem.*

(3) *Pro L. Tubulo*) L. hic Tubulus prætorius fuit ætate patrum Ciceronis. Is propter multa flagitia, cum de exilio arcessitus esset, ne in carcere necaretur, venenum bibit. *Idem.*

hoc a me novum disputatur, sed quæsitum ab aliis est. Illa audivimus, hoc vero meminimus, ac pene vidimus, ejusdem stirpis & nominis P. Crassum (1), ne in manus incideret inimicorum, se ipsum interemisse.

STATIM.

Ac neque (2) illius Crassi factum superioris, iisdem honoribus usus, qui fortissimus in bellis fuisset, M. Aquilius potuit imitari.

PAULO POST.

Quid vero? Alterum Crassum (3) temporibus eisdem, num aut clarissimi viri Julii, aut summo ingenio præditus M. Antonius potuit imitari?

CIRCA MEDIUM.

Neque vero hæc ipsa quotidiana res Appium Clau-

(1) *P. Crassum*) Hic Crassus fuit pater Crassi ejus, qui æmulus potentiæ Cnei Pompeji fuit. Periit autem in dominatione L. Cinnæ, cum ille & alios principes optimatum, & collegam suum Cn. Octavium occidit. *Idem*.

(2) *Ac neque*) Hæc verba, quibus Cicero nunc utitur, AC NEQUE, eam videntur habere naturam, ut semel poni non soleant: quia NEQUE est conjunctio disjunctiva & semper postulat ut rursus inferatur, ut cum dicimus, *neque hoc*, *neque illud*. Quo autem casu acciderit, quave ratione, ut hoc loco Cicero hoc verbo ita usus sit, præsertim cum adjecerit illam appositionem, & nomen intulerit postea alterum, neque perspicere potui, & attendendum esse valde puto. Moveor enim merito viri auctoritate: neque ignoro aliquando hoc verbum, *neque*, vel semel poni, ut in eadem hac oratione ante ipse Cicero posuit: *Sic, inquam, se Judices, res habet, neque hoc a me novum disputatur, sed quæsitum ab aliis est*. Sed hoc loco & sine præpositione illius verbi videmus esse positum, & tamen post secundum aliquid inferri. Nam cum dixit, *Neque hoc a me novum disputatur*, infert, *sed quæsitum ab aliis est*. Idem.

(3) *Alterum Crassum*) Hic alter Crassus idem est, de quo supra diximus: alterum autem eum appellat, quia ante mentionem fecit P. Crassi, qui fuit Pontifex Maximus, & bello Aristonici in Asia dedit operam ut occideretur. Julios autem cum dicit, duos Cæsares fratres Cajum & Lucium significat: ex quibus Lucius & Prætor & Consul fuit. Cajus ædilitius quidem occisus est, sed tantum in civitate potuit, ut causa belli civilis contentio ejus cum Sulpitio Tribuno fuerit. Nam & sperabat, & id agebat Cæsar, ut omissa Prætura Consul fieret: cui cum primis tem-

Claudium (1), illa humanitate & sapientia præditum, per se ipsa movisset, nisi hunc Claudii fratris sui competitorem fore putasset: qui sive patricius (2), sive plebejus esset, (nondum enim certum constitutum erat) cum illo sibi contentionem fore putabat.

POST DUAS PARTES ORATIONIS.

Dicit de Scauro, quem defendit.

Nam cum ex multis unus ei restaret Dolabella (3), paternus inimicus, qui cum Q. Cæpione, propinquo suo, contra Scaurum, patrem suum, obsignaverat stateras, eas sibi inimicitias non susceptas, sed relatas, &c.

POST TRES PARTES.

Præsertim (4) cum propinquitas & celebritas

 loci

temporibus jure Sulpitius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum & ad arma processit. Idem inter primos temporis sui oratores, & tragicus poeta bonus admodum habitus est: hujus sunt enim tragediæ, quæ inscribuntur Julii. Et hi Julii, & Antonius, ab satellitibus Marii sunt occisi, cum Crassus, ut supra diximus, eundem casum sua manu prævenisset. *Ascon.*

(1) *Ap. Claudium*) Significat *Ap. Claudium Pulchrum*, tum, cum loquebatur, consulem, P. Clodii fratrem; eumque innuit egisse, ut Scaurus accusaretur, ne cum Clodio fratre contenderet. *Sigonius.*

(2) *Sive patricius*) Fuerunt enim duæ familiæ Claudiæ. Ea, quæ Marcellorum appellata est, plebeja: quæ Pulchrorum, patricia. Sed hoc loco urbane Cicero lusit in Claudium, cum quo in gratiam non redierat: nam quia is P. Clodii erat frater, qui ex patricia in plebejam familiam transierat per summam infamiam, se quoque dubitare adhuc dixit. *Asconius.*

(3) *Dolabella*) Ne forte erretis, & eundem hunc Cn. Dolabellam putetis esse, in quem C. Cæsaris orationes legitis, scire vos oportet, duos eodem tempore fuisse, & prænomine, & nomine, & cognomine, Dolabellas. Horum igitur alterum Cæsar accusavit, nec damnavit: alterum M. Scaurus accusavit, & damnavit. *Idem.*

(4) *Præsertim*) Quo loco defendit, quod tam magnificam domum Scaurus haberet. Demonstrasse vobis memini me, hanc domum in ea parte Palatii esse, quæ, cum ab Sacra via descenderis, & per proximam vicum, qui est ab sinistra parte, prodieris, posita est: possidet eam nunc Longus Cæcina, qui Consul fuit cum Claudio. In hujus domus atrio fuerunt quatuor columnæ marmoreæ insigni magnitudine, quæ nunc esse in regia theatri Mar-

loci suspicionem desidiæ tollat, aut cupiditatis.

SEQUITUR.

Hæc cum tu effugere non potuisses, contendes tamen & postulabis, ut M. Æmilius cum sua dignitate omni, cum patris memoria, cum avi gloria (1), sordidissimæ, levissimæ, vanissimæ genti, ac, prope dicam, pellitis testibus condonetur.

VERS. A NOVISSIMO CLX.

Undique mihi suppeditat, quod pro M. Scauro dicam, quocunque non modo mens, verum etiam oculi inciderint. Curia illa de gravissimo principatu patris fortissimoque testatur. L. ipse Metellus (2), avus hujus, sanctissimos deos illo constituisse

Marcelli dicuntur. Usus erat iis Ædilis, ut ipse quoque significat, in ornatu theatri, quod ad tempus perquam ampla magnitudine magnum fecerat. *Idem*.

(1) *Cum avi gloria*) Avum nunc Scauri maternum significat L. Metellum Pontificem Max. quem postea quoque nominat: nam paternus avus, proavusque Scauri humiles atque obscuri fuerunt. *Idem*.

(2) L. *ipse Metellus*.) Castoris & Pollucis templum Metellus, quem nominat, refecit. Laudaverunt Scaurum consulares novem, L. Piso, L. Volcatius, Q. Metellus Nepos, M. Perpenna, L. Philippus. M. Cicero, Q. Hortensius, P. Servilius Isauricus pater, Cn. Pompejus Magnus. Horum magna pars per tabulas laudaverunt, quia aberant; inter quos Pompejus quoque: nam quod erat pro Consule, extra urbem morabatur. Unus præterea adolescens laudavit frater ejus Faustus Cornelius Syllæ filius. Is in laudatione multa humiliter & cum lacrymis locutus, non minus audientes permovit, quam Scaurus ipse permoverat. Ad genua judicum, cum sententiæ ferrentur, bifariam se diviserunt qui pro eo rogabant: ab uno latere Scaurus ipse, & M. Glabrio sororis filius, & Paulus, & P. Lentulus Lentuli Nigri Flaminis filius, & L. Æmilius Bucca filius, & C. Memmius Fausta natus supplicaverunt: ex altera parte Sylla Faustus frater Scauri, & C. Apronius Limo, cui Fausta ante paucos menses nupserat dimissa a Memmio, & T. Peduceus, & C. Cato, & M. Olenas Curtianus. Sententias tulerunt senatores duo & xx. equites tres & xx. tribuni ærarii xxv. ex quibus damnaverunt senatores xv. equites II, tribuni II. Cato Prætor, cum vellet de accusatoribus in consilium mittere, multique e populo manus in accusatores intenderent, cessit imperitæ multitudini, ac postero die in consilium de calumnia accusatorum misit. D. Triarius nullam gravem sententiam habuit. Subscriptores ejus M. & Q. Pacuvii fratres denas,

ſe in templo videtur, in veſtro conſpectu, Judices, ut ſalutem a vobis nepotis ſui deprecarentur.

PRO A. GABINIO (1).

HIER. *Apol. adverſ. Rufinum.*) Ego cum omnes amicitias tuendas ſemper putavi ſumma religione & fide, tum eas maxime, quæ eſſent ex inimicitiis revocatæ in gratiam: propterea quod integris amicitiis officium prætermiſſum, imprudentiæ, vel (ut gravius interpretemur) negligentiæ excuſatione defenditur: poſt reditum in gratiam ſi quid eſt commiſſum, id non neglectum, ſed violatum putatur; nec imprudentiæ, ſed perfidiæ aſſignari ſolet.

denas, & L. Marius tres graves habuerunt. Cato Prætor judicium, quia æſtate agebatur, ſine tunica exercuit, campeſtri ſub toga cinctus: in forum quoque ſic deſcenderat, juſque dicebat: idque repererat ex vetere conſuetudine, ſecundum quam & Romuli ætatis ſtatuæ in Capitolio, & in Roſtris Camilli fuerunt, togatæ ſine tunicis. *Aſcon.*

(1) Quoniam de orationibus diximus, quas ſcriptas edidit, ſequitur, ut de iis etiam dicamus aliquid, quas in Commentariis reliquit. Hic enim omnium defenſionum, ſive cauſarum quas acturus eſſet, memoriæ commentarios ſcribere ſolitus fuit. Quas autem ſe maxime expolire videbat poſſe, eas, poſteaquam egiſſet, diligentius ſcriptas edere; quas non probaret, in Commentariis relinquere conſuevit. Quod idem de ſe ait Cato apud eum in libro de Senectute: *Cauſarum illuſtrium quaſcunque defendi, nunc quam maxime conficio orationes.* De quibus Commentariis ſic video ſcripſiſſe Aſconium in commentario orationis in Toga candida: *Præterea movet me, quod, cum ſint commentarii Ciceronis ſuarum etiam defenſionum, commentarium tamen hujus defenſionis, aut principium nullum inveniam.* Quintil. IV. 1. *Cicero pro Scauro ambitus reo, eſt in Commentariis*, &c. Ut autem Scauri cauſa de ambitu extitit in Commentariis, ſic etiam A. Gabinii. Proditum hoc eſt literis a D. Hieronymo in apologia adverſus Rufinum his verbis: *Unde & Tullius in Commentariis cauſarum pro A. Gabinio, Ego, inquit, cum omnes amicitias tuendas ſemper putavi*, &c. Fuerat autem Gabinio inimiciſſimus, quippe pro conſule civitate fuerat pulſus. Poſt autem cum eo reverſum in gratiam eundem judicio defendiſſe ipſe teſtatur in orat. pro *Rabirio Poſtumo.* Eoſdem vero etiam Commentarios a Diomede intelligi arbitror, cum ait: *Cicero cauſarum* XIII. *Re vendita, iterum empta.* Sigonius.

PRO P. QUINTIO.

ULPIAN.) Turpis occultatio sui.

PRO M. FONTEJO.

MARCEL. *lib.* XV.) Galli posthac dilutius potabunt, quod illi venenum esse arbitrabuntur.

QUINT. *lib.* VI. *cap.* 4.) Mater tua, dum vixit, ludum (1); postquam mortua est, magistros habuit.

AQUILA.) Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus amplissimæ copiæ e Gallia, equites numero plurimi e Gallia.

DE LEGE AGRARIA. *Kal. Jan.*

GELL. *lib.* XIII. *cap.* 24.) Prædam, manubias, sectionem, castra denique Cnei Pompeji, sedente imperatore, X-viri vendent.

GELL. *ibid.*) Ex præda, ex manubiis, ex auro coronario.

AQU.) Veniet igitur sub præcone tota Propontis, atque Hellespontus: addicetur communis ora Lyciorum, atque Cilicum: Mysia, & Phrygia item conditioni legique parebunt.

CARIS.) Imberba juventute.

IN L. PISONEM.

QUINT. *lib.* IX. *cap.* 4. DIOM. *lib.* II.) Proh dii immortales! qui hic illuxit dies?

SERVIUS.) Quæ te belluam ex utero, non hominem fudit.

QUINT.

(1) *Ludum*) Hunc jocum Scipio ad Apuleji Apolog. n. 74. explicat vivam meretricem capturas fecisse, & discipulos habuisse, quasi ludo meretricio aperto: ea mortua, creditores ejus bona ex edicto possedisse, & creato magistro, ea proscripsisse, & vendidisse. De *magistris* plura vide apud Cujac. ad lib. LIX. e V. S. C. & Scip. Gent. in Orig. *Burman.*

QUINT. *lib.* VIII. *cap.* 3.) Cum tibi tota cognatio in sarraco (1) advehatur.

IDEM, *ibid.*) Caput opponis, cum eo coniscans (2).

DIOMED. *lib.* I.) proxime Pompejum sedebam.

RELIQUA EX ASCONIO.

CIRCA VERS. A PRIMO.

Quod minimum specimen in te ingenii. Ingenii autem? Immo ingenui hominis, ac liberi; qui colore ipso patriam aspernaris, oratione genus, moribus nomen (3).

CIRCA VERS. A PRIMO. LXXX.

Hoc non ad contemnendam Placentiam (4) per-

(1) *Sarraco*) Alias, *serraco*. Genus vehiculi, seu plaustri. Vide Quint. VIII. 3.

(2) *Coniscans*) Dicitur proprie de arietibus, cum adversis cornibus & frontibus incurrunt. Alias *conissans*. Lucret. II. 320.

(3) *Nomen*) Tametsi hæc oratio sic inscribitur, *In L. Pisonem*, tamen non puto vos ignorare, hunc Pisonem ex ea familia esse, quæ *Frugi* appellata sit: & ideo dicit aspernari eum moribus nomen. *Asconius*.

(4) *Placentiam*) Magnopere me hæsitare confiteor, quid sit, quare Cicero Placentiam municipium esse dicat. Video enim in annalibus eorum, qui Punicum bellum secundum scripserunt, tradi, Placentiam coloniam deductam pridie Kal. Januarii, primo anno ejus belli, P. Cornelio Scipione patre Africani, Ti. Sempronio Longo Coss. Neque illud dici potest, sic eam coloniam esse deductam, quemadmodum post plures ætates Cn. Pompejus Strabo, pater Cn. Pompeji Magni, transpadanas colonias deduxerat. Pompejus enim non novis colonis eas constituit, sed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod cæteræ Latinæ coloniæ, id est, ut petendi magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur. Placentiam autem sex millia hominum novi coloni deducti sunt: in quibus equites deducendi fuit causa, ut opponerentur Gallis, qui eam partem Italiæ tenebant. Deduxerunt triumviri P. Cornelius Asina, P. Papirius Maso, Cn. Pompejus, sive Cn. Cornelius Scipio: eamque coloniam IV. deductam esse invenimus. Deducta est autem Latina. Duo porro genera earum coloniarum, quæ a populo Romano deductæ sunt, fuerunt. Erant enim aliæ, quibus jus Italiæ dabatur: aliæ item, quæ Latinorum essent. De se autem optime meritos Placentinos ait, quod illi quoque honoratissima decreta erga Ciceronem fecerant, certaverantque in ea re cum tota Italia, cum de reditu ejus actum est. *Asconius*.

pertinet, unde se is ortum gloriari solet: neque enim hoc mea natura fert; nec municipii, præsertim de me optime meriti, dignitas patitur.

PAULO POST, *De avo Pisonis paterno.*

Hic cum ad Padum Placentiæ forte consedisset, paucis post annis in eam civitatem (1) (nam tum erat civitas) ascendit. Prius enim Gallus, dein Gallicanus, extremo Semiplacentinus haberi cœptus est.

CIRCA VERS. A PRIMO.

Lautiorem pater tuus socerum (2), quam C. Piso * in illo luctu: non ei filiam meam collocavi, quem ego, potestas cum omnium fuisset, unum potissimum delegissem.

Insuber quidam fuit, id est, mercator, & præco. Is, cum Romam cum filia venisset, adolescentem nobilem Cæsonium, hominis fortissimi filium, ausus est appellare. Filiam collocavit.

EX COMMENTARIIS (3). *lib.* XIII. DIOMED.) Re vendita, iterum empta.

(1) *Civitatem*) Hic quoque dicit civitatem fuisse. Ab eadem persuasione ponit Placentiam municipium fuisse. Avum autem Pisonis primo *Gallum* fuisse ideo ait, quod venisse eum in Italiam dicit trans Alpes; *Gallicanum*, quod in Italia consederit; *Semiplacentinum*, postquam ascitus sit a Placentinis; quod multo post ea tempora fuit, quibus Placentia colonia deducta est. *Asconius*.

(2) *Socerum*) Quis fuerit socer Pisonis patris, supra dixit his verbis, *Insuber quidam fuit*, &c. Calventium ajunt eum appellatum, patris Pisonis, contra quem hæc oratio est, socerum. Rutilium Attilium Nudum Fenestella tradit. Cicero filiam post mortem Pisonis generi P. Lentulo collocavit, apud quem illa ex partu decessit. *Idem*.

(3) Hi Commentarii quid sint, abunde declaravit Sigonius in Fragm. Or. pro A. Gabinio; eum vide. *Patricius*.

FINIS QUARTÆ PARTIS.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

COncediamo Licenza a *Giovanni Manfrè* Stampator di Venezia di poter riſtampare il Libro intitolato *M. Tullii Ciceronis Orationes cum delectu Commentariorum*, *Tomi quattro riſtampa*; oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 10. Gennaro 1782.

(*Andrea Querini Rif.*
(*Nicolò Barbarigo Rif.*
(*Alviſe Contarini II. Cav. Proc. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte *67*. al Num. *647*.

Daviddc Marcheſini Seg.